F III
18/0

bureau van Gezondheid over de troupen
der de Bataafsche Republicq door den Aute

C. G. ONTYD,

MED. DOCT.

DE
MORTE
ET
VARIA MORIENDI RATIONE.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP.
MDCCXCVII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Odi profanum vulgus & arceo, quod omnem Veteribus in re ſalutari perſpicaciam vel abnegat, ſuamque huic ſubſtituit; vel omnem his ſolis attribuens, quae nova ſunt, prorſus abhorret.

J. P. FRANK, *in Praeſ. ad Rat. Inſt. Clin. Ticinenſis* J. FRANK.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PATRI OPTIMO

RUDOLPHO ONTYD,

VERBI DIVINI MINISTRO.

OMNI, QUA FILIUM DECET, PIETATE AD ROGUM USQUE PROSEQUENDO.

NEC NON

VIRIS

DOCTRINAE ET ERUDITIONIS FAMA CELEBERRIMIS, CLARISSIMIS.

EDUARDO SANDIFORT,

NIC. GEORG. OOSTERDYK,

NICOLAO PARADYS,

SEB. JUST. BRUGMANS,

PROMOTORI AESTUMATISSIMO.

ET

MEINARD. SIMON. DU PUI,

MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO—BATAVA PROFESSORIBUS ORDINARIIS.

PRAECEPTORIBUS HONORATISSIMIS, FAUTORIBUS EXIMIIS, PIE SEMPER COLENDIS.

Hancce qualemcumque Diſſertationem ſacram eſſe cupit.

AUCTOR.

L. S.

Ut jure meritoque omnes, qui laborem juvenilem judicio publico committunt, lectoris benevolentiam, atque in judicando facilitatem variis titulis expetunt, ita mihi quidem tenuitatis probe conſcio pariter eſſe inde initium faciendum probe ſentio; at praeterea, ut B. L. opuſculi Academici juſto majus volumen excuſet, molemque nolit aut ſcribendi pruritui, aut arrogantiae adſcribere, enixe eſt expetendum.

Ad conſcribendam de Morte & varia moriendi ratione *Diſſertationem Inauguralem me admovi non tantum, ut aliquod qualiumcumque meorum profectuum in Medicina exhiberem ſpecimen, verum etiam, ut legibus Academicis ſatisfaciens ex hoc labore morborum notitiam mihi imprimis ipſi redderem accuratiorem.*

Poſtquam ergo praeeuntibus praeclaris viris paſſim in opuſculo noſtro laudatis, vocatisque in ſubſidium iis, quae de vita corporea expoſuerunt recentiores, mortis notionem, moriendique rationem generatim pertractaviſſem, tulit inſtitutum, ut quo pacto ex multiplici aegritudinum cauſa mors poſſit hominem invadere, inveſtiga-

rem. Huc non tantum ſufficiebat, ut morborum aliquando lethalium ſymptomata, verum & eorumdem cauſas tam proximas quam remotas, eaque dein, quae per univerſum ipſorum decurſum obſervantur phaenomena paſſim adferrem. Hinc factum, ut, de morte dicturus, potius morborum morte terminandorum conſcripſerim hiſtoriam. Sic nata fuit hujus opuſculi moles, quam voluiſſem contractiorem, imo etiam contractiorem reddere debuiſſem, niſi nexum ſic forte una ſuſtuliſſem, qui mihi ſaltem viſus fuit neceſſarius, quo poſſet conſtare, cur in unoquoque morbo determinatâ formâ mors obrepat, cur in diverſis morbis haec ſimilibns ſymptomatibus invadat, atque dein, cur in una eademque aegritudine ejus facies ſit iterum diverſa. Hic illic corallaria, verum eſt, inſerui therapeutica nonnulla; quae ad rem noſtram minus directe pertinere videntur, quae ergo & potuiſſem omittere. At vero, quum quaſi ſua ſponte fluerent ex iis, quae practicorum docent obſervata, unde fundamentum petere debui, ad eruendam moriendi rationem minus aegre latum iri confido, quod haec ſuppreſſa non fuerint.

Licet fontes, quibus ad concinnandum hoc opuſculum uſus fui, paſſim ſuis locis indica-

ve-

verim, poſtulat pietas, gratusque animus, ut hic publice profitear, me, quidquid valuerim, unice debere Praeceptorum celeberrimorum ſolidiſſimis de re Medica inſtitutionibus, ac benevolentiae ſingulari, qua, durante ſtudiorum Academicorum curriculo, me fuerunt complexi, quorum omnium gratam recordationem nulla dies delebit. Imprimis autem Promotori aeſtumatiſſimo Celeb. BRUGMANS, (*cujus in me collata beneficia gratiſſimo ad cineres usque ſervabo animo*) *hacce occaſione publicas & maximas ago gratias pro inſigni utilitate, quam tum ex ejus praelectionibus, tum ex ipſius familiari conſuetudine, qua frui mihi licuit, hauſi: & ſane numquam hanc materiam elaborandam in me ſuſcepiſſem, niſi cogitata quae de oeconomia C. A. Praeceptor honoratiſſimus mecum communicare haud fuit dedignatus, mihi hac de re diſſerendi anſam dediſſent.*

Quamvis nulla huc usque ſit Noſologica diviſio, quae omnibus numeris ſit abſoluta, aliquam tamen debui eligere, quaeque ſcopo noſtro aliquo ſaltem pacto reſpondet, ſequens erit.

In tres Partes omnem divido tractationem.

PARTE PRIMA *agam de mortis cauſa proxima & remota, in univerſum ſpecta-*

ſpectatis, & de relatione mortis ad vitam, ſanitatem, & morbum.

PARTE SECUNDA *diſſeram de morbis, quibus vita ob deletum principium, vitale tollitur.*

PARTE TERTIA *pertractabo morbos, quibus vita perit ob ſublatam, aut impeditam functionem cujusdam organi vitalis.*

Uniuscujusque partis capita docet conſpectus, quem hic una exhibeo.

Scripſi Lugduni Batavorum,
d. 19. Junii 1797.

CON-

CONSPECTUS

DISSERTATIONIS.

PARS PRIMA. De Morte, ejusque cauſis in genere ſpectatis. . Pag. 1
PARS SECUNDA. De morbis, quibus principium vitale deletur. . . 26
CLASSIS PRIMA. Mors ex proprio Mechanismo. 28
Genus. Fatum Senile. 28
CLASSIS SECUNDA. Mors ab animi pathematibus. 36
ORDO PRIMUS. Animi pathemata excitantia. . 37
Genus Primum. Gaudium. . . . 37
——— *Secundum.* Ira. 41
ORDO SECUNDUS. Animi pathemata deprimentia. 46
Genus. Terror. 46
CLASSIS TERTIA. Mors ex Calorico nimium abundante, aut nimis parvo. 50
ORDO PRIMUS. Calorici exceſſus. . . 50
Genus Primum. Calor nimius. . . 50
——— *Secundum.* Ambuſtio. . . . 53
ORDO SECUNDUS. Calorici defectus. . . . 55
Genus. Frigus nimium. 55
CLASSIS QUARTA. Mors a ſtimulo electrico. 58
Genus. Electricitas nimia. . . . 58
CLASSIS QUINTA. Mors ex omnibus Gas ſpeciebus . . . 62

** OR-

ORDO PRIMUS. Gas ob nimiam Oxygenii quantitatem lethale. . . Pag. 63
Genus. Gas Oxygenii purum. . . 63
ORDO SECUNDUS. Gas, quae ob defectum, Oxygenii ſuffocant. . . . 65
Genus Primum. Azotum. . . . 65
—— *Secundum.* Hydrogenium. . . 66
ORDO TERTIUS. Gas, quae peculiari ſtimulo mortem inferunt. . . . 76
Genus. Acidum carbonicum. . . . 78
CLASSIS SEXTA. Mors ex venenis. . . 85
ORDO PRIMUS. Venena animalia. . . . 87
Genus Primum. Venena, praecipue per vulnus mortem afferentia. . 87
Genus Secundum. Venena, quae interne asſumta noxiam praeſertim exſerunt vim. . . 101
ORDO SECUNDUS. Venena Vegetabilia. . . 104
Genus Primum. Venena narcotica. . . 105
—— *Secundum.* Venena narcotico — acria. 112
—— *Tertium* Venena acria. . . . 116
ORDO TERTIUS. Venena mineralia. . . . 120
Genus Primum. Oxyda. . . . 121
—— *Secundum.* Salia neutra. . . . 127
APPENDIX. De Veneno Americano Tucumas. . 133
CLASSIS SEPTIMA. Mors ex morbis univerſalibus 137
ORDO PRIMUS. Febres. 138
Genus Primum. Febris intermittens. . . 138
—— *Secundum.* Febris Inflammatoria. . 140

Ge-

Genus Tertium. Febrisblioſa, ſeu Gaſtrica. . . . . Pag. 142
—— *Quartum.* Febris putrida. . . 143
—— *Quintum.* Febris nervoſa. . . . 144
—— *Sextum.* Febris Catharralis. . . 147
ORDO SECUNDUS. Morbi febriles.
Genus Primum. Peſtis.
—— *Secundum.* Variolae.
—— *Tertium.* Morbilli.
—— *Quartum.* Scarlatina ſeu Rubeoli.
—— *Quintum.* Eryſipelas.
—— *Sextum.* Febris Miliaris.
—— *Septimum.* Febris Petechialis.
—— *Octavum.* Febris Urticata. (*).
APPENDIX. De Rheumatiſmo, Arthritide & Podagra retropulſis. . . . 173
PARS TERTIA. De morbis, quibus vita tollitur ob annulum unum, alterumve catenae virium vitalium, vel deſtructum, vel in agendo impeditum. . . 177
CLASSIS OCTAVA. Mors ex Inflammationibus. 179
ORDO PRIMUS. Inflammationes Capitis.

Ge-

(*) Quum morbi exanthematici noſtro ex judicio, tantummodo per accidens ſint lethales, & omne periculum, quod afferunt, praecipue ex conſtitutione epidemicâ, vel ex morboſâ Corporis diatheſi ſit petendum, hinc de illis in diſſertatione non ſingulatim, verum unice in genere dixi. —

Genus Primum. Encephalitis.
—— *Secundum.* Otitis.
—— *Tertium.* Gloſſitis.
—— *Quartum.* Angina.

ORDO SECUNDUS. Inflammationes Thoracis.

Genus Primum. Pleuritis.
—— *Secundum.* Peripneumonia.
—— *Tertium.* Carditis.

ORDO TERTIUS. Imflammationes Abdominis.

Genus Primum. Diaphragmatitis.
—— *Secundum.* Peritonitis.
—— *Tertium.* Omentitis.
—— *Quartum.* Gaſtritis.
—— *Quintum.* Enteritis.
—— *Sextum.* Pancreatitis.
—— *Septimum.* Meſenteritis.
—— *Octavum.* Hepatitis.
—— *Nonum.* Splenitis.
—— *Decimum.* Nephritis.
—— *Undecimum.* Cyſtitis.
—— *Duodecimum.* Inflammatio Proſtatae.
—— *Decimum Tertium.* Metritis.
—— *Decimum Quartum.* Inflammatio Ovariorum (†).

CLAS-

(†) Hae ſunt Inflammationes, ex quibus homines perire poſſunt, quas ergo methodi gratia hic enumerandas eſſe aeſtumavi; in Diſſertatione vero ob inſignem affinitatem, quae inter eas datur, illas omnes ſimul pertractavi. —

CLASSIS NONA. Mors ex profluviis. . Pag. 204
ORDO PRIMUS. Alvi profluvia. 204
Genus Primum. Diarrhoea. . . . 204
—— *Secundum.* Dyſenteria. . . . 206
—— *Tertium.* Vomitus cruentus, morbus niger, fluxus hepaticus, & haemorrhoidalis. . . 226
—— *Quartum.* Lientera, fluxus coeliacus & cholera. . . . 238
ORDO SECUNDUS. Sanguinis profluvia. . . 238
Genus Primum. Haemorrhagiae in genere. . 239
—— *Secundum.* Haemoptyſis. . . 243
CLASSIS DECIMA. Mors ex Cachexiis. . 253
ORDO PRIMUS. Ulcera. 259
Genus Primum. Phthyſis. . . . 259
—— *Secundum.* Oſſium caries. . . 280
—— *Tertium.* Lues Venerea. . . 283
—— *Quartum.* Lepra. . . . 286
ORDO SECUNDUS. Atrophiae. . . . 293
Genus Primum. Tabes. . . . 293
—— *Secundum.* Icterus. . . , 298
—— *Tertium.* Hydrops. . . . 323
ORDO TERTIUS. Debilitationes & Privationes. . 335
Genus Primum. Scrofulae. . . . 335
—— *Secundum.* Rachitis. . . . 349
—— *Tertium.* Scorbutus. . . . 361
—— *Quartum.* Aneurisma. . . 376
—— *Quintum.* Mors partialis. . . 381
CLASSIS UNDECIMA. Vitia ſyſtematis nervoſi. . . . 393

OR-

ORDO PRIMUS. Syſtematis nervoſi Atonia. Pag. 394
Genus. Apoplexia. 394
ORDO SECUNDUS. Spasmus. 403
Genus Primum. Morbi tonici. Tetanus. . 404
—— *Secundum.* Morbi clonici. Epilepſia. 412
CLASSIS DUODECIMA. Vitia ſyſtematis ſecretorii. . . 425
ORDO PRIMUS. Vis ſecretoriae exceſſus. . 426
Genus. Polyſarcia. 426
ORDO SECUNDUS. Vis ſecretoria degenerata. . 431
Genus Primum. Diabetes. . . . 431
—— *Secundum.* Ulcus cancroſum. . . 440
EPILOGUS. 443

D E

MORTE ET VARIA MORIENDI RATIONE.

PARS PRIMA.

DE MORTE, EJUSQUE CAUSIS IN GENERE SPECTATIS.

§. I. Mors nobis dicitur principii vitalis, ſeu vitae totius corporis abolitio; ex omnium enim conſenſu mortuus dicitur is, qui vivere deſinit, quum requiratur ad mortem, ut ne minimus virium vitalium ſuperſit gradus, ſed principium vitale prorſus ſit deletum; dum vitae character conſiſtat in eo, quod impediatur, quominus elementa corporis animalis ea connubia, ad quae tam univerſali attractionis lege, quam lege ſpeciali affinitatis chemicae nituntur, ineant. — Haec enim a principii vitalis energeia unice pendere, probant phaenomena, quae brevi poſt mortem obſervantur. Etenim mox quando actum eſt de vita, atque in corpore humano non ſuperſunt niſi vires elementorum, e quibus corpus animale conſtat, haecque principio vitali non amplius in actione coercentur, ſui juris fiunt, indeque ſiſtunt phaenomena, quae leges affinitatum chemicarum ſequuntur, atque deſtructionem ſpontaneam compagis olim organicae, hoc eſt vitalis, peragunt. Mortis ergo

character vitae eſt oppoſitus, & quum ſit qualitas negativa, tantum ex ea peti debet.

§. 2. Mors itaque adeſſe cenſenda eſt, non quando vis vitalis ſilet, dum vita per aliquot temporis intervallum ita latere poteſt, ut non tantum actiones vitales, per excellentiam dictae, v. g. pulſus & reſpiratio, deſinant, verum etiam ne minimus motus percipi valeat, morte tamen non preſente, quemadmodum hand pauca exſtant exempla hominum, qui mortuorum imaginem referentes, pro mortuis ab omnibus ſalutati, imo jam ſepulti, per aptos tamen ſtimulos in vitam fuere revocati (1). Sed mors, inquam, adeſt quum vis vitalis plane ceſſet, hoc eſt, ubi ſimul amiſſa eſt illa facultas, qua per aptos ſtimulos e quiete reſuſcitari poteſt (2). Hinc ſummo jure dicit Cl. VAN GEUNS (3) veram mortis notionem haud conſiſtere in ceſſatione ſanguinis motus, aut reſpirationis actionis, quam quidem in eo, ut corpus non amplius ſtimulis obediat, ſive, ut clarius me exprimam, mortem conſiſtere in exſtinc-

(1) Cf. egregie hac de re agentem Cl. J. J. BRUHIER *ſur l'incertitude des ſignes de la mort* 2. vol. Paris 1749.

(2) Itaque minus recte ab ill. GAUBIO *in inſtit path.* vis vitalis ſolidi appellatur illa facultas, qua ad contactum irritamenti ſeſe contrahit: nam vis vitalis, & ſolidorum contractio bene a ſe invicem ſunt diſtinguendae. Prima eſt facultas ſtimulos juxta certas leges percipiendi, & ad eos reagendi: dum e contra motus vitalis ipſe eſt effectus illius facultatis cum ſtimulo quodam, quo ad actum incitatur.

(4) Vid. pulchram ejus diſſertationem de morte corporea, & cauſis moriendi publice defenſam L. B. 1761. 4to.

ſtinctione illius qualitatis peculiaris, quae corpori vivo ſoli priva, & a ceteris phyſicis qualitatibus tum natura, tum agendi ratione admodum diverſa partibus corporis conſtitutivis facultatem praebet, ut rite ſtimulatae certos & determinatos motus edere, ac functiones, quibus peragendis inſerviunt, praeſtare poſſint.

§. 3. Igitur mors nihil aliud eſt, niſi exſtinctio facultatis ad ſtimulum ita reſpondendi, ut actio ſequatur, quae ex viribus corporum univerſalibus non pendet; illud vero, quod hancce facultatem perire facit, pro proxima mortis cauſa ſalutari debet (4) — quum autem mors ipſa ſemper ſibi ſimilis reperiatur, ejus cauſam proximam, utpote plenam mortis rationem in ſe continentem, quoque ſemper eſſe unicam, eandemque oportet. Determinare interim, in quo proprie illa mortis cauſa proxima conſiſtit, hoc opus, hic labor: ante Cl. VAN GEUNS, quantum novi, ne-

(4) Loquimur hic de vita univerſali, ſive totius corporis, ad quod bene eſt attendendum, quum illa jam jam tantum non exſtincta nonnullorum organorum vita propria, ſicque etiam facultas ad ſtimulum rite reſpondendi nihilominus per aliquod tempus adhuc poſſit eſſe ſuperſtes, ſi ſcilicet homo moritur non ob deletum principium vitale, ſed ob deletas vitales functiones, praecipue ſi violentia quadam externa fuerit in cauſa earum laeſionis, in tali igitur caſu, ubi vita propria cujusdam organi adhuc ſupereſt, non quidem mors abſoluta locum habet, ſed conſpiratio illius vitae propriae cum principio vitali ſive vita totius corporis plane eſt ſublata (*).

(*) Cf. Diſſ. noſtram de cauſa abſorpt. cap. I. exp. VI. p. 30. & ſeqq. L. B. 1795. 8vo.

nemo mortis cauſae proximae mentionem injecit, & ipſe Cl. Vir, etſi illam proximam cauſam a morte ipſa non differre, adeoque eam quoque eſſe qualitatem privativam & in vitae ceſſatione conſiſtere afferat, haud definit tamen, quid proxima mortis cauſa ſit, vel quaenam ſit ratio, quare vita ceſſet, & illa qualitas privativa, ſive mortis cauſa proxima generetur. — Noſtra ex opinione haecce mortis cauſa proxima in deſtructione virium vitalium eſt quaerenda: verum hoc non ſufficit, niſi ſimul pateat quonam modo haecce deſtructio fiat, ſed ut hic modus fiat perſpicuus, recurrendum eſt ad conſiderationem vitae, ſanitatis, & morbi. Huic tractationi inſervient ſequentes §§.

§. 4. Vivum nobis dicitur tale corpus, quod gaudet viribus & motibus ex Phyſica univerſali minime explicandis. Ejusmodi vero virium ſpecies in corpore humano dantur plures, quarum quaeque ad oeconomiam animalem ſuſtentandam ſuam confert ſymbolam; atque ex quorum omnium conſpiratione inter ſe vita univerſalis, ſive vita totius corporis naſcitur. Vita univerſalis itaque a nobis conſideranda eſt, uti catena plurium virium, quae rite invicem conjunctae harmoniam quandam conſtituunt, quae *ſanitas* dicitur; ſanitas enim quid aliud eſt, niſi perfecta regularis & harmonica organorum corporis animalis, ejusque virium conſpiratio & aequilibrium? hinc ſi illa partium harmonia levem modo turbam patiatur, re vera adeſt ſtatus morboſus; ſed uſus voluit, ut tunc demum corpus animale morbo laborare dicatur, quando illa virium harmonia ita perturbata eſt, ut actiones, corpori animali aliter propriae, rite & commode exerceri non poſſint; ubi igitur quacumque demum cau-

cauſa, quocumque demum modo illarum virium aequilibrium turbetur, ibi oritur morbus, quaenam autem ad morbum producendum requirantur, nunc a nobis inquirendum eſt.

§. 5. Ad virium vitalium aequilibrii perturbationem, ſeu ad morbum requiruntur ſemper.

1mo. Potentia quaedam nocens, quae noſtrum in corpus agit, ejusque vires afficit; nihil enim in nos agere poſſe absque eo, ut exinde affectionem aliquam ſentiamus, cuique patet.

2do. Reactio virium vitalium; illas autem non affici poſſe, quin mox reagant, quoque conſtat, quum vitam conſiſtere in ſolidorum facultate ad ſtimulum reſpondendi, ſupra jam evictum ſit. Concurrunt igitur ad morbum ſemper duo requiſita, ſcilicet actio potentiae nocentis, & virium vitalium reactio, ex quarum concurſu morbus ipſe producitur, qui propterea eſt effectus compoſitus ex actione morbi cauſae, & reactione virium organorum corporis animalis (5).

§. 6. Hinc explicandum eſt, cur v. g. dentur homines, qui, licet impura venere ſaepe fruantur, numquam tamen malo venereo mulctantur; nec non ratio phaenomenorum, quae regnante miasmate quolibet obſervamus, quare nimirum ab una eademque potentia nocente in va-

(5) Meretur omnino hac de re conſuli Cl. HUFELAND opus, quod germanico idiomate ſub titulo *ideen uber Pathogenie* &c. anno praecedente Jenae prodiit.

variis ſubjectis diverſi admodum oriantur morbi, inde etiam peti debet, quippe ſcilicet, ſi reactio deſideretur, potentia nocens effectum ſortiri nequit, quo in caſu nullus naſcitur morbus, atque pro varia principii vitalis reactione potentia morboſa diverſimode modificatur, variasque induit formas.

§. 7. Itaque pro diverſa vis vitalis reactione varii ſurgunt morbi, quin & a potentia nocente laeviſſima ſaepe infantes atque irritabiles homines graviſſime affici, quotidiana experientia docet.

Morbi ergo natura, uti ex allatis conſtat, pro diverſa virium vitalium reactione ut magnopere variet, neceſſe eſt, cumque pro diverſa reactione ipſe morbus differat (6) ſequitur, quod eſſentia morbi a virium vitalium reactione pendere debeat. Sequitur tandem, quod cum vitae reactio morbi eſſentiam conſtituat, quod haec, id eſt Morbi natura conſiſtat in conflictu Naturae cum potentia morboſa propriam ſalutem propugnantis.

Haec noſtra de natura morbi ſententia ut a priore ratione probatur, ſic & a poſteriore ex ipſorum morborum accurata conſideratione confirmatur; quidquid autem huic definitioni objicitur, illud minime facere contra ſententiam, quam amplexi ſumus, mox quisque mecum conſen-

(6) Quum cuique notum ſit, diverſitatem morborum pendere a ſtimulorum diverſitate & quum morbos hic ſolum conſideremus, in gratiam cauſae proximae mortis, hinc de varietate potentiarum nocentium nil. diximus.

ſentiet, ſi ſcilicet conſideraverit, nullam potentiam quamcumque etiam poſſe excogitari, quin eam, ſi nempe agit noſtrum in corpus, percipiamus; jam vero illâ potentiâ morboſâ perceptâ, non poteſt, quin vires C. A. medicatrices ab hoc ſtimulo praeternaturali ad actum incitatae vim vi opponant, atque contra potentiam morboſam quaſi certare conentur, ſive aliis verbis, potentiam quamcumque morboſam C. A. applicatam reactio virium vitalium neceſſario ſequi debet.

§. 8. Sed ſi noſtra de indole Morbi opinio in Naturae obſervatis fundata eſt, quid tunc tenendum de morbis ſic dictis paſſivis? allata argumenta morbos vere & ſtricto ſenſu paſſivos non dari, probare videntur, eoque magis dum in morbis paſſivis dictis manifeſta virium vitalium ſaepe adſunt conamina, & licet nonnullis in morbis illa obſcure vel & plane non obſerventur, ea tamen re vera abeſſe exinde aeque minus ſequeretur, ac ſi quis, ex eo, quod in pullo ſub primis evolutionis diebus arteriae nulla gaudeant ſyſtole, & nihilominus ſanguinis circulus abſolvatur, illas, utpote omni ſenſibili motu privatas, tunc temporis plane non agere concludere vellet; aut, ut alio utar exemplo, illud eſſet aeque abſurdum, ac ſi quis ſubmerſum, in quo nullum pulſum, nullam reſpirationem, imo ne minimum quidem motum detegere valebat, mortuum pronuntiare amaret.

§. 9. Si nunc illa, quae de natura morbi probavimus, ad mortis cauſam proximam applicemus, illam in ſublatione virium vitalium conſiſtere facile vindicatur: nam morbum eſſe conflictum virium vitalium cum potentia morboſa ſupra vidimus: ſin autem hoc in certamine hoſtem aver-

avertere vis vitalis non valet, ſed victa ei manus dare cogitur, tunc aequilibrium inter vires vitales non tantum non reſtituitur, verum e contra vita tollitur plane, & morbus in mortem tranſit, hoc eſt, ſublato principio vitali illico adeſt mors.

§. 10. Ratio autem, cur vita tollatur, videtur eſſe in eo, quod vi potentiae nocentis deſtruatur illud, quod vitam facit, hoc eſt quod earum ope deleatur partium organismus; potentias enim morbificas agere deſtruendo organicam compoſitionem, imprimis conſtat ex phaenomenis, quae post applicationem alicujus potentiae morbificae in corpore vivo obſervantur: nimirum mox apparent inſoliti & irregulares motus, qui ſucceſſive mutantur, nunc augentur, nunc imminuuntur, & demum plane ſiſtuntur: quum vero omnia phaenomena, quae pars quaedam edit, ab illius ſtructura dependeant, ſequitur, quod omnes illi inſoliti & irregulares motus non ſint, niſi effectus mutationum organicae compoſitionis corporis animalis, atque tot ergo dentur corporis organismi mutationes, quot poſt applicationem potentiae nocentis ſe ſe offerunt motus abnormes; ſequitur tandem memorata ex lege, corporis animalis organicam compoſitionem varias jam paſſam mutationes demum a potentia morbifica prorſus deſtructum iri, hincque actum eſſe de omni motu, utpote a partium organismo pendente; hoc adeo verum, ut ipſa acerrima regni mineralis venena, licet in corpore vivo ingenti vi corroſiva polleant, in cadavere tamen parum aut nihil efficiant, indicio & illa agere tollendo partium organicam compoſitionem. Liquet igitur, mortis cauſam proximam conſiſtere in ſublatione organicae compo-

po-

poſitionis, cujus deſtructione vita, quae unice illi debetur, illico quoque privatur homo. Quam late ſe ſe extendat morborum ambitus, nullus tamen datur morbus, in quo virium vitalium aequilibrium majori vel minori gradu perturbationem non patitur, nec ulla extat moriendi ratio, qua vires vitales non tolluntur, ſive, ut aliis veridem dicam, niſi principio vitali plane ſublato, nemo umquam moritur.

§. 11. Hiſce de morte, ejusque cauſa proxima praemiſſis, nunc ad mortis cauſas remotas tranſeundum eſt; illas vero eſſe multiplices, atque admodum diverſas, totius corporis animalis conſideratio docet; quum enim corpus animale ex tot partibus conſtructum ſit, quarum quaevis ſuas habet vires, ſuamque vivit vitam propriam, atque vita totius corporis non eſt, niſi ſumma omnium virium vitalium, cuique parti C. H. propriarum, ſimul ſumta, non poteſt, quin inde mox nonnullae mortis differentiae ſeſe monſtrare debeant: nam, dum vita univerſalis ſive totius corporis ortum ducit ex aequilibrio vitae omnium partium, tot poſſunt eſſe cauſae remotae mortis, quot ſunt cauſae, quae aequilibrium virium, a quo ſanitas pendet, deſtruunt; non cujusvis tamen C. H. partis deſtructio illam virium harmoniam rumpere valet, quippe docente hoc experientia, multas corporis noſtri perire poſſunt partes, ut tamen vitae univerſalis deſtructio inde non ſequatur.

Ad virium vitalium abolitionem requiritur ergo, ut vel principium vitale uno quaſi ictu deleatur, aut ut impetus fiat tales in functiones, quae ad vitam aliquatenus alendam omnino neceſſaria ſunt.

§. 12. Inter functiones, quarum exſtinctionem mors totius corporis ſequitur, referuntur exſtinctus, vel oppreſſio ſauguinis circulationis, pulmonumque actionis, nec non ventriculi & inteſtinorum, deſtructio energeiae cerebri & nervorum, oppreſſio, aut abolitio actionis vaſorum ſyſtematis lymphatici, ductus thoracici &c., quum omnes illae enumeratae partes ad vitae totius corporis conſtantiam & vigorem requirantur. — Omnium illarum partium functiones ſublatas re vera eſſe lethales, nemo eſt, qui dubitat: ſed rationem ſufficientem, ſaltem, cur absque iis vita ſubſiſtere non poſſit, nullibi annotatam repperi; interim nullam earum vitae cauſam proximam directe tollere, omni dubio majus eſt: dantur quidem, qui mortem, laeſionem nonnullarum functionum inſequentem, exinde explicare ſtudent, quod ſcilicet corpus iis privatum non rite amplius nutriri poſſit; ſed quum ii non adjiciant, quid proprie *nutrire* ſit, & quales partes reſpectu C. H. merentur dici *nutritiae*, nil plane explicant. — Germana ratio, cur omnes illae functiones mortiferae ſint, nobis videtur derivanda eſſe ex eo, quod illae ſint totidem conditiones, quae efficiunt, ut corpus noſtrum rite ſtimulari nequeat, quod probatur ex ſequentibus.

1mo Nullam vitam adeſſe poſſe absque ſtimulo.

2do Stimulum eſſe omne id, quod noſtra organa affici poteſt.

3^tio^ Nullum ſtimulum poſſe dici univerſalem, ſed omnes tantum eſſe relativos, & pro diverſis individuis, imo pro variis organis ejusdem individui illos debere etiam eſſe admodum diverſos.

§. 13. *Quoad primum.* Vitam adeſſe non poſſe ſine ſtimu-

mulo probatur, tam ex ſtatu ſano, quam ex ſtatu morboſo; videmus enim, cor ſuam functionem exſerere non poſſe absque ſanguinis influxu, qui proprium ejus ſiſtit ſtimulum: idem valet de omnibus ceteris N. C. organis: idem quoque verum eſt de ſtatu morboſo; imflammatio v. g., ſi oriatur a ſtimulo quodam acri, omnem reſpuit medelam tamdiu, quamdiu ille ſtimulus non fuerit remotus, illo autem ſublato in univerſum facile tollitur. Hinc neque in ſtatu ſano, neque in ſtatu morboſo ſine ſtimulo nullus datur motus, nullaque peragitur functio, atque prout ſtimuli varii ſeſe habent, varii naſcuntur etiam effectus; dum reactio (vel, ut Phyſiologi loqui amant, vis vitalis) eſt in ratione compoſita ſtimuli applicati & facultatis ipſum recipiendi a partis organica compoſitione dependentis: ſtimulos ergo tam in ſtatu ſano, quam in morboſo ad vitam requiri, ex allatis manifeſtum eſt.

§. 14. *Quoad Secundum.* Ex praecedenti § jam patet, quid nos per ſtimulum intelligamus; ſtimulus enim nobis audit omne id, quod facultate corporis humani organa afficiendi gaudet, ſive illud virium vitalium exceſſum, vel languorem, aut eorum motum abnormem producat; non poſſum ergo cum ill. GAUBIO facere, qui ſtimulum, vel acre ratione corporis humani tantum id dici vult, qnod pungendo, ſecando, rodendo, ſolidorum cohaeſionem ſolvere, partibus vi ſentiendi praeditis dolorem inferre, & vi vitali animatas ad contractionem ſtimulare valet. Unumque eorum eſſe Mechanicum, alterum Chemicum aſſerit. (7) Nam

1mo

(7) Cf. ejus *inſt. Pathol.* de acritatibus morboſis humorum p. 161. & ſeqq.

1mo In plerisque C. H. acritatibus humorum, ne dicam in omnibus, ne minime quidem ullius acritatis neque Mechanicae neque Chemicae indicia ſe ſe manifeſtant, uti v. g. in acritate Scroſuloſa, Scorbutica, Venerea, aliisque res ſeſe habet; eſt igitur hocce GAUBIANUM enunciatum in Naturae obſervatione non fundatum, quum craſin humorum noſtri corporis morboſe affici poſſe, imo re vera plerumque affici, quin ullum nec Mechanicum, nec Chemicum acre adſit, ex allatis ſpeciminibus appareat.

2do Omne acre, omnis ſtimulus ſunt inſuper tantum relativa reſpectu ſcilicet peculiaris organismi illius corporis, cui applicantur, ſic, ut brevitatis ſtudio uno tantum exemplo rem illuſtrem, corpora putreſcentia in relatione ad noſtrum corpus ſunt acria, attamen in iis varia inſecta commode vitam degunt.

§. 15. *Quoad tertium.* Hinc patet, nullum acre, aut ſtimulum poſſe dici univerſalem, atque effectus, quos corporibus applicata edunt, ſolumodo a peculiari talium corporum organismo eſſe repetendos, dum non tantum in diverſis ſubjectis, verum etiam in uno eodemque individuo, pro peculiari ſcilicet organorum modificatione, varii ſtimuli aliter atque aliter ſeſe habent; ſic. v. g. in corpore humano fere quodlibet organum gaudet ſuis propriis ſtimulis, peculiari ſuae fabricae accommodatis. Hinc lux non eſt ſtimulus niſi pro oculis, ſonus non afficit niſi aures; Ipecacuanha, & Tartarus emeticus, quae linguam minime ingrate afficiunt, violenter in ventriculum agunt; purgantia non niſi inteſtina ſtimulant, & Digitalis Purpurea, quae actionem cordis, & vaſorum ſanguiferorum mi-

minuit, eodem tempore inſigniter in ſyſtema lymphaticum agit, ut abſorbenti ſyſtemati ſtimulus mereatur vocari proprius (8): atque hoc non tantum verum eſt quoad ſtimulos extus advenientes, verum etiam ſucci noſtri corporis pro parte, aut & prorſus jam praeparati pro continentibus peculiares ſtimulos conſtituunt; ſic lympha vaſa ejusdem nominis, & ductum thoracicum incitat, id eſt ſtimulat; & ſanguis non ſolum toti ſyſtemati ſanguifero ſtimuli inſtar inſervit; ſed quoque in vaſa ſecretoria agit, ac quodlibet organum ſecretorium ab affluente ad illud ſanguine ſingularem ſtimuli ſenſum experiri, eumque effectum eſſe, ut humor peculiaris, & pro varia indole organi ſecernentis admodum diverſus a ſanguine ſecernatur; quin imo C. H. functiones ad unum omnes a peculiari ſtimulorum perceptione, & inde profluente ſpecifica organorum ad ſtimulum reactione explicari debere, ex allatis, atque analogia admodum veroſimile eſt.

§. 16. Quum vero omnia, quae probavimus, in ſummam contrahamus, eaque ad cauſas mortis remotas applicemus, habemus noſtram theſin probatam; ſi enim absque ſti-

(8) Affirmare hoc poſſum experimento abhinc biennio in Noſocomio Leidenſi coram aeſtumatiſſimo praeceptore Cl. N. G. OOSTERDYK (cui viro, quantum de me meisque ſtudiis meruerit, ad ultimum vitae halitum usque ſemper gratus recordabor) variisque commilitonibus in hydropica cum hocco pharmaco capto, poſt uſum enim hujus remedii pulſus reddebatur adeo tardus, ut vix quinquaginta ſex pulſus intra ſpatium unius minuti abſolverentur, dum interim abſorptio, & urinae excretio erat valde aucta, foemina autem erat circiter quadraginta annos nata.

ſtimulo homo vivere non poſſit; ſi ſtimulus ſit omne id, quod agit noſtrum in corpus, ſi omnes ſtimuli ſint relativi, ſique quodlibet organum C. H. ſuis gaudeat propriis ſtimulis, atque ſi denique contenta ipſis continentibus pro ſtimulis inſerviant, ſequitur, omnes ſupra memoratas functiones reſpectu totius corporis ſtimuli adinſtar agere, ſicque ad vitam omnino eſſe neceſſarias, atque eorum oppreſſione vel defectu vario licet modo, varioque temporis ſpatio vitam exſtingui defectu talium ſtimulorum, quales ad vitam alendam plane requiruntur, dum absque aptis ſtimulis vita perſiſtere non poteſt.

§. 17. Cauſae mortis dividuntur ergo in cauſam proximam, quae ſtricto ſenſu a mortis natura non eſt diſtinguenda, & in cauſas remotas, quae ultimae variam moriendi rationem conſtituunt, & quibus debemus varia illa phaenomena, quae variis in caſibus ſub agone mortis obſervantur. Namque pro varia potentia nocente, quae hominem afficit, pro varia functione, quae ab illa laeditur, & denique pro varia ipſius corporis, in quod impetus fiat, condiditione & diſpoſitione millenae exſurgunt mortis differentiae, atque hinc mors modo cito, modo lento gradu, modo manifeſto impetu, modo clanculum, modo violenter, unoque quaſi ictu, modo ſua quaſi ſponte corpus humanum aggreditur.

§. 18. Verum licet haec ita ſint, in omnibus tamen moriendi caſibus ſemper determinare, quid proprie in cauſa fuerit ſublatae vitae, arduum valde eſt, imo ſaepe fieri non poteſt, quum conſpiratio, quae inter diverſas C. H. partes detur, ſit adeo ingens, ut non facile una functio laedatur, quin & mox omnes reliquae in conſenſum rapiantur; & quum

quum conſenſus ille, licet in ſtatu ſano ſatis ingens, in morboſa affectione adhuc augeatur: tum quod omnes C. H. partes ob praeſentem conditionem morboſam ſenſiliores fiant; tum quod in ſtatu morboſo conſenſus ſe ſe prodeat inter tales etiam partes, quae vigente ſanitate nullam inter ſe habere videntur conſpirationem; hujusmodi e. c. inter renem & ventriculum, nares, aut aſperam arteriam & ſeptum transverſum, atque pedes & ventriculum, in calculo, podagra, hyſteria, & gravedine obſervantur; ſic perſpiratione, impedita ſaepe etiam ciborum concoctio vitiatur, & appetitus minuitur ob inſignem inter cutem & ventriculum conſenſum, quin & dolorem & calorem plantarum pedum ab ulcere in veſica; vel dolorem brachii immanem, ac tandem lethalem, inter urinam reddendam aliquando fuiſſe obſervatos, teſtatur Cl. GREGORY (9).

§. 19. Hinc ratio eſt petenda, cur roſarum, & moſchi odorem, aut flatus incarcerati in hyſtericis vehementiſſimas convulſiones, aut & animi deliquium ſaepe provocant ob irritabilitatem nempe morboſe auctam; ſic a leviſſimo vulnere oritur nonnunquam trismus, & a materie vulgo dicta acri bile in ventriculo haerente per conſenſum oritur ſaepe pectoris inflammatio.

§. 20. Ex dictis patet, quam abſcondita, & ab omnibus ſenſibus abſtruſa illa mortis cauſa remota ſaepe poſſit eſſe, & quam difficile itaque ſit, Mortis cauſas remotas ad generalia quaedam reducere capita, quae inter ſe non concurrunt,

---

(9) Conf. ejus *conſpectum medicinae theoreticae*, Vol. I. Cap. XI. §. 363. & 364. Edinburgi 1790. 8vo.

runt, atque quorum cuivis juſti limites ſunt aſſignati: Cl. M. VAN GEUNS hanc difficultatem omnino perſpexit; hinc poſtquam cauſas mortis remotas quoad mixtionem, mechanismum, & vires diviſiſſet, adjecit, eam diviſionem, utpote unice ordinis gratia factam, non ita ſtricte eſſe ſumendam, ſicuti unum ipſius alterum plane excluderet, quum e contra haec ſaepiſſime invicem concurrere aſſerat (10). In ſua diviſione ergo non accurate capita ſingula poſſe limitari ipſe fatetur. Antequam nunc dicamus de modo, quo noſtra ex mente ille defectus optime poſſit ſuppleri, exponemus viri Cl. opinionem, inquiremusque in fundamenta, quibus ejus ſententia ſtabilitur, ut ſic tandem poſſimus justam formare concluſionem, an ſcilicet juxta Cl. viri diviſionem cauſae mortis remotae rite dividi queant.

§. 21. Omnes remotas mortis cauſas ad tres claſſes, ut ita dicam principales, referre, ſcilicet ad Mechanismum, Mixtionem, & Vires, Cl. VAN GEUNS placuit, quum tria illa in vivente corpore diſtinguenda eſſe cenſet, quam ſententiam ſequenti modo (licet mihi hic ipſis auctoris uti verbis) probat. „ Poſſunt enim, primo, partes ſolidae aeque ac „ fluidae, quatenus Chemiae & Phyſices objecta ſunt, id eſt „ quoad juſtam ſuam mixtionem, & principiorum unionem, „ mutari, & adeo corrumpi, ut ea ſola ratione ad vitam inutiles „ fiant. Vel poſſunt ſolida quatenus Anatomes objecta ſunt, „ id eſt quoad fabricam, nexum, & mechanismum, adeo „ vitiari, & impediri, ut communibus oeconomiae functionibus „ exſequendis prorſus imparia ſint, atque ea ratione mortem „ ni-

(10) Cf. *Diſſ. laud.* §. 6. p. 7.

„ inducant. Vel, tertio, poteſt ipſa partium vis vitalis, „ absque notabili vitio mixtionis, vel ſtructurae ita affici, ut „ vel mox ſuccumbat, vel motuum impetu, & abnormitate „ ſibi ipſi quaſi exitium paret (11)."

Statuit ergo hac in diviſione Cl. VAN GEUNS.

1°. Juſtam mixtionem, atque principiorum unionem per ſe mutari, atque corrumpi poſſe, ſicque animal ſola chemicâ ratione mortem ſubire.

2°. Fabricam, & partium mechanismum per ſe vitiari, atque ratione igitur mere mechanica mortem quoque accidere poſſe.

3°. Vim vitalem absque organicae C. H. compoſitionis mutatione exſtingui poſſe.

Pace Viri praeclari nonnulla videntur in hanc ſententiam animadvertenda.

§. 22. Ex iis, quae ſupra de inſigni partium C. H. conſenſu diximus, jam a priori concludere licet, illas vires ſeparatim conſiderari non poſſe, multoque minus adhuc juxta illas accuratam diviſionem poſſe inſtitui; ſed inſuper vir Cl. inter fabricam & vim vitalem diſtinctionem fecit, manifeſto indicio, ut ille etiam in iſta ſententia fuerit verſatus, vim ſcilicet vitalem eſſe aliquid ſolidis atque fluidis C. H. ſuperadditum, quae opinio quamvis ſolâ, ut videtur, auctoritate firmata, tempore tamen editae illius diſſertationis in ſcholis Phyſiologicis ab omnibus pro verâ aſſumebatur; unde ſequitur, fore ut, ubi cadit illa hypotheſis, illico etiam propoſita a Cl. Viro diviſio,

(11) Vid. VAN GEUNS *Diſſ. laud.* §. 6. p. 6.

ſio, utpote ei ſuperſtructa, cadere debeat. — Si nunc porro conſideremus, quales ab eo tempore, quo illa diſſertatio conſcripta eſt, ad hunc usque diem paſſa fuerit Phyſiologia mutationes, quam egregie intra paucos annos illa Phyſiologorum induſtria novis inventis locupletata ſit, hancce diviſionem minime in calculum venire poſſe, apparet; quippe hodie omnino evictum eſt, proprietates, vel phaenomena, quae in corporibus quibusvis deteguntur, non eſſe niſi effectus, rationem, cur tales ſunt, in peculiari uniuscujusque corporis indole, & unionis modo, ſeu fabrica agnoſcentes; ſic v. c., ut unico tantum exemplo rem probem, a determinatâ unione ſtaminum muſculoſorum producitur muſculus, atque in illo vis determinata, quae Irritabilitas dicitur, quaeque, uti muſculus peculiari organismo ab omnium partium compoſitione recedit, recedit quoque ab omni vi, aliis partibus C. A. inhaerente (12). Id ergo quod ſenſu a Phyſiologis recepto, vulgo vis vitalis appellatur, ut illud egregie demonſtravit amiciſſimus olim commilito doctiſſ. BERNARD (13), ſtricto ſenſu eſt tantum effectus vis, quae ab ejus cauſa, proprie vis appellanda, bene diſtingui debet. Aſt, quum cauſae omnium virium Phyſicarum adhuc abſconditae ſunt, & forſan ſemper latebunt, nil aliud nobis ſupereſt, niſi quod in earum actiones, quae effectus ſunt, accurate inquiramus, atque ita ad earum cau-

---

(12) Cf. *noſt. Diſſ. de cauſſ. abſorpt.* Cap. II. §. I. & 2.

(13) Vid. ejus *ſpecimen inaugurale ſiſtens quaaeſtiones med. argum.* publice defenſum L. B. 1796. 8vo.

cauſas juxta illam regulam, quod qualis effectus, talis cauſa, mediate ſcilicet per ſuos effectus concludimus.

§. 23. Patet ergo, mechanismum & vim, ſeu fabricam & facultatem in corpore humano, ſaltem quoad ſtabiliendas mortis cauſarum remotarum claſſes, nequaquam a ſe invicem ſeparari poſſe, atque e contra ea ſemper eſſe invicem conjungenda; itaque in fato ſenili, morte ſine morbo, vel & Euthanaſia dicto aeque, ac in ceteris ad hanc claſſem a Cl. viro relatis morbis virium vitalium rationem omnino etiam eſſe habendam: etenim vim vitalem ab organorum fabrica pendere ſupra probatum eſt; organismum corporis in ſenectute admodum mutari, nemo facile inficias ibit; propter mutatam ergo in ſenectute ipſam organorum compoſitionem vim vitalem mutationem quoque pati debere per ſe loquitur.

§. 24. Quod autem ad mortem ex vitiis mixtionis materiae attinet, ſolidae & fluidae C. H. partes ut mera objecta Chemiae conſiderari non poſſunt, quum vi vitali, uti §. 1. jam probavi, ſolutionis Chemicæ actio in corpus humanum impediatur; verum quidem eſt, quod in nonnullis morbis, ubi vis vitalis potentiae morboſae violentia fracta eſt, & languet, illae Chemicae vires magis, quam in ſtatu ſano agere poſſint, inde v. g. inclinatio illa ſanguinis ad diſſolutionem in morbo putrido repeti debet, at e contra ab altera parte non minus certum etiam eſt, illam chemicam ſolutionem nunquam locum habere, quamdiu aliquis vitae gradus, licet minimus, ſuperſit. Morbi putridi hinc nobis audiunt tales, in quibus ſummus omnium virium vitalium languor una cum inclinatione partium corporis noſtri conſtitutivarum ad diſſolutionem locum

 ha-

habet; partes enim N. C. in ſummo licet morbi putridi gradu numquam putreſcere ſequenti experimento Cel. BRUGMANS conſtitit; notum eſt, quod ope carnis recentis evolvi poſſit gas aſoticum, at quod, ſi vel minima putredinis nota in carne datur, tunc loco gas aſotici gas hydrogenium ſeu inflammabile generetur: hujus rei periculum facturus vir egregius uſus fuit carne hominis ex morbo putridiſſimo, ut ajunt, confecti: verum enim vero, caro illa, ſi modo paucas poſt mortem horas examini ſubjiciatur, aeque bonum gas aſoticum praebet, ac caro hominis per morbum phlogiſticum e medio erepti, manifeſto indicio, quod ſolutio chemica ſive putredo in corpore vivo locum obtineat nunquam: leges ergo chemicae quatales ad corpus vivum non niſi ſumma cum cautela applicari debent, quum nulla functio mere chemica durante vita in corpore humano detur.

§. 25. Influunt tamen vires chemicae etiam in corpus vivum, & poteſt homo aeque ac cetera corpora chemice affici, probant hunc influxum bene multa phaenomena tam Phyſiologica, quam pathologica, nec non diverſas operationes in corpus humanum agentes, quae non niſi chemicarum virium effectus ſunt.

Sic ab aëre humido perſpiratio imminuitur & corpus redditur laxum, ab aëre ſicco e contra corpus fit aridum ob auctam valde perſpirationem; caloricum etiam pro varia atmoſphaerae temperatura reſpectu C. H. admodum quoque variat; & quantum influant diverſa atmoſphaerae qualitas & electricitas noſtrum in corpus, id nulla demonſtratione indiget; attamen omnes illae chemicae in corpus noſtrum actiones acceſſu vis vitalis modificantur, longeque alio modo,

ac

ac ſi illa corpori mortuo applicentur agunt, hoc eſt legibus animaliſationis, ſit venia verbo, ſubjiciuntur.

§. 26. Omnes igitur actiones chemicae in C. H. ſunt conſiderandae ceu producta compoſita partim, ex legibus chemicis, partim ex iis, qnae in animaliſatione, ſive in conjunctione cum viribus vitalibus acquiſiverunt, quaeque vires ergo jure merito Chemico - animales dici poſſunt. Exemplum praebent ea, quae reſpirationem concomitantur phaenomena; phthyſici, v. g. licet in iis ſaepe magna pulmonum pars corrupta ſit, tamen majorem caloris animalis gradum, quam homines ſani & vegeti poſſident, indicio, quod attractio gas oxygenii, & cum illo conjuncta majoris calorici latentis quantitas non tantum fiat ratione majoris, vel minoris ſuperficiei pulmonum, quae cum aëre atrmosphaerico in contactum venit; ſed imprimis ratione actionis vaſorum pulmonalium.

§. 27. Sed forte alio reſpectu vitia mixtionis materiae in mortis cauſis remotis diverſis conſtituendis conſiderari adhuc debent, ſcilicet tanquam vitia fluidorum primaria; ſed ſi rem accurate perpendamus, patebit, quod iſta mixtionis materiae vitia non ceu morbi, aſt potius ceu morborum effectus conſideranda ſint; conſtat hoc ex conſideratione omnium eorum, quae juxta ipſum auctorem mortem ex vitiis mixtionis materiae arceſcunt; etenim corruptio humorum ſic dicta putrida, gangrena intenſitate frigoris, inflammationis & combuſtionis orta, ulcerum & carcinomatum prava materies, atque omnia reliqua, quae varias humorum corruptiones, ipſamque gangrenam nonnunquam producunt, pro ſententia Cl. Viri plane nihil probant, quum vitiata humorum craſis hiſce

 in

in caſibus, ſicuti in omnibus reliquis, ab in anteceſſum jam mutata continentium agendi ratione derivari debeat; dum ſive praegreſſa imflammatione, ſive frigore, ſive venenis, ſeu quacumque demum cauſa grangrena generatur, illa tamen non aliter producitur, quam quod vis vitalis in tali parte per nimiam actionis violentiam exſtinguatur; quotidiana enim experientia docemur, Irritabilitatem, Senſilitatem, omnesque ceteras virium vitalium ſpecies quam maxime imminui, imo tandem deleri, ſi ſtimulus, aut nimis fortis, aut nimis diu parti cuidam applicetur. Secretionem autem materiae purulentae in carcinomate, & Ichoris in aliis ulceribus eſſe effectum determinatae actionis ſolidorum vivorum probavit Doct. J. VITRINGA COULON (14).

§. 28. Nec ergo hoc reſpectu illa materiae mixtionis vitia in cenſum venire poſſunt; e contra inſignem humorum diverſitatem, tam in ſtatu ſano, quam in ſtatu morboſo unice a varia vaſorum in humores agendi ratione pendere, totius regni animalis oeconomia innumeris confirmat exemplis. Sic e. c. ab oculorum inflammationibus lacrymae nonnunquam ſaporem ſuum ſalſum amittunt, & ſubdulces fiunt (15). — Porro quam ingentes ſunt illae mutationes, quae poſt animi pathemata in ſecretis humoribus obſervamus! — iraſcatur nutrix, & ubera infanti praebeat, venenum loco optimi pabuli infelix tenellus hauriet. — Animal, quamvis mitiſſimum, ſi laceſſatur, ſique tunc ali

(14) Conf. ejus Diſſert. Acad. de *mutata humorum in regno organico indole a vi vitali vaſorum derivanda* publice defenſam, L. B. 1789.

(15) HALLER *Elem, Phyſiol.* T. V. p. 325.

aliquem mordeat, ita ut venenata ſaliva in vulnus infundatur, hunc rabidum & hydrophobum reddet — Luculentiſſima hujus rei exempla exſtant in *actis Chirurgicis Amſtelodamenſibus* (16), ubi refertur inter alia caſus de cane, qui ab adoleſcente laceſſitus illum in pede ſiniſtro mordebat, ille inde lethali aquae metu corripiebatur, atque poſt triduum obibat manente ſano cane; & quod morſus hominis irati etiam alios rabidos reddere valeat, iisdem in actis (17) demonſtratur — quin imo narrat Ill. GAUBIUS, caſum juvenis cujusdam Itali, qui iracundus, ſed vindictae impar, proprium digitum mordebat, atque exinde hydrophobus periit (18). Jam vero non dubito, quin ex omnibus his concludam, fluidorum vitia ad unum omnia a peculiari continentium degeneratione eſſe derivanda.

§. 29. Nolo tamen, ut quis putet, me ſic dictae nervorum pathologiae adeo eſſe amicum, ut, prorſus nihil ad Pathologiam humores contribuere, defendere vellem; inciderunt hi in Scyllam, dum Charybdim vitare ſtuduerunt; habent humores C. H. vires ſibi proprias, gaudent ſanguis, & ceteri C. H. humores non excrementitii ſua quoque vita propria, uti ex ipſo ſanguine humores procul dubio vita gaudentes continuo ſecernuntur, atque ipſe ſanguis in peripneumoniis, aliisque in morbis ſaepe novas membranas,

(16) Conf. *Act. Chir. Amſt.* vol. II. p. 49. & ſeqq., ubi ab expert. GESSCHERO, plura hujus rei obſervata adducuntur.

(17) Conf. p. 56. ejusdem voluminis.

(18) Vid. Ill. virum in *ſermone academico de regimine mentis, quod Medicorum eſt*, p. 12.

nas, imo ipſa vaſa generat, quae & cetera ab Ill. HUFELAND allata argumenta, ſanguinem vi vitali non eſſe deſtitutum, extra dubium ponunt (19). Sed ſi vitali vi gaudeant humores, ad ſtimulos eos quoque reagere debere, apparet. Laborant ergo & ſuis vitiis noſtri corporis humores, atque in morborum curatione ad illos omnino attendendum eſt. — Abſint tamen ideae de acre acidi, alcaleſcentis, muriatici, & neſcio quae plura totam noſtrorum humorum maſſam aliquando infectare auctores ſibi finxerunt, quae opiniones non ex accurata ad lectos aegrotantium obſervatione deſumtae, ſed unice ex tunc temporis vigente craſſa theoria ſtabilitae, hodie ex ſcholis Pathologicis jure merito expungi merebantur. Praeterea quum fluida nunquam primarie, verum ſemper ſecundarie, hoc eſt a jam ante mutato ſolidorum organiſmo afficiantur, eorum morbi ſtricto ſenſu non dantur; unde ſponte profluit, & illos ergo, quoad mortis cauſas remotas in cenſum venire minime poſſe.

§. 30. Cadente ergo hac diviſione, ut ejus in locum aliam, naturae rei, ut videtur, magis adaptatam, ſubſtituamus neceſſe eſt; verum, ut hac in re rite procedamus, nonnulla, quae jam probavimus, in ſummam contracta, hic adducere convenit, hiſce enim una conſideratis, mortis cauſarum remotarum juſtam atque accuratam formare diviſionem non difficile erit Etenim vita totius corporis ortum ducere ex organica partium compoſitione, probatum eſt.

Cauſam proximam mortis eſſe cauſae proximae vitae op-

(19) Conf. viri egregii *opus ſupra laud.* p. 70. & ſeqq.

oppoſitam, idemque tenendum eſſe de cauſis remotis quoque conſtat.

Tot ergo eſſe cauſas remotas mortis, quot ſunt cauſae, quae corporis animalis organismum, a quo vita pendet, deſtruere poſſunt, ex probatis ſequitur.

Jam vero catena virium vitalium duplici modo rumpitur.

1mo. Dum deſtructione totius deletur.

2do. Dum annulus unus alterve excidit, quo nexus totius non amplius ſubſiſtere poteſt.

Ad deſtructionem virium vitalium ſive ad mortem requiritur ergo, vel ut principium vitale univerſale deleatur, aut ut annuli, qui in medio catenae reperiuntur, deſtruantur, nam eos, qui ad extrema catenae dantur, poſſe tolli ſuperſtite vita, non opus eſt, quod moneam, quum tot hiſtoriae hominum mutilatorum non tantum quoad artus ſuperiores & inferiores, ſed & quoad alia organa absque ut mors exinde ſequuta fuerit, rem extra dubium ponant, imo omnes noſtri corporis partes ad ſuperficiem externam collocatas absque vitae totius deſtructione poſſe tolli experientia nos docet.

D PARS

PARS SECUNDA.

DE MORTE EX DESTRUCTIONE PRINCIPII VITALIS.

§. 31. Inter morbos, mortem ex deſtructione totius vitae corporeae adferentes, referri velim non tantum eos, quibus, aut uno quaſi ictu vita totius exſtinguitur, aut ea ſenſim ſenſimque deletur; ſed etiam latiori ſenſu tales, quales licet in omnes C. H. partes non agant, in pleraſque tamen ſuam exercent vim, ſicque catenam virium vitalium non rumpunt ſublatione unius alteriusve annuli, verum deſtruendo praecipuas functiones, vel & harum actionem inpediendo. Tali ratione acceptâ horum morborum definitione, haecce pars in ſeptem ſequentes claſſes apte dividi poteſt; ſcilicet:

Claſſis I. MORS EX PROPRIO MECHANISMO.

—— II. AB ANIMI PATHEMATIBUS.

—— III. EX CALORICO, AUT ABUNDANTE, AUT DEFICIENTE.

—— IV. A STIMULO ELECTRICO.

Claſ-

Claſſis V. EX OMNIBUS GAS SPECIEBUS, ANIMALI OECONOMIAE NOXIIS.

—— VI. EX VENENIS.

—— VII. EX MORBIS UNIVERSALIBUS.

Quamvis haec diviſio omnibus numeris non ſit abſoluta; poterit tamen inſervire, ut quidquid ad moriendi cauſſas dicendum habeo, ordine proponatur. —— Has denique cauſſas ſic per Claſſes diſpoſui, prout plerumque agunt, dum ea, quae ex iis rarius obſervantur, paſſim monui.

CLASSIS PRIMA.

MORS EX PROPRIO MECHANISMO.

FATUM SENILE.

§. 32. Ab hoc genere incipio, quum, etſi, hominem ex morte ſine morbo perire, rariſſime accidat, is tamen naturaliſſimus ſit vitae exitus, qui corpori humano, ipſis vitalibus actionibus juxta ſanitatis leges exercitis, ocius vel ſerius contingit; eadem enim, uti ceterarum machinarum, ſic & noſtrae eſt ſors: ruit homo ex proprio mechanismo ad interitum, & noſtra machina ipſa repetita actione tandem quoque ad actionem inutilis fit; attritus tamen, ut ut ille in machinis mortuis ſolennis eſt, in corpore vivo locum non habet, ſed longe alio modo (uti in poſterum viſuri ſumus) ipſâ vitâ noſtrum deſtruitur corpus. — Phyſiologi tres vitae humanae epochas, ſcilicet incrementum, ſtatum, & decrementum plerumque ſtatuunt; at, ſtricto ſenſu, duae tantum, ſcilicet incrementi & decrementi, locum habent, ita ut a primis vitae incunabilis decrementi ſemen jam adſit, atque in lucem editus infans mox non obſcura futurae mortis praebeat ſigna.

§. 33. In neonato tenera admodum obſervatur cutis, molliſſima eſt tela celluloſa, muſculi deprehenduntur tene-

neri, perioſteum reperitur molle & vaſculoſum, ipſa oſſa maxime ſtatum cartilagineum adhuc tuentur; uno verbo, totum tenelli corpuſculum eſt quaſi ſpongioſum, ac ingenti vaſculorum copia inſtructum; viget plurimum cordis, & ſyſtematis ſanguiferi actio, ſi ſcilicet ea referatur ad aliarum partium actionem, ita ut noſtro ſub coelo primis poſt nativitatem diebus in tenello dormiente per minutum horae primum circiter 140 obſerventur pulſus: creſcere pergit infans, quotidie incrementum capit; attamen eo minus increſcit, quo magis a nativitate recedat: neque mirum, ſolida enim majorem acquirunt tonum, fiuntque fortiora, magis ſtimulo reſiſtunt, & ab eo non ita facile ad actionem incitantur, id eſt Irritabilitas jam imminuitur; etenim, primo aetatis anno nondum abſoluto, teſte accuratiſſimo Naturae obſervatore BLUMENBACHIO, intra idem temporis ſpatium amplius non niſi circiter 124 enumerantur pulſus (20).

Quale notabile Irritabilitatis decrementum! en fatum hominis! illud, quod, ut gradiatur, requirit infans, robur non adipiſcitur, niſi cum aliqua ſolidorum ob auctum tonum imminuta Irritabilitate, hoc eſt, ipſum illud robur jam ad interitum ducit. Sic:

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

§. 34. Increſcit porro Infans, ita tamen, ut ſinguli anni ad ejus ſtaturam addant eo minus, quo ſunt a vitae prin-

(20) Vid. viri Ill. *Inſt. Phyſ.* Sect. IX. de corde p. 77.

principio remotiores (21): augetur partium ſolidarum firmitas, earumque tonus, vigent imaginatio, ceteraeque animi facultates, excitaturque ſexualis inſtinctus, id eſt, incidit in pubertatis annos; nullum obſervatur adhuc decrementum, e contra increſcere adoleſcentem apparet, quum tantum robur requirebatur ad munera exſequenda, quibus Natura hominem deſtinavit.

§. 35. Interim omnes partes magis magisque evolvuntur, & ſolida continuo majorem acquirunt tonum, hinc paulo poſt ad ſtaturae humanae incrementi finem, ſive ad ſtatum virilem delatus eſt adoleſcens, nunc omnes corporis functiones ſummo cum vigore, ſummaque cum conſtantia exercentur, & quoad animi facultates, ut BLUMENBACHIANA utar phraſi, ſumma maturioris judicii praegorativa illi vitae periodo competit; verum ob rigeſcentem jam pro parte cerebri texturam memoria aliquantulum imminuta deprehenditur, ac habitus ſolidior & firmior apparet; ceterum nullum aliud conſpicitur decrementi ſignum, at latet ſub herba anguis.

§. 36. Etenim, dum eaedem cauſae continuo agere pergant, partes, quae nunc non amplius evolutionem patiuntur, quotidie magis indureſcunt, arteriae anguſtiores fiunt, & penitus pedetentim conſolidantur atque muſculi tendinum fere duritiem acquirunt. —— Sed ſolidis juſto rigidioribus redditis, non poteſt, quin omnes vires vi-

(21) Qui hanc rem confirmatam velit, adeat HALLERI *elem. Phyſ.* T. VIII. Lib. XXX. Sect. I. §. 11.

vitales etiam decreſcere debeant, hinc magis magisque ad ſenſuum impreſſiones obtuſiores fiunt nervi, muſculi ſtimulis tarde obediunt, & vis irritabilis cordis, totiusque ſyſtematis ſanguiferi, nec non pulſuum numerus pari ratione decreſcunt; verum Irritabilitate imminuta ſanguis non amplius ad minima vaſa propellitur; innumera igitur vaſcula obliterantur, proportio fluidorum ad ſolidas C. H. partes fit inaequalis, demuum ob inſigniter mutatam ſolidorum fabricam humores quoque obſervantur denſiores, craſſioresque: en ſenectae viridis delineationem!

§. 37. Quum vero continuo eaedem conditiones perſeverent, ſenecta viridis in gelidam tranſit, quam comitantur decrepitorum aridus & exſuccus habitus, ingraveſcens ſenſuum tum externorum, quam internorum hebetudo, & longior ſomni neceſſitas (22). Veneris dudum gaudia fugerunt una cum ſenſu, qui partes genitales excitabat; organorum reactio ad ſtimulos hebeſcit, indeque pendentes oeconomiae animalis functiones ad unam omnes torpent; — hinc inteſtina, amiſſa fere vi irritabili, foeces alvinas longiſſimo tempore retinent; hinc ſecretiones omnes admodum imminuuntur, & tardiſſimae peraguntur; hinc demum cor plusquam dimidii pulſuum, quibus in neonato, imo in infante gaudebat, amiſit; quippe nunc intra primum horae minutum ne quidem 60. abſolvuntur pulſus. Caneſcunt, & pro parte labuntur pili, cadunt quoque dentes. Neque cervix capiti, quod anteriora ver-

(22) Vid luculentiſſimum hujus rei exemplnm apud HALLERUM *elem. Phyſ.* T. VIII. Lib. XXX. Sect. I. §. 22.

verſus, & ad ſternum delabitur, neque crura ob muſculorum rigiditatem & inſenſilitatem corpori ſuſtinendo ulterius debite inſervire valent. Quin, uti pulcre dicit BLUMENBACHIUS, (23) tabeſcunt quaſi ipſa oſſa, univerſae machinae fulcra.

§. 38. Sic tandem ad ultimam omnium rerum lineam, ſeu ad mortem ſine morbo pervenimus; etenim continuo indureſcente magis & magis corpore humano, parique ratione decreſcente vi vitali, cor, vaſaque ſanguifera propellere ſanguinem ad extremas noſtri corporis partes non amplius valent; hinc pulſus & calor in decrepitorum manubus & pedibus fere obſervari non poſſunt; vehitur tamen adhuc ſanguis a corde ad vaſa, ab iisque ad cor redit, & ſic aegre per aliquot tempus alitur adhuc debilitata vitae flammula, mox tamen exſtinguenda, quando ſcilicet ipſum cor nunc demum ſumma acquiſita rigiditate ipſi torrentis vitalis ſtimulo inſenſilis fit, ſaltem ab eo ad ſufficientem motum non amplius ſtimulari poteſt; deficiente autem cordis vi, ſanguis per pulmones non propellitur; cor ergo ſiniſtrum vel poſterius non amplius ſanguinem accipiens ſilet, dum dexter ejus venter cum appenſo ipſi atrio ſiniſtro aliquamdiu ſupervivit, quia poſt extremam exſpirationem redeunti per venas cavas ſanguini via ſueta in pulmones jam collapſos praecluditur, mox tamen & quoque ille ab actione ceſſat, ſicque homo vivere deſinit (24). §. 39.

(23) Vid. ejus *opus oſteologicum* p. 36. & ſeqq.

(24) Cf. de morte ſenili *Philoſ. Tranſ.* Vol. XXV. No. 306. Art. 8. *an account of the death, and diſſection* of JOHN BAYLES *of Nort-*

§. 39. Inevitabilis itaque humanae machinae interitus noſtra ex ſententia a continuo magis aucto ſolidorum C. H. tono, atque abhinc demum orta rigiditate & inſenſilitate ad ſtimulos peti debet. Hanc autem eſſe unicam mortis naturalis, ſeu Euthanaſiae ſenilis, cauſam, & attritum, qualem corpora mechanica mortua experiuntur, hic nequaquam in calculum venire poſſe, vita communis innumeris probat exemplis. Conſpiciamus modo murariorum, ferrariorum, ceterorumque talis conditionis hominum manus, comparemus quaeſo quam maxime exercitas fabri ferrarii manus cum iis tenerae puellae, quantam invenimus differentiam! ſuntne illorum manus ob graves labores continuo attritae iis puëllae teneriores? minime gentium. E contra illae deprehenduntur duriores, denſiſſima calloſa cruſtâ obductae, & ad ipſum ignis ſtimulum non raro inſenſiles: neque hoc eſt mirum, quum illud profluat ex generali Naturae lege, quod omnes ſcilicet C. H. partes, quo magis exerceantur, eo majorem ſanguinis copiam ad ſe trahant, eo citius increſcant; atque brevi tempore ad incrementi punctum perveniant, rigidae, inſenſiles, & ad actionem inutiles fiant. Sic v. g. eodem temporis ſpatio in Veneri deditis plus ſeminis ſecernitur, ac in caſtis, quamvis hi illos robore longe ſuperent; ſic cerebrum eorum, qui ingenium exercent, ceteris paribus, multo magis reperitur evolutum, quam illorum, qui illud non excolunt: rigiditas tamen, & ad ſtimulos inſenſilitas, niſi,

---

Northampton reputed to have been 130. *Years old by* Dr. JAMES KEILL.

niſi, vel accidentibus cauſis, vel juſto vitae regimine haec incommoda avertantur, multo citius his, quam aliis C. H. partibus ſuperveniunt: poſſem adferre millena hujus rei exempla, niſi hoc vetaret inſtituti ratio, allata quippe in rei probationem jam ſufficiunt.

§. 40. Quod vero ad oſſium ſic dictam tabem ſenilem attinet, oſſa non tantum minora, v. c. oſſiculum unguis, verum etiam omnia, licet craſſiſſima, in ſtatu ſenili tabeſcere, & ſpecifice multo leviora fieri, dubio caret omni: minime tamen hoc phaenomenon attritui debetur, ſed explicari debet ex alia Naturae lege, praecedenti non minus generali, juxta quam omnes C. H. partes, quae non amplius uſui inſerviunt, volumine & pondere inſigniter minuuntur; nam abſorbentium actio incitatur, ſimul ac pars quaedam viva nullius evaſerit utilitatis, hoc etiam fieri in aetate juniori exemplo glandulae thymi probavit Cl. VAN MAANEN (25), & hujus effati veritatem confirmant bene multa Naturae phaenomena; ſic coecorum oculi una cum orbitis etiam in ſtatu juniori illaeſis oculis multo reperiuntur minores, &, extremitates hominum paralyſi laborantium, quamvis hi ceterum optime valeant, & juniores adhuc ſint, ſemper tamen valde extenuatae, aridaeque deprehenduntur.

§. 41. Pulcre inſuper confirmant hanc theoriam tum hiſtoriae hominum longaevorum, tum cauſae, quae ad vitam prolongandam optime faciunt; nam, licet nullum

(25) Vid. ejus *Diſſ. de abſorptione ſolidorum* publice defenſam, L. B. 1794.

lum detur animans, quod fatum effugere poteſt, multa tamen vitam prolongare vel juſto breviorem reddere valent; omnia, quae vel fibras conſtringunt, aut quae nimis violenter agunt, rigiditatem perque eam ipſam mortem inducunt; dum e contra iſta, quae illam praecavent, aut ejus progreſſum ad minimum tardiorem reddunt, ceu totidem longaevitatis cauſae jure merito ſpectari debent: hinc Veneri & Baccho deditis, ſi ad ſenectutem aliquando perveniant, prae aliis citius rigeſcunt: eandem ob rem cholerici, qui lautius vivunt, eruditi, &c. vulgo brevioris reperiuntur aevi: etenim inter animi dotes & longaevitatem nullum eſſe vinculum, atque e contra mente captos longaevos ſaepe eſſe, a longo tempore jam evictum eſt, quam rem Ill. HALLERUS ſummo, ut videtur, jure ita explicavit „ quod nempe curis careat gens „ inſanorum, neque ruſtica tribus valde prematur, quae ab „ ambitione ingenii, aut dignitatis libera, neque praeteri„ torum poenitentia ſe ſe macerat, neque futurorum angit „ cura (26);" en cauſas! quae licet diverſimode admodum agunt, omnes tamen rigiditatem inducunt. Quum e contra, eos, qui Cerere & Baccho modice uſi fuerunt, nec Veneri ſeſe nimis dederunt; uno verbo qui omnibus mediocriter fruiti ſunt, atque temperamento laxiori & non admodum irritabili gaudebant, vitam prae aliis protraxiſſe longiorem, auctores referant, & quantum etiam in valetudinario juſtum vitae regimen efficere queat, centenus CORNARUS ſuo docuit exemplo.

CLAS-

(26) L. l. p. 116.

CLASSIS SECUNDA.

MORS EX ANIMI PATHEMATIBUS.

§. 42. Poſt Fati ſenilis pertractationem debent ſequi ſtimuli varii, quorum perverſa actione vitale principium peſſumdatur: inter eos autem ab Animi pathematibus exordior, quoniam, ſi haec, licet etiam ſine morbo in omnibus obſerventur, tamen ſi juſto intenſiori gradu agant, totidem morboſi ſtimuli ſiunt, atque igitur naturalem nobis ad morbos ipſos tranſitum praebent. Hae Animi commotiones reſpectu effectuum, quos in corporis oeconomiam exercent, generatim in *excitantes* & *deprimentes* a Phyſiologis dividi ſolent. Inter priores pertinent gaudium, amor, ſpes, ira &c.; dum triſtitia, odium, livor, metus, terror, &c. inter poſteriores recenſentur; de hiſce omnibus interim agere, noſtrum non eſt; quum animi pathemata eatenus modo a nobis ſint conſideranda, quatenus ex eorum vehementia ſubitanea inferatur mors. Itaque trium tantum nobis incumbit pertractatio ſcilicet Gaudii, Irae, & Terroris, quum cetera, probante hoc eleganter Cl. VAN GEUNS (27), vires conſumendo perniciem quidem ſenſim ſenſimque adferunt, neutiquam vero ipſam vitam praecipitant, & necant.

Sequitur ergo.

O R-

(27) Cl. *Diſſ. laud.* §. 39. p. 32.

ORDO PRIMUS.

ANIMI PATHEMATA EXCITANTIA.

GENUS PRIMUM.

GAUDIUM.

§. 43. A nimio Gaudio hominem mori poſſe, non eſt, qui dubitat, dum multos tali modo e medio ſublatos fuisſe fide digniſſimorum auctorum conſtat teſtimoniis; en eorum aliquot exempla! CHILO SPARTANUS unus ex ſeptem Graecorum ſapientibus, videns in certaminibus Olympicis filium coronari, eum amplectitur, & ipſo momento mortuus cadit. (28) Smilis exempli meminit GELLIUS (29). Sic SOPHOCLEM Poëtam tragicum, ob carminum ſuavitatem celebrem, victorem in tragoedia pronuntiatum ex inexſpectato Gaudio ſtatim animam efflaviſſe, auctor eſt VALERIUS MAXIMUS. Legimus apud LIVIUM, quum HANNIBAL Romanos in praelio apud cannas deviciſſet, duas feminas videntes ſuos filios,

(28) Vid. PLINIUS *Hiſt. Nat.* Lib. VII. cap. 3.
(29) Cf. *noct. attic.* Lib. III. cap. 15.

filios, quos in occiſis eſſe fuerant ſuſpicatae, ſoſpites e pugna reduces, prae laetitia eſſe mortuas. Idem accidit Matronae haeredi acutiſſimi LEIBNITZII a reperto ex improviſo nummorum aureorum acervo (30). Imo refert Ill. BOERHAAVE (31), piratam ſceleſtiſſimum & crudeliſſimum hominem prae ſumma laetitia mortuum eſſe, quum filium ſuum, quem perditum putabat, non tantum ſoſpitem, ſed & ſummis honoribus condecoratum eſſe, ei nunciaretur.

§. 44. At quomodo homo ex nimia laetitia moriatur, id non ita facile eruitur: cadaverum enim diſſectiones eorum, qui ex laetitia mortem paſſi fuerunt, quantum novi, deſunt (32): oportet itaque, ut ex accurata perſcrutatione tum ejus naturae, tum ſymptomatum, quae talem mortis ſpeciem concomitari ſolent, ad ejus cauſam concludamus.

§ 45. Gaudii & laetitiae ſenſum pro humana natura gratiſſimum ſiſtere ſtimulum, & cujus (ſi modo immodicus non eſt) effectus ſemper eſſe ſalutiferos, nemo inficias

---

(30) *Dans la vie de* Mr. LEIBNITZ *miſe devant ſes eſſays de Theodicée.*

(31) Vid. ejus *praelect. Acad. de morb. nerv. edit.* VAN EEMS, T. II. de ſympathiâ p 455. & 56.

(32) Proſtat quidem in *Miſcell. cur.* Dec. 3. an. 9. p. 293. talis cadaveris diſſectio a VATERO inſtituta. At, quum ſcripſerit memoratus auctor, absque pericardio cruore valde extenſo & turgido nullum aliud ſe reperiſſe vitium, ex illa diſſectione nil quoad mortis cauſam concludi poteſt.

cias ibit; hoc adeo verum, ut Gaudium inter cauſas ad ſanitatem ac longaevitatem maxime facientes ab omnibus recenſeatur, atque ab ejus vi leniter ſtimulante humanum genus non parum commodi experiatur; quum humorum, praecipue ſanguinis circuitus, inde fiat liberior, citatior, pulſusque celerior, ac omnes ſecretiones & excretiones optime, citoque peragantur. Sed ſi ſtimulus ille ex improviſo, & ſumma cum vehementia noſtrum in corpus impetum faciat, tunc ſanguis citiſſime per omnia vaſa vectus tanta copia obruit cor, ut illud inſignem adeo quantitatem recipere impar ob enervatam ipſius virtutem muſcularem deliquium patiatur, & hanc ob rem a Gaudio ſubito & nimio toties oritur Syncope: At, & quod hic caput rei eſt, quum ſic tanta cum velocitate per totum corpus vehatur ſanguis, copioſius ad cerebrum quoque defertur, quod ob teneram texturam, non impune talem perfert vim, eoque minus, quia propter languentem vim cordis ejus refluxus a capite verſus cor impeditur: a ſanguine igitur ita violenter in cerebrum irruente, aut illud comprimi, aut ruptis vaſis laticem effundi vitalem neceſſe eſt; ac, dum in utroque caſu tantum non ſemper lethalis ſequitur Apoplexia, homines prae effuſa laetitia mortuas ex Apoplexia diem obiiſſe ſupremum, ex allatis videtur concludi poſſe.

§. 46. Ad hancce noſtram de cauſa mortis ex ſubitaneo & nimio gaudio ſententiam accedere videntur ſummus HALLERUS, & hujus Academiae olim ornamentum GAUBIUS; quorum prior de tali mortis ſpecie agens dicit „ qui id fiat, non ſatis novimus, — Apoplexiam fieri ſu„ ſpiceris, incitato in cerebrum ictu ſanguinis, ita rubor,

„ ca-

„ calor, deliquium ſuadent (33).” Multo clarius tamen ſuam hac de re opinionem explicuit Ill. GAUBIUS; ait enim ille „ Gaudii comitem eſſe non tantum auctiorem & expe„ ditiorem circulationem, ſecretionem, ac excretionem; ſed „ & inſomnia, inſaniam, virium reſolutionem, quin mortem „ apoplecticam, ubi nimium eſt, & improviſum” (34).

§. 47. Noſtra igitur ſententia, juxta quam Gaudium unice necat ex nimia ſanguinis copia qua cerebrum obruitur, tum Gaudii natura, tum mortis ex eo ſymptomatibus probatur; haec enim eſt ratio, cur a Gaudio, nimio licet, ſi modo ex improviſo non accidit, moriatur nemo; ſanguinis ergo qualitas hocce in animi pathemate morboſe non afficitur, verum ob inordinate auctam ſyſtematis circulatorii actionem id tantum fit lethale. Non objiciat quispiam, animi pathemata in totum corpus agere, omniaque per nervos, & per hoſce ſolos in corporis oeconomiam ſuam exercere vim; nam quamvis ab una parte hoc diffitendum non ſit, ab altera tamen non minus quoque eſt verum, quod aliae ſenſationes toto cum corpore per nervos communicentur, prout ſcilicet Animi pathema varium fuerit: hinc tot varii ſequuntur effectus, quot diverſae dantur corporis per nervos ſenſationes; ſic ab Ira organa bilem ſecernentia, primaeque viae, a Terrore cerebrum, & a Gaudio ſyſtema ſanguiferum prae ceteris afficiuntur; hoc adeo ma-

(33) Vid. ejus *Elem. Phyſ.* T. V. Lib. XVII. de ſenſibus internis, Sect. II. §. 5.

(34) Conf. GAUBII *Inſt. Pathol.* §. 542.

manifeſtum, ut ex illo fonte diverſum quam maxime iſtorum agendi modum, ac rationem, cur nonnulla organa prae ceteris patiantur, petenda eſſe, norunt omnes.

GENUS SECUNDUM.

IRA.

§. 48. Altera animi commotio, ad hunc ordinem pertinens, dicitur Ira, eſtque ea a Gaudio toto coelo diverſa; dum validum illud animi pathema non tantum eſt ſtimulus excitans, ſed & ſumma cum violentia omnia H. C. organa ad actionem incitat; hinc blandi laetitiae ſtimuli adinſtar, modico licet gradu, minime ad longaevitatem confert, verum e contra cholericis & ſanguineis ſemper eſt noxia, etſi temperamentis frigidis praecipue in ſtatu morboſo, ſi non nimius eſt, ob violentiam, qua totum agit in corpus, multa bona ſaepe praeſtitiſſe, atque hiſce in caſibus in morbis pituitoſis, & paralyſi aliquando cum euphoria excitatam fuiſſe, venerandus docet Medicinae Parens (35) aliique bene multi (36).

§. 49. Haec adeo vera ut non tantum Medici, ſed & Poëtae hac de re teſtentur: HOMERUS, qui Naturae actio-

(35) Conf. ejus Lib. II. *Epidem.* Sect. IV.

(36) Vid. inter alios Cl. HORSTII Lib. III. conſ. Epiſt. XII.

tiones adeo pulchre ubique expreſſit, iratos AGAMEMNONIS oculos igni ſimiles deſcripſit (37): alio loco, ubi de ACHILLIDE a THETIDE allata arma conſpiciente, mentionem facit, dixit, ſtatim ira ſubit, & oculi terribiliter ſub palpebris tanquam jubar apparebant (38); VIRGILIUS illam propter violentiam alia quoque animi pathemata exſtinguere, AENEIDOS docet exemplo, qui, quum victi TURNI precibus fere ad miſericordiam eſſet perductus, ad conſpectum baltei PALLANTIS a TURNO occiſi ita iraſcebatur, ut de ejus gravi animi commotione ſic canat Poëta:

Ille oculis poſtquam ſaevi monumenta doloris,
Exuviasque hauſit, furiis accenſus, & ira
Terribilis, tune hinc ſpoliis indute meorum,
Eripiere mihi? PALLAS *te hoc vulnere* PALLAS,
Inmolat, & poenam ſcelerato ex ſanguine ſumit (39).

Quin vehemens Irae ſtimulus adeo potenter corpus noſtrum afficit, ut non tantum bilis ſecernatur depravata, ſed & ceteri ſecreti humores blandorum ſuccorum loco venenifera referant liquida (40).

§. 50.

(37) Lib. I. *Iliad.* p. 7.
(38) Lib. XIX. *Iliad.* p. 346.
(39) Conf. AENEID. Lib. XII. in fine.
(40) Conf. F. DEJAN, *commentaria* in GAUBII *Inſt. Pathol.* T. III. p. 1. §. 542. nec non *hujus diſſert.* caput primum.

§. 50. Quamvis ex iis, quae de Irae natura huc usque monui, illam laetitiam vi letifera ſuperare, jure ſtatui poſſe videatur, & ea revera, ſi non majori, aequali ad minimum hominum numero vehementiae ergo intulerit mortem, plerumque tamen morbos potius provocat lethales, quam quod ipſa immediate adferat pernitiem; ſicque ergo a Gaudio non tantum differt quoad cauſas, agendique modum, ſed & quoad ſubitum effectum; id, illis animi pathematibus inter ſe comparatis, inde videtur eſſe explicandum; quod ſcilicet Gaudium, licet ejus adſit ſummus gradus, nunquam tamen tam violenter H. C. ad actionem ſtimulet, neque organis, v. c. cordi, pulmonibus, & cerebro, Irae adinſtar adeo validum addat robur, ut ſanguinem iterata vice propellere valeant; hinc animi deliquium & Apoplexia ab Ira multo minus quam a Gaudio obſervantur, quum primo in caſu cor, pulmones, & cerebrum ab accepto, & qualitate mutato, ſanguine ita irritentur, ut eorum vaſa ſumma cum vi ſeſe contrahant, ac vitalem laticem a centro ad corporis peripheriam repellant. Igitur ſanguis in Ira quidem aeque ac in Gaudio dato temporis ſpatio majori copia ad cor, pulmones, & cerebrum fertur; verum quum vaſa ob auctum eorum tonum maximam torrenti vitali offerant reſiſtentiam, atque ad ſtimulum valde ſeſe contrahant, mox iterum verſus extremas N. C. partes revehitur ille.

§. 51. At etiamſi ſic non illico necat, mortisque ſubitaneae ab Ira inductae exempla ſunt rariſſima, non minorem tamen efficit noxam, imo potius omnes ceteras animi commotiones hac in parte antecellit; nihil enim tam celeriter febrim acutamonbilioſam, aut & bilioſo inflammato-

 riam

riam concitare poſſe, quam ipſum iracundiae vehementiorem effectum, jure merito aſſeruit Ill. HOFFMANNUS (41).

§. 52. Praeterea illa inflammatio non genuina eſt, ſed plerumque impura a depravata bile orta, atquae ſaepe cum febre bilioſa aut putrida conjuncta, hinc ſummus STOLLIUS, Iram per aeſtatem magis noxiam, quam durante hieme ſeſe obſervaſſe ſcripſit (42). Eandem ob rem illa etiam multo eſt periculoſior, multoque celerior in gangrenam tranſit: nam hoc malo inflammationes impuras prae ceteris affici, inter Practicos conſtet omnes. Prout autem illa materies morboſa varie modificata ſit, nec non pro diverſa hominum conſtitutione varia organa ab ea afficiuntur, ſicque morbi oriuntur pro diverſis partibus, quas illa occupat, admodum diverſi, quos omnes tamen, quum hujus loci non ſint, ſicco pede tranſeam, mox ad explicationem mortis ex Ira tranſiturus (43).

§. 53. Hominem, etſi hoc raro contingat, tamen ex ni-

(41) Conf. F. HOFFMAN *Opera omnia* T. II. P. II. de *Pathologia generali* Cap. I. §. 12. in ſcholio.

(42) Vid. viri Ill. *Rat. Med.* Part. II. Cap. XII. p. 177.

(43) Qui interim eorum deſcriptionem legere cupit, adeat HOFFMANNI (1) & STOLLII (2) recenſita opera, nec non *diſſertationem* Cl. VAN GEUNS, qui bene multa hujus rei congeſſit exempla (3).

(1) Vid. l. l. §. 13. & ſeqq.

(2) L. c. p 176. & ſeqq.

(3) Conf. *Diſſert. Laud.* §. 30. p. 32.

nimia Ira ſubitanea etiam morte mulctari poſſe, Cl. BRUHIER ſequenti docuit exemplo; refert nempe de muliere, quae perfecta corripiebatur ſyncope propter gravem Iram, qua in proprium exardebat infantem, & brevi animam reddebat: en hiſtoriam, quae juxta Irae phaenomena ſic optime videtur explicari poſſe; notum eſt, in iracundis reſpirationem eſſe celerem, ſolitoque concitatiorem, atque inſpirationes eſſe breves, & valde imperfectas, quum ob validam, ſpasmodicam, omnium partium Irritabilium contractionem thorax non ſolito pro more ampliari valeat; illi nunc effectus quoad reſpirationis organa obſervantur eo majores, quo quis graviori afficiatur Ira: hinc iratus homo brevi anhelat, ſpiritumque vix ducere valet: ſi Ira nunc non ceſſat, verum aliquam ob cauſam continuatur, aut adhuc incitatur: tunc reſpiratio impeditur, quia ſanguinis copiâ adeo in pulmonibus accumulatur, ut hi eum ferre & propellere nequeant, itaque pulmonum vaſis ſupra tonum dilatatis, & congeſtione ſanguinis ibi facta, illi affluentem ex corde dextro vitalem laticem recipere haud valent, hinc is refluit ad cor dextrum, illud obruit, oritur ſyncope, & tum prae nimia ſanguinis copia, tum prae ipſius depravata qualitate ſuffocatio inducitur, id eſt, aliis verbis, prae nimia Ira ſuffocatur homo.

Haec explicatio omnium optime cum Irae phaenomenis congruere videtur, eaque igitur tam diu utemur, donec aut melior inventa fuerit, aut nobis hac in re major affulſerit lux.

ORDO SECUNDUS.

ANIMI PATHEMATA DEPRIMENTIA.

TERROR.

§. 54. Ad hunc ordinem Terrorem refero, etiamſi illum inter animi commotiones excitantes referre, eique adſcribere effectus Irae analogos, multis Phyſiologis interque eos Ill. HALLERO placuerit; dum Terroris phaenomena, ejusque effectus, ex quibus unice Animi pathematum diviſio peti debet, omnino pro noſtra ſententia militant; Terroris enim effectus ſunt ſpasmodica partium externarum conſtrictio, qua ſanguis a corporis peripheria ad centrum propellitur, hinc illa animi commotio cor in palpitationem, & pulmones in angorem conjicit; hinc vaſorum detumeſcentiam, pulſuum debilitatem, frequentiam, nec non pallorem, frigus, congeſtiones, imo abortum parit, evacuationes ſupprimit, atque ſubito necat (44); & ſi non necet, admodum disponit ad morbos, qui a ſecretionibus, & ex-

(44) Vid. HOFFMAN *Opera omnia*, l. c. a §. 19. ad §. 24 ubi etiam exempla, ea, quae diximus, apprime probantia, non deſiderantur.

excretionibus impeditis, & a ſanguinis retropulſione verſus interiora oriri ſolent (45).

§. 55. Recenſita autem ſymptomata totidem pro ſententia, quam amplectimur, ſiſtere argumenta, non opus eſt, quod moneam, quum ab una parte hac de re dubitat nemo, & ab altera adverſariorum objectiones, ſi eas rite perpendamus, etiam non magni eſſe valoris, nobis conſtabit, namque catameniorum reſtitutum fluxum, Haemorrhagias, Inflammationes alvique fluxum, bilisque ſubitum motum, ac omnia reliqua, quae aliquando a Terrore obſervata fuiſſe, aſſerit Ill. HALLERUS (46), minime Terrori qua tali, ſed deſperationi, id eſt affectui ex Terrore & Ira compoſito eſſe adſcribenda, ex ipſis allatis patet ſymptomatibus: etſi non negem, eorum nonnulla iis in caſibus, ubi Terror tantum fuerit levior, ab actione virium Naturae medicatricium, qua ſubito ſanguinis refluxus verſus corporis peripheriam locum habet, peti poſſe, imo nonnunquam debere.

Nec majoris ponderis eſt alterum eorum argumentum, quod ſcilicet Terror quaſſet violentiſſime ſyſtema nerveum, ſpasmos, convulſiones, imo ipſam inducat Epilepſiam; dum nil contradictorii involvit, ab Animi pathemate deprimente oriri poſſe Morbos, in quibus durante eorum paroxysmo vis vitalis exceſſus locum habet, ſed e contra

(45) Conf. GAUBII & HOFFMANNI l. l.

(46) Vid. *Elem. Phyſ.* T. V. Lib. XVII. Sect. II. §. 6. p. 586 & 587.

tra id ſaepe accidere, tranſitus primi ſtadii febris intermittentis in ſecundum nos tantum non quotidie docet.

§. 56. Effectus autem vehementis Terroris non raro eſſe vitae cum ſubitanea morte commutationem a Veteribus jam fuit annotatum: legimus apud PLINIUM, PUBLIUM RUTILIUM illico exſpiraſſe, quum fratrem in conſulatus petitione repulſam tuliſſe, ei nunciaretur (47); hoc recentiores multis confirmant exemplis, ex quibus duo modo proferam ſpecimina, quorum unum exſtat apud Ill. LANCISIUM; „ de Optimate quodam ſene ac valetudina-„ rio, qui tranquille alicubi coenans improviſo accipiebat „ nuntium de adventu ſibi neque grato neque honorifico „ conſanguinei ſui, & ſtatim ſideratione ſublatus eſt (48).” Alterum reperitur in *Philoſophicis Transactionibus* (49) de cane Moloſſo vegeto, qui e ſomno tormentorum bellicorum exploſione excitatus decurrebat quaquaverſum anxius, & tremens, donec praeceps ruit mortuus ſanguine ore effluente, qui plura adhuc deſiderat exempla, conſulat HOFFMANNUM, VAN GEUNS, ibique citatos auctores.

§. 57. His praemiſſis moriendi ratio ex Terrore explicatu facilis erit; nam ob conſtrictum corporis habitum externum ſanguis verſus vaſa majora cogitur, ruit igitur in cor, pulmones & cerebrum, quae ſanguine obruuntur: ſi nunc affectus aut nimis vehemens fuerit, aut ſi corpus affe-

(47) Conf. ejus *Hiſtor. Natur.* Lib. VII. Cap. XXXVI.

(48) Conf. LANCISII *Opera omnia* T. I. de ſubit. mort. Lib. I. Cap. XI. §. 12.

(49) Conf. *Phil. Tranſ. Abridg.* by BADDAM Vol. III. p. 239.

affectum juſto fuerit debilius, tunc organa, talem impetum ferre imparia, ſanguinem non amplius propellunt, verum agere deſinunt. Prout autem aliud organum prae alio exiſtat debile, eo majori cum impetu verſus illud vehitur ſanguis, eoque celerius, & facilius id a ſanguine obruitur; hoc eſt aliis verbis, etſi omnes, qui ex Terrore animam efflant, ex improviſo, & illico moriuntur; illorum cauſa mortis remota in variis ſubjectis differt tamen, prout ſcilicet iis vel cerebrum, vel cor, vel denique pulmones debiliora fuerint, ſic quidem, ut aut apoplectici, aut ſyncoptici, aut demum ſuffocati diem obeant ſupremum, dum plerumque tamen Apoplexia e medio tolluntur.

CLASSIS TERTIA.

MORS EX CALORICO, AUT ABUNDANTE, AUT DEFICIENTE.

§. 58. Quum Caloricum, prout vel nimium abundet, aut e contra deficiat, non tantum modo admodum diverſo hominem afficiat, ſed etiam ejus moriendi ratio valde differat: hanc Claſſem in duos dividere ordines convenit.

ORDO PRIMUS.

MORS EX CALORICO NIMIO.

GENUS PRIMUM.

CALOR NIMIUS.

§. 59. Etſi BOERHAAVII opinionem (50), hominem nequaquam vivere poſſe in medio, quod fervore ſupe-

(50) Vid. viri Ill. *Elementa Chemiae* T. I. parte altera p. 192. L. B. 1732. 4to.

peret nativum ejus calorem animalem, nullatenus in Naturae obſervatione fundatam eſſe, tam per Cel. H. ELLIS eximias obſervationes (51), quam per experimenta a Cl. A. DUNTZE (52) in animalibus capta, extra dubium ſit poſitum; quin imo potius inter ſumma hominis privilegia pertineat, quod is nulli terrarum zonae adſtrictus per univerſum orbem vitam protrahere, atque tam novae Zemblae gelidiſſimi climatis rigores, quam torridi coeli Senegae fervores perferre valeat: non quemvis tamen caloris gradum ſufferendo ille par eſt; unde in calidiſſimis regionibus bene multis jam expoſitus eſt morbis: hujus rei teſtes ſunt Tetanus & Phrenitis, atrociſſimi illi morbi, & ſaepe in mortem terminandi, nec in iſtis regionibus infrequentes, praeſertim ſi homines ſub dio ardentem ſolem per longum tempus experiantur; ſin autem ille calor, jam per ſe ſatis immodicus, aliquam ob cauſam adhuc patiatur exceſſum, mox actum eſt de vita hominis; hinc ſummus caloris gradus, quem animalia calidi ſanguinis perferre poſſunt, in cane, qui a Cl. DUNTZE, vaporario incluſus erat, fuit gradus 146 ſcalae Fharenh., ille tamen poſt 57 minuta periit (53), atque multi alii canes, a viro egregio ſimili modo vaporariis incluſi, gradu caloris praecedenti longe minori jam e vita ſublati ſunt (54). Imo multos homines

107

(51) Conf. *Philoſ. Tranſ.* Vol. L. Part. II.

(52) Vid. ejus *Experimenta de calore animali*, L. B. 1754. 4to.

(53) Conf. l. l. *Exper.* 4.

(54) Vid. l. l. *Exper.* 1, 2, 3; 5 & 6.

107 gradus ſcalae Fharenh. tantum, nec ultra tolerare poſſe GALLORUM probant obſervata (55). Quin in ipſis Europae aeſtubus nonnunquam homines, & animalia ſubito periiſſe, allatis exemplis nos docet Ill. HALLERUS (56), & licet vir egregius eodem loco referat exempla aegrorum, qui 130 grad. Fharenh., per 7 vel 8 minuta paſſi fuerant, diutiusque toleraturi, ſi conſuetudo acceſſerit, eos tamen omnes, ſi ſcilicet calor ille per ſat longum tempus continuarétur, vitam cum morte eſſe commutaturos, nullus eſt, qui dubitat.

§. 60. Sed ratio moriendi illorum, qui ſic occiduntur non ita liquet: ſi ex analogia ab effectibus caloris minoris ad majorem ejus gradum concludere nobis liceat, tunc calorici ſtimulus, qui minori gradu animali oeconomiae adeo eſt amicus, utpote omnia organa blande ad actionem ſollicitans, majori gradu plane contrarios praeſtabit effectus, ſedantis adinſtar aget, vitamque deprimet, & ſi iſte, quocumque demum modo, adhuc intendatur, tunc eam prorſus peſſumdabit; ſeu aliis verbis per immodicum calorici ſtimulum, aeque ac per reliquos omnes nimis violenter agentes, principium vitale exſtinguitur.

§. 61. Saltem noſtra pro explicatione videntur facere phaenomena, quae quamvis in climate temperatiori degentes aeſtatis tempore aura calidiſſima, ſilente omni vento etiam nosmet ipſi in proprio corpore experimur; quam debiles enim,

(55) Vid. *Memoire de l'Academie*, 1752. p. 637.

(56) Conf. ejus *Elem, Phyſiol.* T. II. Lib. V. Sect. 1. §. 2. p. 34.

enim, torpidosque mente & corpore, ac quaſi diffluentes eo tempore nos nosmet ſentimus; & iſta ſententia magis adhucdum confirmatur, ſi memorata phaenomena comparemus cum iis, quae hominibus ſub zona torrida viventibus contingere ſolent: etenim illorum muſculi reperiuntur flaccidi, molles, ac ad motus inertes; uno verbo totus incolarum habitus vis vitalis torporem annunciat, atque una cum corporis energeia perit & mentis vigor, ut omnium itineratorum unanimi teſtimonio ambo non niſi voluptatum, & deliciarum capacia videantur.

Notandum vero, illud, quod hic de effectibus caloris dixi, quam maxime verum eſſe, ſi temperaturae calidae accedat humiditas; ſin e contra atmosphaera ſit calida & ſicca, incolae earum regionum quidem ſunt non ita fortes, verum tamen agiles, & animi facultatibus non infimi; in tali autem caſu, ſi calor patiatur exceſſum, non pereunt ex torpore, ſed ex ſtimulo calorici nimis forti, quam ut ſolida huic reſiſtere queant.

GENUS SECUNDUM.

AMBUSTIO.

§. 62. Si caloricum ad gradus 212 ſcalae Fharenh.: ſeu ad aquae ebullientis temperaturam evehatur, effectus, quas tunc exſerit, ambuſtionis ſub nomine veniunt; talis calorici gradus, ſi modo per momentum cum corpore noſtro communicetur, ejus habitum externum valde inflammat,

& ſi ille gradus per aliquot tempus ei applicitus maneat, aut caloricum magis adhuc intendatur, organica corporis animalis compoſitio prorſus deſtruitur, hinc ambuſtionis effectus pro varia caloris admoti intenſitate variant admodum, quamobrem Chirurgiae ſyſtematicae auctores ad minimum ejus quatuor referunt gradus: ambuſtionum tamen prognoſis non tantum a gradu caloris, ſed etiam a partis ambuſtae extenſione pendet, hinc jure merito docet Ill. RICHTERUS (57), ambuſtionem maximi ſive quarti gradus, & parvae modo extenſionis ſaepe omni prorſus periculo carere, atque e contra eam primo in gradu at totam aut ſaltem maxima pro parte corporis peripheriam occupantem periculoſiſſimam, imo lethalem eſſe poſſe; & ejusmodi caſum, ubi nimirum mors primum ejus gradum ſubſequuta fuerit, ſe Groningae obſervaſſe, nobiſcum in praelectionibus domeſticis communicavit aeſtumatiſſimus Praeceptor Cel. DU PUI. Huic autem morbo aegroti ſuccumbunt vel ex graviſſima inflammatione, vel ex ſpasmo, vel a larga ſuppuratione marasmum inducente, aut denique ex gangrena & ſphacelo: omnes illi exitus nunc a nobis conſiderandi forent, niſi hujus inſtituti ſcopus eſſet in parte tertia hujus Diſſertationis de hiſce omnibus ex induſtria ſeparatim agere, quare iſtorum pertractationem ad illam differemus.

O R-

(57) *Elem. Chirurg.* Cap. V. §. 200.

ORDO SECUNDUS.

CALORIEUM IMMINUTUM.

FRIGUS NIMIUM.

§. 63. Uti hominem perire ob ingentem Calorici exceſſum ſupra vidimus, ſic & ſufficientis ejus quantitatis defectus mortem inferre valet; cujus rei explicationem ex ipſa rigoris natura dare mihi facile eſt: neminem enim fugit, Frigus in minori gradu ſtimuli excitantis adinſtar in noſtrum corpus agere, partium ſolidarum tonum, hincque pendentem fluidorum motum augere, ac, ab eo ſtimulo aucto partium tono, omnes H. C. functiones majori cum efficacia peragi, nec non vis vitalis vigorem increſcere; hinc explicandum, quod calor animalis fere ſemper ſibi ſimilis reperiatur, eundemque perpetuo obſervet gradum, etiamſi homo aut gelidiſſimo climati expoſitus fuerit, aut torrida ſub zona vitam degat; imo ſaepe calor animalis incrementum capit, ſi frigidum experiamur coelum, dum robur vaſorum, caloricum liberum parantium, a Frigore augetur.

§. 64. Verumenim vero majori in gradu ſtimulus ille fit morboſus, producitque nervorum irritationem ingratam, do-

dolorificam, pectoris contractionem, horripilationes, tremores, totius corporis pallorem, rigoremque, & ſi tale Frigus per longum duret tempus, aut magis adhuc increſcat, tunc non tantum omnia phaenomena ſecundi, ut ita dicam, Frigoris ſtadii intenduntur, ita ut ſolida nunc reddantur plane rigida ac immobilia, ſed & obſervantur ſtupor, ſenſus motusque diminutio, abolitioque, circulationis difficultas, ejus ſuppreſſio, anxietas, laſſitudo, ac denique invincibilis in ſoporem inclinatio, imminentis fati prodromus; niſi enim iſtis ſummi Frigoris gradus effectibus continuo motu, ac valido corporis exercitio homo reſiſtit, ſed laſſitudini & ſomnolentiae cedit, in maximo & certiſſimo vitae diſcrimine verſatur ille: hujus rei veritatem inter alia luculentiſſimum Noſtratum docuit exemplum; BATAVI enim, quando in *Spitzbergo*, ſub Polo arctico, coelo inclementiſſimo gelidiſſimoque a Balenarum piſcatura retenti fuiſſent, tamdiu bene ſe ſe habuerunt, quamdiu e ſuis caſis egredi, venari, aliiſque corporis exercitiis perpetuo Frigori reſiſtere iis liceret; At ſimulac, eorum caſis nivibus obrutis, egreſſus illis fuiſſet denegatus, mox eos invaſit torpor ob motus animalis defectum quotidie increſcens, atque hinc miſeri illi tandem ad unum omnes Frigoris violentia interemti ſunt (58).

§. 65. Ex hiſce Frigoris phenomenis eſt igitur concludendum, quod a Frigore vaſa ad corporis peripheriam collocata ſeſe contrahant, aut etiam collabantur, indeque humores a corporis peripheria ad interiora pellantur. — Hinc

(58) Cf. *Tegenwoord. Staat van alle Volkeren*, VII. Deel, bl. 892.

Hinc homo incidit in ſummam anxietatem, cordisque palpitationes; hinc ſanguis non ſine difficultate per pulmones tranſire poteſt, tum ob inordinatum torrentis vitalis motum, cum ex eo, ut pulmones ipſi illi vehementi Frigoris gradui immediate quoque ſint expoſiti, unde etiam anxietas augetur; quum vero ſic nimia humorum copia, imo fere tota eorum maſſa partes interiores, ac imprimis cerebrum obruat, lethalis Apoplexia demum agmen claudit, imponitque omnibus recenſitis malis finem, id eſt aliis verbis, ii, quorum vita ob Frigoris vim extinguitur, apoplectice pereunt.

§. 66. Hocce aſſertum ex praemiſſis jam adeo manifeſtum, ut nulla amplius indigeret probatione, disſectione ſeptuagenarii, qui gelu perierat, ulterius adhuc confirmavit Cl. QUELMALTZ (59).

De variis autem noxis, quibus laedit Frigus, ſi imprudens calefactio acceſſerit; quae ſymptomata pro varietate ſubjecti, quod impetum patitur, id comitari ſoleant; quando & qui prae aliis a Frigore afficiantur, nil dicam, eaque omnia, ut a noſtro inſtituto aliena, ſilentio praetermittam. Videantur de his Ill. GAUBII (60) & Cl. VAN GEUNS (61), laudata opera, ubi omnia huc pertinentia egregie explicata inveniuntur.

---

(59) Vid. *ejus progr.* de *Frigoris acrioris in corpus effect.* Lipſiae anno 1755.

(60) Cf. *inſt. Path.* a §. 426. usque ad §. 438.

(61) Cf. *ejus Diſſert.* §. 20. p. 22.

CLASSIS QUARTA.

MORS EX STIMULO ELECTRICO.

ELECTRICITAS NIMIA.

§. 67. Si ex celeritate, qua ſtimuli vitam animalem deſtruunt, his loci ratio in ordine noſtro ſit habenda, videtur Fulmini mentio omnium primo injicienda, quippe quod uno quaſi momento mortem inferat, ut in inter alia probat Petropolitani Profeſſoris meritiſſimi RICHMANNI triſte fatum. Vir ille ſummus ſcilicet aeſtate anni 1753. ſexto menſis auguſti die, coelo valde tonitruoſo coeleſtem ignem e nubibus eliciens ab ingenti ſcintilla ad ejus frontem tranſeunte percusſus fuit ictu adeo vehementiſſimo, ut reclinatus in ſcamnum mortuus repertus ſit, omnibusque incaſſum tentatis ne minima quidem amplius praebuerit vitae indicia (62).

§. 68.

---

(62) Cl. *Relation ſur la mort* de M. RICHMANN *tue le 6 Août* 1753. &c. *Hiſtor. de l'Acad. R. de Scienc. de Paris Année* 1743. à Paris 1757. *Phil. Tranſ.* Vol. XLIX. P. I. p. 61. *an account of the death von* Mr. RICHMAN &c. nec non Cel. ERXLEBEN *anfangsgrunde der naturlehre met zuſaken van* LICHTENBERG funfte auflage, Sect. XIII. §. 747. in nota.

§. 68. Quamvis autem ab eo tempore, quo egregiis tentaminibus Cl. virorum DALIBARD, FRANKLIN, & DE ROMAS, aliorumque de identitate phaenomenorum Fulminis & Electricitatis conſtitit, hacce in Phyſices parte magna affulſiſſet lux, nulla tamen cognita erat via, qua ope Electricitatis artificialis, aeque ac Fulminis actione uno ictu animalia enecari poterant; hinc omnes theoriae de ratione moriendi Fulminis ope a variis excogitatae fuerunt admodum incertae; donec contigerit inclyto Harlemenſi, Medico Doct. VAN MARUM, Machina Electrica TEILERIANA pro ſuo more ingenioſe emendata, talia capere experimenta, quibus vera mortis ratio adeo in apricum eſt poſita, ut de ea hodie nullum ſuperſit dubium: patuit nimirum viro egregio per iterata experimenta, mortis cauſam in ictu electrico percuſſis, conſiſtere in ſubitanea, & abſoluta totius principii vitalis exſtinctione, idque non tantum accidere in animalibus calidi ſanguinis; ſed etiam in iis frigidi ſanguinis aeque bene ac in ceteris animantibus mox quoque principium vitale prorſus deleri, facultatemque ſtimulum percipiendi & ad eum reagendi plane tolli; licet haec, uti ex Anatome comparata notum eſt, vita gaudeant tenacori, & illorum vita particularis, aliis in caſibus multas poſt mortem horas adhuc ſuperſit.

§. 69. Breviter nonnulla referamus experimenta, ut inde patere queat, quanto cum jure eximius ille vir memoratam inde duxerit concluſionem. Ad hanc quaeſtionem dirimendam in anguillas tentamina inſtituit, quum, ſi ignis electricus in hoc animali frigidi ſanguinis, & cui vita ineſt admodum tenax, principium vitale exſtinguere valeret,

hinc Electricitatem eundem effectum in aliis animantibus quoque eſſe habituram, jure merito concludi poſſet; dum e contra, ſi hiſce experimentis animalia calidi ſanguinis ſubjeciſſet, inde nulla generalis concluſio trahi valeret. Duo priora experimenta inſtituit cum anguillis longitudine 18 Pollicum, & ignis Electricus fuit ductus per totam animalis longitudinem, illico poſt exploſionem illae jacuerunt immobiles, & variis ſtimulis, imo ipſo ſale volatili tentatae, ne minimum quidem exhibuerunt vitae ſignum, manifeſto indicio, quod Fulminis factitii ope prorſus deletum eſſet eorum principium vitale: in ceteris experimentis, quae etiam cum anguillis ſed majoribus, quarumque ultima longitudinem 36. Pollicum habuit, ſunt capta, ſtimulus Electricus per partem modo corporis ductus fuit tali cum eventu, ut pars ab igni electrico libera ſemper vivere continuaverit (63): idem etiam homini accidere, ſi ſcilicet Electricitas naturalis partem modo corporis petivit, illaque in medio catenae collocata non fuit, docet experientia.

§. 70. Quam pulchre porro cum illa mortis cauſa conveniunt phoenomena in Fulmine exſtinctis obſervata, nec non eorum diſſectiones; quippe in talibus cadaveribus numquam aliquid repertum fuit, cui cauſa mortis adeo ſubitaneae poterat adſcribi, ſed e contra cerebrum, cor, pulmones, ac cetera viſcera plerumque ſaniſſima, aut parumper modo laeſa inventa fuerunt; atque tamen in ejusmodi ho-

(63) Conſule de his experimentis *Algemeene Kunst- en Letterbode*, anno 1790. No. 93. p. 114. & 115.

hominibus nullus ſtimulus, licet fortiſſime ceterum agens, ne minime quidem valet, quin ſanguis nunquam non reperiatur diſſolutus; quod ſane phaenomenon a vaſis uno momento vita privatis, ſicque coagulum formare non valentibus, derivandum videtur.

§. 71. Ex his ergo liquet, ſtimulum illum electricum, quamquam ſpecificum, ſuaque natura a ceteris plane diverſum, in eo tamen cum reliquis convenire, ut minori gradu vim vitalem erigat, omnesque functiones promoveat, & hinc admodum ſalutaris non raro ipſi paralyſi medela ſit. At fortiori gradu ceterarum adinſtar vim vitalem opprimit, perſumdatque, id eſt, tunc ipſa ſtimuli vehementia quoque ſit lethalis.

CLASSIS QUINTA.

MORS EX OMNIBUS GAS SPECIEBUS, ANIMALI OECONOMIAE NOXIIS.

§. 70. Ad hanc claſſem refero omnes Gas ſpecies, quae aut debitam quantitatem Gas oxygenii, ad reſpirationem neceſſarii, non continent, aut quae peculiari ſtimulo pulmones afficiendo animalia ſuffocant. Inquiſiturus ergo in rationem mortis per haec Gas, omnem hujus rei tractationem in tres divido ordines; quippe omnia nocent, aut nimia Gas oxigenii quantitate, aut ejus defectu, aut denique ſtimulo ſuo peculiari.

Placuit pro talibus Gas ſpeciebus diverſam potius conſtituere claſſem, quam illa una cum Venenis ſub eadem comprehendere, quum ipſorum pleraque inſpirata ſint lethalia, & ceterum ſive extus applicita, ſive intus ingeſta nullatenus noceant.

ORDO PRIMUS.

DE GAS OB NIMIUM OXYGENIUM LETHALIBUS.

GAS OXYGENIUM PURUM.

§. 73. Non dubito, fore nonnullos, qui judicent, me immerito inter noxias Gas ſpecies Gas oxygenium memoraſſe, quum non tantum qualitas aëris atmoſphaerici vulgo aeſtimetur magis vel minus bona ratione Gas oxygenii, in eo contenti; ſed & ſummi in Hiſtoria Naturali viri, interque eos Cel. INGENHOUSZ, obſervantes aegros acceſſu aëris liberiori, nec non itinere maritimo ſaepe egregie relevari, illud Gas Phthyſicis, Aſtmaticis, ac febribus acutis laborantibus valde commendaverint (64), ſpe freti, fore, ut hi morbi ejus Gas inſpiratione aut radicitus tollerentur, aut ſaltem eorum vehementia iſtius uſu admodum imminueretur; at eventus eorum fefellit ſpem, conſtatque hodie per tentamina Cel. virorum GIRTANNERI & BEDDOES, tantum abeſſe, ut memoratis in caſibus utile reperiatur iſtud Gas, ut e contra aegris inſigne adferat detri-

(64) Cf. J. INGENHOUSZ *verſuche met Pflanſen*, I. Theil p. 373. & ſeqq. Wien. 1686. 8vo.

trimentum, dum illius uſu Phthyſici quidem in initio multo liberius reſpirant, ſed inde Febris hectica augetur, ac ſolito citius e vita excedunt miſeri (65).

§. 74. Neque hoc cuiquam mirum audiet; ſi conſideret, animal intra campanam Gas oxygenio repletam collocatum mox multo citius reſpirare, thoracem vi magna expandi, cordis & vaſorum ſanguiferorum Irritabilitatem augeri, brevi tempore poſt animal febricitare, ejusque nativum calorem valde reperiri auctum; illa phaenomena continuo increſcere; ſatis cito omnia ſymptomata violentiſſimae Febris inflammatoriae ſeſe obferre, atque animal, ob pulmones dira Inflammatione correptos non amplius reſpirare valens, demum ſuffocatione perire (66).

§. 75. Patet itaque ex hiſce, ut aeque ac candela, licet in Gas oxygenio multo vividiori ardeat flamma, longe citius tamen in eo, quam in aëre atmosphaerico exſtinguatur, ſic & homo ſolo Gas oxygenio utens, ut ut liberius citiusque reſpirans, nihilominus intra breve temporis ſpatium ipſi ſtimuli violentiae quoque ſuccumberet: Unde liquet, quam ſapienti conſilio Natura illum Oceanum aëreum, quo ex omni parte cingimur, non unice ex ſolo Gas oxygenio, ſed etiam ex Gas azotico, nec non ex Gas acido carbonico conflaverit.

OR.

(65) Girtanner. *anfangsgrunde der Antiphlogiſtiche Chemie*, Cap. XXXVI. p. 229. Berlin 1794.

(66) Cf. Girtanner l. l. p. 230.

ORDO SECUNDUS.

DE GAS OB DEFECTUM OXYGENII LETHALIBUS.

GENUS PRIMUM.

GAS AZOTICUM.

§. 76. Gas illud, ad reſpirationem nil valens, prae aëris vitalis defectu animalium vitam mox exſtinguit; quum vero animalium reſpiratione continuo Gas oxygenii proportio in atmosphaera magis & magis decreſcat eâdemque pulmonum functione generatum Gas acidum carbonicum animali oeconomiae ſuſtentandae aeque minus, ac ipſum azotum ſit par, ſequitur, eandem aëris portionem, ſaepius inſpiratam, tandem ad reſpirationem inutile fieri, mortemque inferre debere; & ſane, ſimulac omne oxygenium, in aëre atmosphaerico contentum, ſit conſumtum, pulmones partim ex ſoliti ſtimuli defectu collabuntur; partim etiam ex venenato ſtimulo, quo in illos agit Gas acidum carbonicum, in actione turbantur; hinc ſolitum munus non amplius peragere poſſunt, verum brevi a functione ceſſant; ſicque perit homo prae impedita pulmonum functione, quam principii vitalis exſtinctio preſſo pede ſequitur. Ex allatis inſuper apparet ratio, cur aër ſaepe venenata imbuatur qualitate, ſi multi homines diu anguſto loco includantur.

GENUS SECUNDUM.

GAS HYDROGENIUM.

§. 77. Gas illud, licet ad aëris atmoſphaerici partes haud pertineat, omnem tamen meretur attentionem, quum ſaepe ab ejus vapore homines enecentur, & magis adhuc graviſſimis adfligantur morbis. Proprietate ſua inflammabili a ceteris omnibus diſtinctum ipſo aëre atmoſpherico multo eſt levius, odorem proprium & ingratum habet, ac ad animalium reſpirationem, alendamque flammam plane nil valet. Multis in caſibus a Natura producitur, plerumque tamen aliis cum corporibus conjunctum; hinc olim inter Chemicos diſputatum fuit, an non revera plures hujus Gas adeſſent ſpecies? hodie autem per experimenta Cel. MACQUER (67) & FOURCROY (68) ſatis certo eſt probatum, non niſi unicam hujus Gas dari ſpeciem, ſed quae pro conjunctione diverſis cum corporibus diverſas habet modificationes, variiſque gaudet proprietatibus: inter illas, maxime vulgares, ſequentes quatuor praecipue recenſeri merentur,

1°. Gas

(67) MACQUERS *Chemiſches Worterbuch met zuſaken van* LEONHARDI, zweither Theil p, 474. Leipzig 1781.

(68) Vid. *Elemens d'Hiſt. Nat. & de Chemie*, T. II. troiſieme Section Capitre III. p. 327.

1°. *Gas hydrogenium ſulphuratum*, 2°. *Gas hydrogenium carbonatum*, 3°. *Gas hydrogenium phosphoratum*, 4°. *Gas hydrogenium cum azoto & acido carbonico conjunctum:* ſingulas has modificationes in gratiam bene multorum Naturae phaenomenorum, aliter non facile explicandorum, breviter pertractabimus.

SPECIES PRIMA.

GAS HYDROGENIUM SULPHURATUM.

§. 78. Inter Naturae producta hoc Gas non infimum occupat locum; quoties enim in locis ſubterraneis aqua ſulphur & ferrum invicem in ſe agere poſſunt, toties aqua decomponitur, formanturque ſulphas ferri & Gas hydrogenium ſulphuratum: hinc aquarum mineralium ſulphuratarum, vulcanorumque origines ſunt petendae; nec non explicatio ſingularis illius phaenomeni, quod ſcilicet numquam in locis magna diſtantia a mare diſſitis, ſed ſemper in ejus vicinia Vulcani reperiantur, quum nimirum aqua ad eorum exploſionem requiratur.

Inter aquas minerales illud Gas continentes etiam pertinet caverna illa vaporifera Pyrmontana, quae inſecta, aves, uno verbo omnia animalia, quae ejus vapores inſpirant, ſubito enecat iisdem fere cum ſymptomatibus, quae animalibus aëris commercio privatis ſub antlia pneuma-

tica accidere ſolent (69). Apparet inde, Gas hydrogenium una cum ſulphure & carbonio conjungi poſſe, quum & illa caverna cetcrarum aquarum mineralium adinſtar quoque carbonium contineat, unde & ejus effectus effectibus cavernae, nomine *Grotto del cane* celebris, reperiuntur analogi.

§. 79. Sed non tantum in regno minerali, verum etiam in utroque regno organico ſaepe illud generatur: multae enim plantae continent ſulphur (70), quod ex iis forma Gas hydrogenii ſulphurati prodit, quando eorum vi vitali aqua in partes ſuas conſtitutivas decomponitur; imo nonnullae plantae prae reliquis hoc Gas ſecernunt, atque hinc odorem ingratum, nauſeoſum, ac penetrabilem ceparum & allii eſſe repetendum, jure merito docuit Cel. GIRTANNERUS (71).

Non minus etiam ſulphur analyſi partium animalium obtinetur, imprimis illud ex albumine ovorum evolvitur, obſervante hoc primum Cel. DEJEUX, hinc, quando ovorum coctione calorici ope pars aquae reſolvitur, Gas hydrogenium ſulphuratum numquam non tetro ſuo odore ſeſe nobis offert; ex eodem fonte humanae foeces trahunt etiam ſuum ingratum odorem, dum aërem, qui in inteſtinis corporis animalis ex cibis elicitur, pro magna parte con-

(69) Conf. J. P. SEIP, *Beſchr. der Pyrmont mineral waſſer* &c. Hannover and Pyrm. 1750. p. 90. 8vo.

(70) Conf. hac de re Cel. FOURCROY l. l. p. 836. ibique citatos auctores.

(71) Vid. l. l. Cap. XXXV. p. 207.

conſtare ex Gas hydrogenio ſulphurato, a longo tempore jam fuit cognitum (72); ita ut foeces iisdem in animalibus (nam & foetor pro vario vitae genere differt) magis vel minus tetrum ſpargant odorem pro variis, quibus animalia veſcuntur, cibis: ſic v. g. excrementa felis, quae vivit fere de ſolo animali cibo, & ita utitur materie multum ſulphuris continente, teterrimum ſpirant halitum: porro animalium foeces recenter exploratae continent hoc Gas (73); idem de halitu cloacarum & latrinarum tenendum eſt (74). Tandem in partium animalium putrefactione illud oritur Gas, etſi ibi generatus aër maxima pro parte huc non pertineat.

SPECIES SECUNDA.

GAS HYDROGENIUM CARBONATUM.

§. 80. Gas acidum carbonicum multis in puteis & cavernis cum Gas hydrogenio conjunctum reperitur; ab eorum combinatione noxii effectus minime imminuuntur, etſi inde ratio moriendi nonnihil alio modo terminetur: refert Cl.

(72) Meretur hac de re conſuli HELMONTIUS, *Lib. de Flatibus* §. 49. p. 405.

(73) Conf. FOURCROY l. l. p. 336.

(74) Conf. MACQUERS, *Chemiſches Wörterbuch*, IIde Theil p. 479.

Cl. VAN GEUNS (75) caſum, qui huc facere videtur; ſcilicet erat puteus exhalans foetorem nauſeoſum, horribilem, ſtercoraceum, putridum & adeo penetrantem, ut operarius in eum deſcendens mox ſenſum & motum amiſerit, ac in liberum aërem extractus violentiſſime convelleretur, dum ad ſe tandem poſt tres demum horas rediret, ſuperſtite tota nocte cerebri turba. Alter, minus ſubito a foetore affectus, capite diutius turbatus fuit: uterque tamen poſt aliquot dies convaluit: quamvis autem vir Cl. de natura exhalationis non loquatur, videtur tamen ex ſymptomatibus ſatis certo ſtatui poſſe, Gas hydrogenium carbonatum in eorum fuiſſe cauſa. Inſuper nonnullae plantae, quando florent, memoratum ſecernunt Gas; v. g. vulgo notum eſt, quod, ſi candelae flamma ad Dictamnum album florentem veſperi accedamus, tunc hanc plantam ambiens atmosphaera accendatur, ardeatque laete; denique in putrefactione tam Animalium quam Vegetabilium inſigni copia Gas hydrogenium carbonatum evolvitur, illudque etiam ad coemeteriorum auram, & mala, quae illa inducit, ſuam confert ſymbolam.

SPE-

(75) Conf. *Diſſ. Laud.* §. 59. p. 61.

SPECIES TERTIA.

GAS HYDROGENIUM PHOSPHORATUM.

§. 81. Quum Phosphorus non, niſi in partibus animalibus & pauciſſimis Vegetabilibus reperiatur, illius conjunctio cum Gas hydrogenio praecedentibus rarior obſervatur; imo fere non occurrit, niſi in deſtructione ſpontanea corporis animalis, quo in caſu illud Gas teterrimo ſuo odore, quo piſces putreſcentes aemulare ſolet, omnes ceteras modificationes antecellens, numquam non generatur; ab ejus ortu putridae exhalationes, quae in coemeteriis, & in iis locis, ubi multa animalia terra non tecta jacent, ſeſe produnt, plurimum ſunt derivandae, licet ab altera parte minime ſit negandum, horribiles effectus contagiorum, aliorumque bene multorum malorum, quae non raro ab exhalationibus materierum putrefactarum C. A. ſuas trahunt natales, ex ſolo hoc Gas aeque minus ac ex ceteris explicari poſſe; e contra in partium animalium decompoſitione, uti ex recentiſſimis Chemicorum, imprimis Gallorum, conſtat obſervatis, videtur evolvi Gas ſingulare putridum, admodum penetrabile & foetore intolerabili, quod ſumma cum violentia animalium vitam deſtruit (76), cu-

(76) Qui hujus rei vult exempla, adeat Cl. PLENCK, *Toxologia*, p. 308. & ſeqq. ibique allatos auctores.

cujusque principia adhuc rite cognita non ſunt (77); ex ſola tantum conſideratione eorum, quae in deſtructione organismi partium C. A. contingunt, ſuſpicantur Chemici, iſtud Gas generari ex unione Gas hydrogenii phosphorati, carbonati, ac forte etiam ſulphurati. Illius opinionis veritas tamen demonſtrata nondum eſt, ac cognitio naturae hujus Gas adhucdum inter deſiderata Chemica pertinet.

SPECIES QUARTA.

GAS HYDROGENIUM CUM AZOTO, ET ACIDO CARBONICO CONJUNCTUM.

§. 82. Abhinc aliquot annis imprimis Cel. PRIESTLEYI obſervatis Chemicis jam innotuerat, aërem illum qui ex aquis ſtagnantibus, & paludibus ſeſe prodit, ac inſigni copia e paludum fundo lutoſo, ſi baculo modo conquaſſantur, bullarum forma colligi poteſt, eſſe Gas hydrogenium: poſtea tamen nonnulli, quum Gas illud flamma coeruleſcente ardeat, nullamque exhibeat detonationem, hac de re iterum dubitare coeperunt; donec tandem Cel. FOURCROY nos certiores fecerit, illud Gas non conſtare ex Gas hydrogenio puro, ſed cum azoto & acido carbonico diverſis in proportionibus conjuncto: quantis autem no-

(77) Conf. *Annales de Chemie*, T. V. p. 173. & ſeqq.

noxis illud Gas, Veteribus ſub nomine aëris paludoſi cognitum, inferre valeat, ex Cel. LANCISII operibus abunde patet, ubi quinque diſtinctae recenſentur epidemiae perniciosarum caſtrenſium febrium, quae intra paucos annos diverſas Pontificiae ditionis urbes pene vaſtarunt; omnes autem illae a ſtagnante aquoſo latice, aeſtivis caloribus inſuper corrupto, ſuam debebant originem (78).

§. 83. Quaenam vero paludes ſtagnantesque aquas incolarum ſanitati & vitae peſtifera adeo imbuant qualitate, diſputant valde Medici, quorum diverſas opiniones ad ſuum tempus usque collegit Ill. LANCISIUS (79): Medici tamen, in diverſiſſimas abeuntes ſententias, omnes in eo conveniebant, illas noxas non ſolum aëri paludoſo, ſed & aliis miasmatibus inde generatis eſſe adſcribendas; quae opinio ad hunc usque diem viget: etſi eam ſententiam, uti ab omnibus receptam, & ipſum ſequi mecum jam conſtitueram, in preſentiarum tamen accuratiori phaenomenorum, quae ibi contingunt, habito examine, res aliter ſe habere mihi videtur.

Conſtat enim ex Hiſtoricorum ſcriptis, Regiones hodie maxime inſalubres, paludibus & aquis ſtagnantibus ſcatentes, ante pauca ſecula ne minima quidem inſalubritatis nota fuiſſe infectas: exemplum ſit Regio *compagna di Roma*: illa autem Regio, hodie ſolitudinem fere referens, &

(78) Conf. LANCISII, *Opera omnia*, T. I. *de noxiis paludum effluviis*, Lib. II. Geneve 1718.

(79) Conf. l. l. Lib. I.

& inſalubritatis ergo ubique atro carbone notata, olim ſub ROMANORUM imperio, quando incolis ſumma cum induſtria agriculturam exercentibus abundabat, admodum habebatur ſalutaris: & Ponticae paludes, quae hodie fere deſertum offerunt, quarumque peſtiferi vapores ad magnam adeo ſparguntur diſtantiam, ut Regiones adjacentes vix absque vitae periculo ab humano genere habitari queant, olim inſigni incolarum gaudebant numero, & coelo minime noxio: unde haec mutatio? non certe a climate, nam TOSCANI eodem fere ſub climate degentes coelo fruuntur ſaluberrimo; nil ergo reſtat, niſi quod concludamus, hancce inſalubritatem oriri a paludibus neglectu terrarum culturae, & arborum, aliarumque plantarum defectu ortis.

§. 84. Sin autem aëris inſalubritas a ſolis pendeat paludibus, tunc etiam ex illarum exhalationis indole, accurate examinata, memorata quaeſtio dirimi poteſt: iis vero vaporibus examini chemico ſubjectis patuit Cel. FOURCROY, illas unice ex unione Gas hydrogenii cum azoto & acido carbonico conſtare; ex quibus tentaminibus igitur ſequitur, ab hocce memorato Gas omnes paludum, & aquarum ſtagnantium noxios effectus debere explicari, dum cetera miasmata, quorum praeſentia inſuper a nemine unquam eſt probata, ad foetus imaginationis pertinere videntur.

Neque difficulter refellitur argumentum, quorum aliter ſentientes ſuam ſententiam probare conantur, quod nimirum noxii illi effectus non ſemper, verum praecipue aeſtivo tempore & tunc imprimis nocte obſerventur. Etenim, licet Gas hydrogenium cum azoto & acido carbonico unitum

tum ſemper exhalent paludes; pro varia rerum circumſtantia proportio azoti & carbonii ad hydrogenium tamen admodum differt; quam diverſam autem actionem eadem corpora, at diverſa proportione inter ſe conjuncta, exſerant, recentiores Chemici norunt omnes; hinc admodum veroſimile videtur, aeſtivo tempore prae mutata diverſorum Gas proportione diverſos illos oriri effectus; & quod attinet ad rationem, cur effluvia noxia praeſertim nocte homines adficiant, eam egregie ſequenti modo explicavit Cel. INGENHOUSZ (80), quod per diem noxii vapores ob atmosphaerae abundans caloricum aërisque levitatem mox ad partes Atmosphaerae ſupremas evehantur, ſicque impediatur, quominus ea nocere poſſint; noctu e contra ob caloris ſufficientis defectum non tantum illa non eleventur, ſed & frigore condenſati in terram incidant (81).

O R-

(80) Conf. INGENHOUSZ l. l. T. I. p. 174. in nota.

(81) Quum in anteceſſum monui, tantum non omnes Gas ſpecies ſuffocatione mortem inferre, quumque obſervationes, quibus ſymptomata hominum hiſce enecatorum deſcribuntur, non novi, hinc ſpeciatim illorum moriendi rationem pertractare non licet.

ORDO TERTIUS.

DE GAS OB PECULIAREM STIMULUM LETHALIBUS.

§. 85. Huc pertinent Gas acidum ſulphuroſum, Gas nitroſum, Gas acidum muriaticum, Gas acidum muriaticum oxygenatum, Gas acidum carbonicum, Gas ammoniacale, uno verbo omnia Gas, quae acida, oxyda vel alcalina ſunt; quippe omnes illae peculiari ſtimulo pulmones afficiendo, & ſanguinem hiſce in organis alterando mortem inferunt, quod inter alia patet ex phaenomenis, quae in diverſis iis Gas ſpeciebus exſtinctis obſervantur admodum diverſa; ſic v. g. in Gas acido muriatico oxygenato mox occiduntur animalia, dum in aliis ſpeciebus per aliquot minuta vitam adhuc protrahere poſſunt, manifeſto indicio, pro varia horum Gas ſtimulandi ratione mortem tardius aut citius accedere.

Ad hanc, quamvis praecipua cauſa mortis illatae videatur, accedit tamen, quod & ipſum Gas oxygenium, ad reſpirationem neceſſarium, deſideretur. Ne objiciatur, Gas acidum muriaticum oxygenatum omnium peſſime nocere, illudque eſſe, quod omnia inter Gas cognita pulmonibus maxime reperiatur nocivum: namque abundans hocce in Gas oxygenium non eſt liberum, ſed cum acido muriatico chemice conjunctum: hujus ergo unionis effectus eſt, ut vis acidi muriatici quo in corpora, tam organica, quam

quam inorganica agit, ac quam pro organicis vim ſtimulandi dicimus, omni reſpectu augeatur; Gas itaque hoc jam per ſe ſat violenter ſtimulans, aucto adhuc per oxygenium ſtimulo, momento citius vitam ſuffocare, ac organa deſtruere, neceſſe eſt: non poſſum itaque cum Cel. FONTANA facere, qui omnes illas Gas ſpecies deſtruendo Irritabilitatem muſculoſam unice mortem inferre ſtatuit (82): vetant me in ejus abire ſententiam tum obſervata TISSOTI, ex quibus conſtat, pleraque illa Gas, inteſtinis ipſisque muſculis admota minime nocere (83), tum imprimis talium cadaverum diſſectiones ab Ill. BERGMANNO inſtitutae, utpote quae manifeſte docent, primariam mortis cauſam in pulmonibus eſſe quaerendam. Exſtinctio ergo Irritabilitatis, quae ab aëre fixo, nonnullisque aliis Gas obſervatur, minime pro cauſa mortis, verum pro effectu ſecundario, & accidentali irritantis Gas ſtimuli ſalutari debet.

Omnia haecce Gas ſeparatim pertractare vetat inſtituti ratio; hinc exempli loco tantum de Gas acido carbonico agam, iſtud prae reliquis elegi, quippe ejus lethiferis vaporibus magis quam ceterorum expoſiti ſunt mortales, quum omnium maxime in Natura occurrat, & ex animalium reſpiratione continuo generetur.

GAS

---

(82) Conf. FONTANA, *traité ſur le venin de la vipere, ſur les poiſons Americains, ſur le laurien Ceriſe & ſur quelques autres poiſons vegetaux*, T. I. P. I. Cap. XIII. p. 74. & ſeqq.

(83) Conf. viri Cel. *traité des Nerfs* &c. T. I. P. II. Art. IX. de *effectu venenorum* §. 218. p. 20. in nota.

GAS ACIDUM CARBONICUM.

§. 86. Gas illud, quod aërem atmosphericum multum gravitate ſuperat, hincque in locis, ubi magna adeſt copia, ſemper deſcendit, & multis in cryptis ſubterraneis invenitur, animalia ſubito necat. Illa hoc in aëre detenta mox quaerunt exitum; ob reſpirationis difficultatem ſummam patiuntur anxietatem; oculi protuberant; attonita concidunt; Syncope & tremore corripiuntur; ac, niſi cito eximantur, ſopore quaſi obruta moriuntur: in cadaveribus pulmones reperiuntur paululum collapſi, & nonnullis in locis inflammati; arteria pulmonalis una cum corde dextra, venae cavae, nec non cerebri vaſa ſanguine admodum turgent, dum e contra venae pulmonales, cor ſiniſtrum, & arteria aorta vix notabilem ſanguinis quantitatem continent; muſculorum Irritabilitas plerumque prorſus eſt delata, ita ut cor ex animalibus adhuc calentibus extractum nullatenus ab ullo ſtimulo ad actionem incitari poſſit (84).

§. 87. Inter antra, quae acido noſtro aërio repleta ſunt, jam diu fama celebris fuit fovea illa inter Neapolim

(84) Conf. MACQUERS, *Chemiſches Wörterbuch*, T. II. p. 392. ubi in nota a Cl. LEONARDI, adjecta Ill. BERGMANNI, hanc in rem inſtituta obſervata referuntur.

lim & Puteolum GROTTA DEL CANE ab ITALIS appellata, quum in canibus frequentiſſime ejus necandi-vis fuerit explorata: animalia huic cavernae, imprimis ad ejus fundum immiſſa illico necantur, atque mortua aut ad minimum asphyxia correpta ex ea extrahuntur: olim inter Phyſicos de vera illius vaporis agendi ratione acerrime fuit diſputatum, aliis, uti MEADIO (85) & NOLLETO (86), ejus effectus ex aëre pro reſpiratione noxio unice explicantibus, dum alii e contra, interque eos Cl. viri BRUHIER (87) & VAN GEUNS (88), contrariae opinioni favebant, eo imprimis utentes argumento, quod integer aëris defectus ſatis diu ab urinatoribus, imo per plures horas a ſubmerſis ferri absque morte queat: interim ante aliquot annos ſagaciſſimus Naturae obſervator Cel. FONTANA veram ejus naturam detexit, & memoratum vaporem nil aliud eſſe, niſi Gas acidum carbonicum, manifeſte probavit.

Quod autem ad Cl. virorum objectiones attinet, noſtrum Gas non tantum defectu oxygenii, ſed etiam ſtimulo peculiari mortem infert, agit ergo quadam nociva & vitae inimica qualitate, etſi allatum urinatorum exemplum in rei probationem non videatur quadrare, nam urinatores, antequam ſeſe mari committunt, omnes oris aperturas, quibus oxygenium exire poſſet, nec non naſum accurate clau-

(85) Conf. MEAD, *de Venenis*, p. 201. & ſeqq.
(86) Vid. *Phil. Tranſ.* Vol. XLVII. 1751 & 1752. Art. X.
(87) Conf. BRUHIER l. l. T. II. p. 95. & ſeqq.
(88) Conf. l. l. §. 51. p. 63 & 64.

claudunt, retinent igitur oxygenium in pulmonibus contentum, ſicque per aliquot tempus absque recentis aëris acceſſu vitam conſervare valent; non itaque illis aër reſpirabilis prorſus deficit.

§. 88. Quum hic de morte ex Gas acidi carbonici actione diſſeram, non poſſum non mentionem facere de vapore ſuffocante carbonum, eoque magis, quum noſtris in Provinciis carbonum ignitorum tantus ſit uſus, atque eorum noxii, imo ſaepe letiferi effectus pro maxima parte ex hocce Gas ſint petendi: maxime dico, dum ſaepe e carbonibus ceſpitum bituminoſarum, quibus noſtrates uti ſolent, ſimul evolvitur Gas hydrogenium ſulphuratum, & hoc Gas forſan eſt cauſa, cur, prout carbones plus contineant ſulphuris, eorum effectus etiam ſint pejores, quippe tunc non ſolum cubiculum a vaporibus ad reſpirationem nil valentibus impletur, ſed & ſimul oxygenium in eo adhuc reſiduum a ſulphure igni ſuſo attrahitur. Homines, qui ab illo vapore ſuffocantur, experiuntur prius ingentem capitis dolorem; laſſitudinem, viſum obſcurum, capitis temulentiam, coma, & dein apoplexia ſcenam claudit; ex quibus ſymptomatibus apparet, eorum effectus illis Gas acidi carbonici ſatis eſſe analogos; qui interim hoc aſſertum mortis ex hac cauſa hiſtoriis adhuc confirmare cupit, conſulat Cl. VAN GEUNS (89) nec non Doct. UNZERUM (90) ubi multa ſpecimina, eaque egregia reperiuntur.

§. 89.

(89) Cf. l. l. §. 47. p. 57. & 58.

(90) Cf. *Librum dictum de Artz*, T. I. Art. 39. p. 286. & ſeqq.

§. 89. Praeterea huc referri debent Liliorum, Violae odoratae, aliorumque florum exhalationes, quas modo plane ſimili mortem inferre, a longo tempore cognitum jam fuit, quamvis earum agendi ratio latuerit ad noſtram usque aetatem, quo demum Cel. INGENHOUSZ probavit, illas non eſſe niſi Gas acidum carbonicum, idque emitti etiam per diem, at majori copia nocte: hinc florum odor, in cubiculis collocatorum, praecipue poſt ſolis occaſum obſervatur, atque ejus laetiferi effectus & tunc imprimis locum habent. Non pauca exſtant exempla mortis ſubitaneae unice ab ingenti florum copia, imprudenter in cubiculo anguſto incluſorum: refert Cel. INGENHOUSZ (91) caſum mulieris cujusdam in lecto mortuae repertae absque ut mortis cauſa non niſi inſigni liliorum copiae, in cubiculo locatorum, adſcribi potuerit: Cl. TRILLERUS (92) deſcripſit caſum puellae annorum 17. optima fruentis ſanitate, quae ex nimio violarum odore mortem quoque paſſa eſt; eodem loco analogum caſum adfert, qui Londini anno 1764. contigit, ubi tamen infelicum feminarum adhuc conſervata eſt vita: hinc florum amatores jure merito monet Cel. INGENHOUSZ, ut hac in re prudenter agant, ne forte curioſitatis ergo ſibi vitae periculo exponant. Mirum interim eſt, pulmonibus adeo nocivum Gas cum cerivifia cum aquis

(91) Vid. l. l. T. I. Lib. I. Art. 15. p. 69. & 70. nec non Lib. II. Art. 2.

(92) Cf. D. W. TRILLERUS *Opuſcula Medico - Philologica*, Vol. I. *Diſſ. nonae* p. 237. & ſeqq.

aquis mineralibus, imo cum omnibus fere cibis quotidie copia ſatis notabili absque ulla noxa poſſe ingeri (93).

§. 90. Quum ſic animalium reſpiratione, nec non combuſtione carbonii, atque putrefactione corporum organicorum perpetuo Gas acidum carbonicum generetur, & e contra Gas oxygenium ex Atmosphaera attrahatur, intra breve tempus aër animalium reſpirationi plane inutilis evaderet, ſicque actum eſſet de eorum vita, niſi Natura procuraſſet media, quibus aër ab abundante Gas carbonico rurſus depurari poterat: illa autem media ſunt plantae, quarum vegetatione Gas acidum carbonicum decomponitur; hae illud Gas ex atmosphaera attrahunt, ac in partes conſtitutivas reſolvunt, carbonicum in plantarum abit ſubſtantiam; oxygenium vero forma Gas, excrementi adinſtar, exhalatur. Sed tali modo non unice aërem depurant plantae, verum etiam tam ex Atmosphaera, quam ex terra aquam hauriunt, illamque decomponunt, hydrogenium una cum carbonio ad olea & reſinas formandas concurrit, dum oxygenium Gasforme iterum avolat (94).

§. 91. Haec ulterius ſequentibus probantur, novimus enim.

1°. Plantas venenatiſſimae licet indolis ſecernere nihilominus aeque bene ac ceteras Gas oxygenium purum (95).

2°. Plan-

(93) Ex hoc exemplo veritas illorum, quae de ſtimulis peculiaribus, P. I. p. 12. & 13. dixi, adhuc confirmatur.

(94) Cf. INGENHOUSZ l. l. Vol. II. Art. 31. p. 191. & 192.

(95) Vid. eundem auctorem l. l. Vol. I. P. II. Art. 10. p. 290. & ſeqq.

2°. Plantas maxime vulgares, ut v. c. totam graminum ſamiliam, ac omnes ceteras, quae ad terrae ſuperficiem absque ullo hominis labore ſponte naſcuntur, maximam quoque Gas oxygenii ſuppeditare copiam (96).

3°. Memoratas plantas eſſe tales, quarum vita ad autumni fere finem viget, & quarum vegetatio incipiente vere prae omnibus reliquis primum incitatur, quaeque ita ad officium, cui a Natura deſtinatae ſunt, peragendum per totum fere annum ſunt aptae.

4°. Aeſtate, quando ob auctam atmosphaerae temperaturam exhalationes putridae & mephiticae majori copia aërem atmosphaericum inficiunt, plantarum vegetationem admodum increſcere, hujusque eſſe ſequelam, ut illae majorem etiam Gas oxygenii quantitatem deponant, ſicque efficiant, quod omni anni tempore eadem fere Gas oxygenii quantitas in atmosphaera contineatur.

5°. In Regionibus, ſub zona torrida ſitis, ubi multo citius adhuc aër effluviis venenatis corrumpitur, creſcere plantas, quarum vegetatio ſummum, ut ita dicam, perfectionis gradum attigit, & quae non ſolum Gas carbonicum avidiſſime appetunt, verum etiam Gas oxygenium puriſſimum atque inſigni adeo copia ſecernunt, ut nullatenus poſſit comparari cum ea quantitate, quam plantae ſub climate temperatiori creſcentes ſuppeditare valent.

§. 92. Ad haec autem ſi attendamus, quam ſapientiſſime omnia reperimus ordinata! namque non unice plantae hau-

(96) Conſ. hac de re ingenioſiſſimum Cl. SENEBIER opus *Memoires Phyſico-Chimiques*, T. I. §. 41. ab initio ad finem usque.

hauriendo acido carbonico oeconomiam animalem ſuſtentant; ſed etiam id, quod corpori animali lethiferum eſt, ad plantarum vegetationem omnino requiritur: quin pro ratione, qua ab uno regno organico Gas acidum carbonicum deponitur, pro illa etiam ab altero magis vel minus avide attrahitur, ſicque non tantum perturbatio aequilibrii diverſarum Gas ſpecierum in Atmoſphaera contentarum fere ſemper praecavetur, ſed inſuper ex legibus a Natura ſancitis quodcumque corpus propria licet deſtructione in univerſi conſervationem & ſuum confert (97).

(97) Si haec omnia referantur ad ea, quae de inſalubritate Atmoſphaerae in ditione Pontificis dixi, elucefcit, hancce pro maxima parte a defectu agriculturae debere peti.

CLASSIS SEXTA.

MORS EX VENENIS.

§. 93 Per venena cum Ill. GAUBIO (98) intelligimus omnia illa, *quae refracta admodum doſi aut intus ingeſta, aut extus admota effectus exſerunt in animalium pernicem tendentes:* hocce GAUBIANUM enunciatum, etſi potius veneni deſcriptio ſit, quam vera ipſius definitio, prae ceteris tamen mihi arridet, tum quum aliorum deſcriptiones minus accuratae ſint (99), tum quia in dies magis magisque convincor, generalem venenorum exhibere definitionem, vix fieri poſſe: etenim absque, ut nunc memorem, venena tantum non omnia eſſe relativa, ita ut illa, quae nobis admodum ſunt nociva, aliis animantibus alimenti ſub nomine veniant; ſic ut uno alterove exemplo rem illuſtrem, Veratro albo veſcuntur muli & caprae, Hyoſciami radicibus vaccae & porci (100), ac Lolii temulenti ſemina ſine ullo damno edunt Coturnices (101): in-

(98) Cf. *Inſt. Path.* §. 486.

(99) Qui diverſas auctorum definitiones cognoſcere vult, adeat, *act. Societ. ſerv. civib.* T. X. Art. 1. p. 5. & ſeqq. ubi omnia una cum earum epicriſi inveniuntur.

(100) Cf. Ill. GMELIN *algemeine geſchichte der Pflanzengifte*, Ord. 3. Art. 1. p. 426. & 432.

(101) Cf. Cl. PLENCK *Toxicologia* p. 10. in nota, ubi multa alia hujus rei allata ſunt exempla.

inſuper pro ipſo corpore humano nulla abſoluta poeſt deſiniri doſis, ad quam nec ultra tute progredi licet, quum vires medicatae & venenatae, qua proximis gradibus ſeſe contingunt, exigua molis differentia invicem convertantur; hincque eadem doſis, quae unum a pertinaciſſimo liberabit morbo, alterum e vita tollet, manifeſto indicio, nullam accuratam quantitatis, qua nocent, dari poſſe menſuram, verum diverſis in hominibus illam eſſe admodum diverſam.

§. 94. Sed ſi venena unice quantitate reſpectu illius corporis, quod ea aſſumit, ſunt noxia, forte aliquo cum Jure Naturae corpora ad unum omnia juſta copia aſſumta effectus exſererent ſalutiferos, ac vice verſa illa venenorum ſub titulo etiam venire poſſunt, dum omnia, juſto majori copia ingeſta, animali oeconomiae depraehenduntur nociva. Novi quidem, exiſtere corpora, quae, quacumque demum doſi hauſta, ſemper quam maxime nocent; ſed & novi, eorum nonnulla in uſum medicum recentiores optimo cum ſucceſſu adhibuiſſe, unde ſpes affulget, fore, ut & cetera aliquando in humani generis commodum poſſint converti.

Quidquid ſit, ſufficit indicaſſe, quaenam corpora pro venenatis hic a nobis aſſumantur; quum vero in omnibus Naturae regnis ejusmodi inveniantur corpora, haecce Claſſis in tres dividitur ordines, in quorum primo venena regni animalis pertractabo; in ſecundo de iis regni vegetabilis agam; in tertio autem de venenis mineralibus diſſeram, atque venena nonnulla indolis adhuc incognitae demum agmen claudent.

O R-

ORDO PRIMUS.

VENENA REGNI ANIMALIS.

§. 95. Haecce venena pro variis effectibus, quas exſerunt ad duo genera reduci poſſunt, quorum unum continet venena, quae praecipue per vulnus cum corpore communicate mortem inferunt: alterum e contra talia, quae interne aſſumta noxiam praeſertim exſerunt vim.

GENUS PRIMUM.

VENENA PRAECIPUE PER VULNUS MORTEM INFERENTIA.

SPECIES PRIMA.

VIPERAE.

§. 96. De Viperarum Veneni natura, ejusque agendi modo valde fuit diſputatum, donec abhinc paucis annis Cel. FONTANA evulgaverit egregium opus, inter alia bene multa etiam de hoc veneno continens experimenta, quibus

bus conſtitit, illud eſſe ſubſtantiam viſcoſam gummi mucilaginem quaſi referentem: humor ille a peculiaribus organis, ſub baſi dentium caninorum ſitis, ſecretus ſub viperae morſu vulneri infunditur (102). Illud virus juxta viri egregii obſervationes non cuivis animantium ſpeciei nocet, ſed aliae ſerpentes, polypi & teſtudines inde non afficiuntur, homini vero multisque aliis animantibus eſt letiferum: linguae exceptum eam non inflammat, at ſenſum corporis adſtringentis per aliquot horas ei imprimit; deglutitum non niſi magna doſi nocet, hinc ſaepe viperae a nonnullis gentibus ingeruntur, quin & in deliciis habentur (103): externe cuti, telae celluloſae, muſculis, tendinibus & ipſis nervis absque ſubſequente morte applicari poteſt; at per vulnus cum ſanguine communicatum, parva licet doſi, mortem infert.

§. 97. Symptomata hujus morbi ſunt ſequentia; partis laeſae oritur dolor, inſignis intumeſcentia inflammatoria prae humoribus ad ſenſum venenati ſtimuli obtundendum vi medicatrici Naturae huc vectis, quare & ſemper obſervatur ſanguinis atri extravaſatio, lividusque partis morſae color; dein percipiuntur horror, pallor, praecordiorum anxietas, pulſus debilis inaequalis intermittens, cordis palpitatio, animi deliquium, ſudores frigidi, convulſiones, ſopor, ac, niſi cito adferatur auxilium, mors; in cadaveribus ſanguis ſemper reperitur coagulatus.

§. 98.

(102) Cf. Cel. FONTANA l. l. T. I. P. I. Cap. II. p. 10. & ſeqq.

(103) Cf. Ill. R. MEAD de Venenis.

§. 98. Tempus, quod requiritur, ut venenum noxios praeſtet effectus, pro varia ſerpentum ſpecie, nec non pro varia animantium morſorum conditione differt; in genere tamen in animalibus, quibuscum Cel. FONTANA ſua cepit experimenta, antequam 25. minuta ſecunda eſſent praeterlapſa, veneni noxii effectus jam ſeſe manifeſtabant (104) ſin autem animalibus a viperis morſis partis laeſae amputatio mox inſtituatur, ab omnibus ſymptomatibus manent immunia (105); unde patet, totum corpus non illico affici, ſed requiri certum tempus, ut morbus localis reliquo cum corpore communicetur.

§. 99. At quomodo hoc venenum cum corpore communicatur? an per vaſa lymphatica? id Cel. FONTANAE non videtur probabile, quum nervis, quorum tunica externa ex obſervatione Cel. MASCAGNII eſt merum vaſorum lymphaticorum rete, cuti, tendinibus, muſculis, organis, quae inſigni lymphaticorum gaudent copia, absque ulla noxa applicetur (106) quin, ligatis lymphaticorum truncis, nihilominus, licet tarde, vim noxiam exſerat (107). Per nervos non facile quisquam aſſeret, dum & nervis immediate applicitum ne minimos praebeat effectus, atque nervis ligatis aut abſciſſis aeque certe ac antea necet (108). Per vaſa igitur? ſed & circulatione in anteceſſum impedita,

(104) Cf. Cel. FONTANA l. l. T. I. P. III. Cap. II. p. 241.
(105) L. l. p. 247.
(106) Cf. l. l. P. II. Cap. IV. p. 145. & ſeqq.
(107) Cf. l. l. P. IV. Cap. IV. p. 303.
(108) Cf. l. l. P. III. Cap. IV. p. 268. & ſeqq.

dita, aut vaſis partis morſae antea abſciſſis, ita ut nulla amplius cum reliquis vaſis adſit communicatio, licet hoc operatione veneni effectus retardetur, nihilominus illud virus mortem infert (109).

§. 100. Si ergo hoc venenum nec per vaſa lymphatica, nec per vaſa ſanguifera, nec denique per nervos in corpus animale operatur, qua ratione tunc agit illud, & quae eſt mortis ab eo inductae ratio? Cel. FONTANA (110), poſt mortem ſanguinem numquam non coagulatum reperiens, in eam incidit ſententiam, hoc venenum immediate agere in ſanguinem, hunc coagulare, atque hujus coagulationis eſſe effectum, quod Irritabilitas plane deleatur, quam Irritabilitatis exſtinctionem ob ceſſantem organorum actionem mors non longe poſt ſequi debet: verumenimvero ipſa ab Ill. viro allata experimenta impediunt, quominus in ejus ſententiam abire poſſim; ſanguis enim, licet post mortem in vaſis ſemper reperiatur coagulatus, tamen durante vita e vena extractus, & cum veneno mixtus minime ſeſe coagulat, at e contra ſanguinis coagulatio ab ipſa veneni admiſtione impeditur (111), manifeſto indicio, ſanguinis coagulum non eſſe repetendum ab ejus immediato cum veneno contactu, ſed eſſe effectum peculiaris ſolidorum in fluida agendi normae. Illa nempe, a ſtimulo venenato in inordinatas motus concitata, inſolito modo

(109) Cf l. l. p. 299. & ſeqq.

(110) Cf. T. I. P. III. Cap. VI. p. 318. & ſeqq.

(111) Cf. FONTANA l. l. T. I. P. III. Cap. V. p. 305. & ſeqq.

do in fluida agunt, ac ſanguini talem inducunt mutationem, ut color etiam roſeus in atrum mutetur. Cum hac explicatione omnia recenſita veneni ſymptomata apprime conveniunt.

§. 101. Quod autem ad hujus veneni agendi modum, ac ejus mortis cauſam attinet, non obſtantibus omnibus iis, quae attulit Cel. FONTANA, nobis admodum probabile videtur, illud virus revera ab abſorbentibus hauriri, eorumque ope cum vitali latice commiſceri: etenim illud virus, uti probavit Cel. FONTANA, primo tantum producit morbum localem, qui dein cum reliquo corpore communicatur; nullae vero aliae dantur viae, quibus is communicari poteſt, niſi per nervos, & vaſa lymphatica; per nervos virus non agere conſtat, ergo, ut per vaſa lymphatica venenum ad ſanguinem deferatur, neceſſe eſt; favet quoque huic opinioni analogia hujus veneni quoad operandi modum cum ceteris, quae ſimili modo maſſam ſanguineam inficiunt, & absque dubio abſorbentium ope cum corpore animali communicantur: inſuper viri egregii experimenta contrarium non conficiunt; ligavit nimirum vaſa lymphatica omnia, quae invenire potuit, & tamen ſequebatur mors, etiamſi ea accideret ſolito tardius: ſed ſi conſideremus, quam ingens vaſorum lymphaticorum in omnibus C. A. partibus ſit copia, eorumque oſtia oculum licet armatum refugere, facile intelligere eſt, non effici poſſe, ut per ligaturam omnis communicatio inter organa adeo exilia cum reliquo corpore prorſus poſſit impediri; taceo, dari abſorbentia, ita profunde jacentia, ut nullo modo ligari queant: & ex praeclari viri obſervatis, quod nimirum hoc venenum impune cuti, telae celluloſae, ten-

dinibus, nervis, imo muſculis poſſit applicari, ad ſummum nil aliud poteſt concludi, niſi tantum, earum partium vaſa abſorbentia illud virus non ſugere valere, neutiquam vero illud per abſorptionem haud propagari, quum lymphaticorum ſtructura pro diverſo liquido, cui abſorbendo deſtinata ſunt, etiam admodum differat; tandem ut abſorbentia virus aliquod aſſumant, requiritur, ut in anteceſſum inter id & lymphatica vaſa orta ſit affinitas. Quid autem impedit, quominus ponamus, vulnus ad illam producendam affinitatem eſſe neceſſarium, ſaltem haecce ſententia nobis multo magis arridet, quam illa, quae confugit ad organa incognita, unice uti imaginationis foetus conſideranda, quorum ope venenum illud ſanguini admiſceretur.

§. 102. Itaque ex Cel. FONTANAE experimentis in rem noſtram ſolummodo haecce duo ſcholia elicienda videntur.

1°. Nervi a venenis non ſemper primarie afficiuntur, ſed etiam in nonnullis caſibus, uti e. c. in noſtro, malum tantum ſecundarie cum iis communicatur.

2°. Praeter vias lymphaticorum huc usque cognitas exſiſtunt adhuc viae clandeſtinae, quae absque ut ad ductum thoracium tendant, immediate in vaſa ſanguifera contentam materiam evacuant, quarum ope directe ac cito illud ſyſtema poteſt affici.

§. 103. Haec ſcholia ad moriendi rationem ſi applicemus, hujus veneni agendi ratio ac mortis ab illo inductae cauſa, ſequenti modo optime erunt explicandae. Viperarum venenum, memoratis abſorbentium viis clandeſtinis cum vitali latice directe communicatum, vi ſua ſtimulante & perniciosa agit in ſyſtema ſanguiferum; morboſe affecta

va-

vaſa in ſanguinem reagunt, ejusque craſin penitus peſſumdant; depravatus vero ſanguis ſua vice cum impetu in ſolida reactionem inſtituit; ſolida ergo a ſanguine venenato ſtimulo imbuta ſumma cum violentia ad actionem incitantur, ſed tali ſtimulo ſufferendo imparia ſuam functionem non rite praeſtare poſſunt, ac mox languent; hinc oriuntur cordis palpitatio, animi deliquium, nec non prae retento in cerebro ſanguine imminentis Apoplexiae ſymptomata, quae phaenomena perſeverant tamdiu, donec demum, ob continuo irritantem ſtimulum organica compoſitione penitus deſtructa, illa excipiat mors.

§. 104. Quod denique ad ſanguinis coagulum attinet, illud videtur mihi minime eſſe habendum pro charactere hujus veneni eſſentiali, verum tantum, uti in morte ex multis aliis morbis, per accidens contingere; eoque magis, quum in morſis a viperis Americanis, ſaltem a nonnullis, e contra ſanguis reperiatur diſſolutus (112); conveniunt enim hae Viperarum ſpecies cum reliquis, valent ergo ea omnia, quae de illis monui, mutatis mutandis etiam de his, earum tamen venenum eſt fortius, inde multo minori quantitate eſt lethiferum, & ſaepe intra 5 minuta, imo citius adhuc, homines necat, cui momentaneae vitae univerſalis exſtinctioni illa ſanguinis diſſolutio videtur adſcribenda.

SPE-

(112) Conf. Cel. PLENCK, *Toxologia*, p. 30.

SPECIES SECUNDA.

INSECTA PRAECIPUE FURIA INFERNALIS.

§. 105. Inſectum hoc, vix duas lineas longitudine aequans, in regionibus ſeptentrionalibus praeſertim a ſolſtitio aeſtivali ad hiemale usque occurrens in partes haud obtectas tam hominum, quam jumentorum cito ſe inſerit, poſt ſe relinquens maculam exiguam fuſcam ſaepe, nigram ac valde dolentem. Haec, niſi inſectum integrum ſectione auferatur, ſphaceli inſtar ſubito cum dolore atrociſſimo, & febre acutiſſima proſerpens intra nonnullos dies, imo ſaepe intra paucas horas animalia miſerrime interimit (113).

Ex allatis ſatis eſt manifeſtum, cauſam mortis, ab hocce Inſecto inductae, eſſe petendam a ſtimulo venenato, qui nimis violenter homines afficiens inducit febrim inflammatoriam, quae, inflammationum impurarum inſtar brevi in ſphacelum tranſiens, prae exſtinctione principii vitalis eos necat; ſeu aliis verbis ii, qui ab hujus Inſecti actione moriuntur, ex ſphacelo a nimia ſtimuli violentia inducto pereunt.

SPE-

(113) Vid. Cel. CALLISEN, *Principia ſyſtematis Chirurgiae hodiernae*, T. I. P. II. Ord. III. Cap. I. §. 1009. p. 510.

SPECIES TERTIA.

MORSUS ANIMALIUM RABIDORUM.

§. 106. Inter eos tantum de morſu canis rabidi agam, tum quum hujus rabies noſtris ſaltem in regionibus omnium frequentiſſime occurrat, tum quia morſus ceterorum quoad effectus cum iis canis rabidi plurimum congruunt. In homine a tali cane morſo ocius aut tardius pro varia ejus conditione ſequentia obſervantur phaenomena. Partis laeſae ſenſatio dolorifica variae indolis, corporis laſſitudo, ac gravitas, ſomnus parcus haud reficiens; triſtes, dein cogitabundi, anxii, & iracundi fiunt aegri, ſolitudinem amant, minuitur appetitus, difficilis porro fit fluidorum deglutitio, averſantur potum, & ſi haurire conentur, violentiſſime convelluntur, quin ad ipſum liquidi aſpectum horrent; nonnunquam atram bilam evomunt, & obſervatur in illis mordendi cupiditas; oritur corporis jactatio, ſatyriaſis, vox rauca &c., per intervalla laborant convulſionibus, totum corpus pervagantibus, demum ſequuntur ſudor frigidus, paralyſis, mors.

§. 107. Haec ſunt ſolita morbi atrociſſimi ſymptomata, ex quibus, quum cadaverum diſſectiones nullam adferant lucem, unice ad morbi naturam concludendum eſt. Haec autem ſi conſulamus, ſequenti modo res ſeſe habere videtur; venenata canis ſaliva, vulneri immiſſa, applicatur vaſis abſorbentibus, haec tamen ob facultatem utilia tantum aſſu-

men-

mendi, qua pollent eorum oſtia, illam acrem materiam non abſorbent; manet itaque abſorbentibus applicata, atque ea ſtimulat continuo, cujus acris ſtimulus non alius poteſt eſſe effectus, quam quod ſenſim partis ſtimulatae mutetur compoſitio; dum vero mutatio compoſitionis aliqua in parte ſemper eſt in ratione compoſita illius ſtructurae & ſtimuli applicati, naſci debet affinitas inter venenum ſtimulans, & partem abſorbentem degeneratam, qua orta venenum quodcumque a vaſis lymphaticis hauritur (114). Quamdiu igitur illa partis abſorbentis degeneratio locum non habeat, tamdiu etiam ibi loci jacet absque effectu, nullaque apparent morbi ſigna, quae illico ſeſe manifeſtant, ubi neceſſaria obtinuit affinitas, nam ſimul ac virus canis rabidi fuerit abſorptum, oritur partis dolor, tumor, pruritus, corporis laſſitudo, & melancholia, hoc eſt, tunc incipit hujus morbi ſtadium primum, mox in ſecundum tranſiturum, ubi venenum masſam intraverit ſanguineam; ſtatim enim, quum tota ſanguinis maſſa fuerit inquinata, obſervatur difficilis liquidi deglutitio, hydrophobia, uno verbo omnia memorata ſymptomata tunc naſcuntur.

§. 108. Cum hacce noſtra opinione de hujus morbi natura non tantum congruunt omnia morbi ſymptomata, quae egregie ſic explicari poſſunt, ſed etiam noſtrae opinioni favet plurimum analogia: alia venena, v. g. virus Varioloſum & Morbilloſum, (quae absque dubio abſorbentur) tem-

(114) Conf. *noſtram diſſert. de cauſa abſorptionis* &c. Cap. II. §. X. ubi hac de re ex induſtria egi.

tempore illorum abſorptionis analoga nobis offerunt ſymptomata, communicatur e. c. levi vulnuſculo virus Varioloſum cum infante, vulnus brevi ſanatur, & aeque bene ac ante infans ſe habet; poſt aliquot tamen dies, ſi inſitio bene ſucceſſerit, oritur & partis laeſae pruritus, tumor, dolor, queritur quoque de corporis laſſitudine, ac gravitate infans; quae omnia totidem abſorptae materiei varioloſae eſſe ſigna, inter Practicos conſtat omnes. — Sed ſi poſt inſitionem variolarum memorata phaenomena veneni abſorptionem teſtari, omnes Practici conſentiant, cur non analoga phaenomena etiam in veneno rabioſo idem accidere denotarent? demum virus canis rabidi abſorbentium ope cum ſanguine communicari, probant HUNTERI, CRUIKSCHANKII & TODII obſervationes, quorum duo priores glandularum ſubaxillarium, & inguinalium intumeſcentiam, dolorem, Imflammationem & lineas vel ſtrias ad haſce glandulas adſcendentes poſt canis rabidi morſum conſpexerunt, ultimus autem, virus iſtud cutem, ſaliva canis rabidi inquinatam, quandoque etiam absque vulnere penetrare, docuit (115).

§. 109. Minime tamen diſſimilandum eſt, plurimum in arte verſatos viros contrariam tueri ſententiam, & quamvis hoc venenum demum ſanguineam maſſam inficere non negent, omnia tamen ſymptomata primi hujus morbi ſtadii nervorum conſenſui, id eſt nervis a veneno in vulnere praeſente ſtimulatis, unice adſcribenda eſſe, putant

(115) Conf. SOEMMERING l. l. §. 30. p. 65 & 66.

tant (116). Sed pace Cel. virorum, ſi eorum ſententia in rei obſervatione ſit fundata, cur tunc in morbi primo ſtadio partis laeſae amputatio miſeris non adfert auxilium? cur quaeſo, ſi morbus in primo ſtadio adhuc ſit localis, omniaque ſymptomata ex nervorum conſenſu ſolummodo derivari debeant, membro morſo licet amputato, morbus tamen ſuum abſolvit curſum, ſolitoque modo morte terminatur? ne objiciatur, remedia nervina, quae ſola aliquando morbum ſuſtulerunt, rem conficere. Ex his nullum peti poteſt argumentum, nam nihil eſt certius, quam quod multa remedia, quae vulgo nervinorum ſub titulo venire ſolent, nervos immediate non afficiant; illud de multis eorum probare, niſi a noſtro inſtituto eſſet plane alienum, nobis foret facillimum.

§. 110. Vera autem moriendi ratio in ejusmodi hominibus ſequenti modo ſeſe habere videtur; miſeri hoc morbo laborantes vehementiſſimis agitantur convulſionibus, quibus principii vitalis languor ſuccedit, quo ex fonte lucida hujus morbi intervalla ſunt explicanda; venenatus tamen ſtimulus perpetuo agit in ſolida, iterata vice oriuntur igitur novae convulſiones; ſicque per aliquot tempus vitale principium ſtimulo morboſo reluctatur: verum non diu noſtra organa talem vim ſuſtinere valent, eoque minus, dum inſuper particulis nutritiis ea non recreantur, id eſt debito mo-

(116) Vid. inter alios Ill. RICHTERI, *Elem. Chirurg.* T. I. Cap. XV. §. 417. & ſeqq. Ill. CALLISEN l. l. §. 1020. p. 515. Cel. R. VOGEL, *Praelect. Acad.* §. 105. p. 751. nec non Cl. PLENCK l. l. p. 68. in fine.

modo ad actionem non ſtimulantur, hinc convulſiones demum excipit torpor, oriunturque ſudor frigidus, paralyſis, mors, id eſt, miſerorum principium vitale propter ſtimuli violentiam demum prorſus exſtinguitur.

§. 111. Poſſem nunc pergere ad alterum hujus ordinis genus; antequam tamen ad iſtud tranſeam, tribus verbis memoranda eſt quaeſtio, an illud venenum ejus Viperarum adinſtar tantum per vulnus mortem inferat. Pro illa ſententia certe facit non ſolum analogia, ſed & caſus relatus ab Expert. VAN DER HAAR, qui memorat, virum coitum cum uxore celebraſſe una modo hora, antequam illa Hydrophobia corriperetur, absque ut inde ullam ſentierit noxam; eodem loco, virus rabioſum non niſi per vulnus mortem inferre, ſalivamque rabidorum impune poſſe deglutiri, aſſerit praeclarus ille vir (117); quum interim multi alii auctores contrarium obſervaverint, & viperarum venenum majori copia, ad guttas v. c. XXX, ingeſtum animalia quoque promte necet (118), quumque inſuper doſis, quae absque periculo ingeri valet, exacte definiri nequeat, videtur eſſe concludendum, rabidorum ſalivam absque vitae diſcrimine deglutiri non poſſe.

GE-

(117) Conf. viri egregii *Obſ. Chirurg. Obſ.* 137. in nota.

(118) Conf. Cel. FONTANA l. l. T. II. in *Supplemento* p. 307 & ſeqq.

GENUS SECUNDUM.

VENENA, QUAE INTERNE ASSUMTA NOXIAM PRAESERTIM EXSERUNT VIM.

CANTHARIDES.

§. 112. Horum Inſectorum pulvis majori doſi aſſumtus excitat ſitim, ſaporem piceum, nauſeam & vomitum, ventriculi, praecordiorum & hypochondrii dextri atrociſſimos dolores, primarum viarum imflammationem, ſatyriaſin, ſtranguriam, iſchuriam, mictum cruentum, ſaepe dyſenteriam, ſtriis ſanguineis notatam, canalis cibarii ſphacelum, & mortem.

Haec ſunt ſymptomata, quae vulgo obſervantur: ſed quid ex iis de Cantharidum agendi ratione, eorumque mortis cauſa ſtatui debeat, non ita facile eruitur. — Cl. FORSTEN, qui pulcherrimam hac de re ſcripſit diſſertationem, putat venenum illud ſanguinem intrare, cumque ſyſtemate ſanguifero ad omnes H. C. partes vehi, ſtatuit inſuper vir egregius, Cantharides ſanguinem diluere, ac ejus cohaeſionem minuere, quum ſi eorum pulvis extra corpus ſanguini admiſceatur, hoc phaenomenon habeat locum (119).

§. 113.

(119) Conf. *Act. Servandus Civib.* T. I. p. 266.

§. 113. Licet autem cum FORSTERI ſententia plerique faciant medici, illa tamen multis videtur premi difficultatibus.

Primo. An eſt credendum, fore ut, ſi revera acerrimum Cantharidum venenum vitalem laticem infeciſſet, omnes fere, morbo jam jam ſeſe manifeſtante, juſta medela priſtinam recuperarent ſanitatem, uti tamen ipſi a Cl. viro allati caſus docent (120): nonne ex ſelectu, quo pollent abſorbentium orificia, multo eſt veroſimilius, illud virus maſſam ſanguineam non intrare?

Secundo. Aegra, quae brevi, poſtquam venenum ingeſtum eſſet, maximam ejus copiam, exhibito emetico, per vomitum ejecerat, nihilominus eadem cum vehementia haematuriam, ceteraque ſymptomata fuit paſſa, indicio, hoc venenum praecipue in nervos agere, iisque imprimere characterem morboſum, hincque, ſtimulo venenato licet remoto, tamen nervorum inordinatam actionem haud ceſſare, verum tamdiu perſeverare, quamdiu ille character morboſus, nervis impreſſus, abolitus non ſit.

Tertio. Nullum contra nos peti poteſt argumentum ex iis, quae juxta FORSTERUM contingunt, ſi ſanguis extra corpus cum Cantharidum pulvere commiſceatur, dum ex illis, quae ſupra de viperarum veneno monui, compertum ſit, ejusmodi experimenta, in corpore vivo inſtituta, ſaepe ratione plane contraria ſeſe habere.

Quarto. Imo, licet concederemus, venenum illud ad ſy-

(120) Vid. l. l. p. 272. & ſeqq.

ſyſtema uropoïeticum vehi, inde tamen nullatenus ſequeretur, iſtud etiam cum ſanguine commiſceri, quum diuretica bene multa, inſalutato ſyſtemate ſanguiſero, immediate ad renes deferri, ſuſpicari mihi non una ſit ratio. Nam:

1°. Multa dantur Naturae phaenomena, quae immediatum tale commercium inter primas vias & renes exiſtere arguunt; ſunt enim potatores, qui intra breviſſimum tempus multa ſextaria haurire valent, atque ea fere aeque cito ac aſſumta ſunt, per urinam rurſus emittunt; nulla certe datur proportio inter ductum thoracicum, per quem, utpote viam unice cognitam, omnes humores tranſire debent, (ſi ſcilicet non alia detur via) & inter ingentem adeo liquidorum copiam, quae ſic celerrime iterum e corpore emittitur: accedit inſuper, extremo ductus thoracici eſſe impoſitam valvulam, quae impedit, quominus humores in eo contenti niſi guttatim ſanguinem ingredi poſſint; nil ergo reſtat, niſi quod aſſumamus, dari vias clandeſtinas, per quas inſignis illa liquidi quantitas ad ſyſtema uropoïeticum fuit delata.

2°. Edat aliquis Aſparagos, poſt breve tempus eorum odor in urina ſeſe manifeſtabit; aſſumat alter Rheum, non longe poſt ejus urina tingetur colore rhabarbarino; an quis autem unquam obſervaverit, ſanguinem, aut Aſparagorum retuliſſe halitum, aut Rhei aſſumſiſſe colorem, vehementer dubito: quin novi exemplum de remedio quodam diuretico, quod in urina fuit repertum, ac e contra in ſanguine plane deſiderabatur, caſus erat ſequens; ſcilicet aliquis periculi faciendi gratia certam nitri quantitatem ingeſſerat, poſt breve temporis intervallum ſibi V. S. inſtitui curavit, ſimulque urinam mittebat, experimenta Chemica docuerunt,

ſan-

ſanguinem ne minimam nitri portionem continere, ſed illud e urina ſatis magna quantitate poſſe extrahi.

3°. Metaſtaſes ſubitaneae materiae purulentae idem probant; ſecreta purulenta materies ſaepe uno quaſi momento ad alias C. H. partes, maxime a loco affecto diſſitas, metaſtatice defertur, quod ſane phaenomenon, niſi admittantur viae clandeſtinae, explicari nequit.

4°. Nec deſunt Viviſectiones, quibus conſtat, ligatis ab utroque latere canis ureteribus, evacuataque ejus veſica, nihilominus eam trihorio poſt rurſus pro parte urina fuiſſe repletam, dum praecluſa erat ſolita per ureteres via, utpote qui ſupra ligaturam lotio admodum turgentes reperti ſunt (121): quid ergo? quid aliud in cauſa horum omnium phaenomenorum eſſe poteſt, niſi immediata inter primas vias & ſyſtema uropoïeticum per vias clandeſtinas communicatio, cujus ope, nec aliter, omnia memorata phaenomena egregie explicari poſſunt.

§. 114. Ex his omnibus in ſummum collectis videtur probabile, Cantharidum venenum ſanguinem numquam ingredi, ſed tantum in primas vias agere, & mortem, Cantharidum abuſum ſequentem, eſſe repetendam ex ſphacelo ventriculi aut inteſtinorum, inflammationis primarum viarum vices excipiente; etſi non negemus, illud venenum per memoratas vias clandeſtinas aliquando cum renibus communicari, atque ſyſtematis uropoïetici morboſam affectionem

(121) Vid. Ill. BLUMENBACHII, *Inſtitut. Phyſiolog.* Sect. XXXVIII. §. 487. p. 380.

nem tali in caſu ad deſtructionem corporis organismi etiam ſuum conferre.

Cum Cantharidibus tum quoad agendi modum, tum quoad mortis cauſam conveniunt Meloë Majalis & Proſcarabeus, quos etiam ſaepe mortem attuliſſe auctores referunt (122); interim eorum vis noxia videtur eſſe minus fortis, quum exemplo foeminae, quae non unius Inſectorum generis ſcatebat copia, probavit Cl. OSIANDER (123), illos vivos & vegetos per longum tempus in corpore humano morari poſſe, absque ut mors inde ſequatur.

ORDO SECUNDUS.

VENENA VEGETABILIA.

§. 115. Venena vegetabilia apud varios auctores diverſimode reperiuntur diviſa; inter omnes diviſiones illa Cel. PLENCKII, qui plantas venenatas ad tria genera reduxit, nempe ad narcotica, acrio-narcotica & acria, optime cum Naturae phaenomenis congruere videtur, hinc memorati auctoris veſtigiis inſiſtam, hacce, tamen cum differentia, ut inter venena narcotico-acria totam fungorum com-

(122) Conf. Cl. PLENCK l. l. p. 43. ubi talis de puëro ſexenni refertur caſus.

(123) Conf. ejus *Denkwurdigkeiten fur die Heilkunde und Geburtshulfe*, T. I. Art. 1.

comprehendam familiam: de omnibus interim plantis venenatis pro dignitate agere nec pertinet ad inſtituti rationem, nec permittit anguſtia temporis, qua premor; ex quovis itaque genere duas plantas ſolummodo eligam, earumque expoſita ſymptomatum caterva, quae vulgo offerre ſolent, illarum rationem agendi, & mortis inlatae cauſam, quantum potero, addam, licet omnino diffitendum non ſit, bene multarum plantarum venenatarum agendi rationem ſpiſſis obfundi tenebris.

GENUS PRIMUM.

VENENA NARCOTICA.

SPECIES PRIMA.

OPIUM.

§. 116. Ad Opii pertractationem me accingor, de cujus actione in corpus humanum magnis animis inter ſe certarunt auctores, absque ut ad hunc usque diem victoria pro una aut altera parte ſit declarata; quum vero experimenta unius obſervatis alterius ſint oppoſita, optime putavi, his omnibus in medium relictis, directe tranſire ad phaenomena, quae tam a parva quam a magna obſervantur Opii doſi, atque, illis accurate examinatis, conſiderare, in quantum ea poſſint inſervire ad rationem agendi Opii, nec non ad cauſam mortis ex ejus abuſu, explicandas.

§. 117. Opium minori doſi aſſumtum ob ſtimulum ſtupefacientem mentem reddit tranquillam, hilarem, omnemque auſert metum, hinc ad exhilarandum animum, & conciliandam ſibi audaciam Opium ingerere Gentibus orientalibus ſolenne eſt; incitat porro ſyſtematis ſanguiferi actionem, ac cordis arteriarumque motum plurimum accelerat; nec minori cum efficacia in partes genitales agit, ſtimulat enim tanta cum vehementia ad venerem, ut nec ſenes ab hiſce deliciis alieniſſimi excludantur, & penis erectio in trucidatis militibus Turcis, qui Opium ſumſerant, etiam poſt praelia perſtitit (124); auget denique diaphoreſin cum cutis pruritu; alvi, ceteraſque excretiones e contra ſupprimit: grata vero ſenſatio ab aſſumto Opio excitata non longe durat, at intra quatuor, aut quinque horas deferveſcit, hancque excipiunt torpor ac ſomnolentia, quae ſaepe per longum tempus perſiſtunt (125).

§. 118. Sin autem Opium majori ingeratur doſi, tunc haud apparent gratae iſtae ſenſationes, ſed robur apparens nunc cedit torpori, ſtupefacit tunc nervos, eorumque vires admodum proſternit, ita ut non raro tactus, viſus, auditus, ceterorumque organorum ſenſoriorum inde ſublatorum legantur exempla (126); hinc capitis ſtupiditas, vertigo, ſomnolentia, nec non illa inſenſilitas contra omnes impreſſiones externas, habitusque ille ſtoïcus etiam ſub doloroſiſſimis cruciatibus, nimia illa doſis ad veneris exerci-

(124) Conf. Cel. MURRAY, *Apparat. Medic.* T. II. p. 282.

(125) Conf. GMELIN l. l. p. 470. ibique citatos auctores.

(126) Vid. GMELIN p. 468. ibique allatas obſervationes.

citium viros reddit plane ineptos, pari cum vi partium muſculoſarum infringit Irritabilitatem, quod torpor ventriculi & inteſtinorum, deletus eorum motus periſtalticus, ac crurum immobilitas extra dubium ponunt; mirum interim eſt, remedium, tum nervorum tum muſculorum vires ita infringens, eodem tempore ſyſtemati ſanguifero maximum praebere calcar, pulſuumque numerum, & corporis calorem admodum augere, hinc reſpiratio fit celerior & difficilior, rarefit ſanguis, turgeſcunt vaſa, ab aucta ſanguinis circulatione oritur rubor & intumeſcentia faciei, capitis gravitas, ſanguinis in cerebro accumulatio, enaſcitur nonnunquam delirium ac furor, denique, aut a cerebro nimia ſanguinis copia compreſſo, aut a vaſorum ruptura orta ſanguinis effuſione generatur Apoplexia, cujus vices cito excipit mors.

§. 119. Ex hiſce phaenomenis, quae in extinctis ex Opio numquam non obſervantur ſequentia profluunt ſcholia.

Primo. ALSTONII (127) experimenta, Opium nimirum ſyſtematis ſanguiferi vires minuere, quotidiana obſervatione refutari, nec ab animalibus, quae ſub cultro anatomico tremunt, quae tantos jam paſſa fuerunt cruciatus, ullam valere ad homines concluſionem.

Secundo. WHYTTII (128) opinionem, Opium unice nervis ſuam imprimere vim, eſſe falſam, quum illud non agat, priusquam ſaltem ejus portio abſorpta & in maſſam ſan-

(127) Vid. *Medical Eſſays and Obſervations*, T. V. P. I. Art. X. Sect. III. p. 112. & ſeqq.

(128) Cf. Cel. WHYTT. *Works* p. 307. & ſeqq.

ſanguineam fuerit transmiſſa, uti probat non ſolum Opii agendi ratio, quoniam non niſi poſt aliquot tempus illud mortem infert, ſed & ſudor haud raro Opium redolens (129).

Tertio. Quum Opium praebeat nobis ſpecimen medicamenti, quod, dum vi ſedante in cerebrum & muſculos agit, ſimul pro ſyſtemate ſanguifero excitantis fungatur vice, ejus actio demonſtrat, tum ſyſtematis ſanguiferi functionem a nervorum imperio non unice pendere, tum eundem ſtimulum omnes partes Irritabilitate gaudentes non eodem modo afficere, verum in iis pro diverſa organorum ſtructura oppoſitos ſaepe producere effectus.

Quarto. Licet Opium in cerebrum agere ex memoratis pateat, inde tamen iſtud nervos immediate afficere, nullatenus ſequitur; quin e contra Cel. FONTANA ingenti experimentorum numero conſtitit, Opium nervis nudis admotum ne minimum quidem praeſtare effectum, unde igitur patet (130), nervos ab aſſumto Opio non protopathice, ſed tantum deuteropathice laborare.

Quinto. Quum ergo nervoſum ſyſtema ſtricto ſenſu ab Opio non afficiatur; verum cerebrum ab ingeſto Opio laeſum tandem & ipſos nervos in conſenſum rapiat: apparet hinc etiam, tum nervos gaudere viribus ſuis propriis, ac a cerebri energeia omnino diverſis, tum & ipſum cerebrum praeter nervos ab aliis partibus nonnunquam directe affici, ac malum earum ope cum illo viſcere communicari poſſe; longe

(129) Cf. Ill. MURRAY *Apparat. Medic.* T. II. p. 284.
(130) Cf. T. II. *Supplem.* a p. 355. ad 361.

longe itaque abeſt, nervos in omnibus, ſic dictis morbis nervoſis, primarie laborare.

Sexto. Quum Opii in venas infuſione convulſiones oriantur, etſi juſta recentiores Anatomicos vaſorum tunica interna nervis plane eſt deſtituta (131), quumque idem phaenomenon locum habeat, etiamſi nervi iſtius partis, in qua experimentum inſtituitur, vel in origine vel in progreſſu ſuo deſciſſi ſint (132), hinc compertum eſt, convulſiones non ſemper conſtituere affecti ſyſtematis nervoſi criterium, ſed illos aliquoties ab aliis cauſis oriri; non omnes ergo convulſiones, uti vulgo putatur, a nervorum irritatione ſunt petendae, verum e contra haud raro illae pendent vel a turbato aequilibrio inter muſculos antagoniſtas, vel ab inordinata ſyſtematis ſanguiferi actione.

§. 120. Quod nunc ad mortis cauſam ex Opio attinet; tum ex memoratis ſymptomatibus, quam ex corallariis inde deductis apparet, Opium vehementer incitare circulationem; atque ab illo ſanguinem inſuper tenuiorem reddi, hinc turgeſcunt vaſa, ac ex nimio ſtimulo torpent tandem, imo ob ſanguinis plethoram ad volumen rupturam haud raro illa patiuntur; dum vero vaſa ſanguifera cerebri prae ceteris ſint teneriora, illa etiam citius ſuccumbunt, obruitur ſic cerebrum ſanguine, atque Apoplexia homo e medio tollitur.

SPE-

(131) Cl. FONTANA l. l. T. II. in *Supplem.* p. 361. & ſeqq.

(132) C. A. MONRO *Eſſays and Obſervat. Phyſ. and Liter.* T. III. Art. XIII. Exp. 14. p. 334. & ſeqq.

SPECIES SECUNDA.

PRUNI LAURO CERASI FOLIA.

§. 121. Ex foliis hujus vegetabilis deſtillationis ope colligitur aqua, quae cohobatione in venenum atrociſſimum abit. Aqua haec aut per os ingeſta, aut per anum injecta, ſi parva exhibeatur copia, oriuntur convulſiones mox fortiores, mox debiliores; afficitur inde animal paralyſi praecipue artuum poſteriorum, in hoc ſtatu organa ejus ſenſoria tamen bene valent, auditu ac viſu percipit objecta, & artus punctos aut preſſos agitat: majori doſi exhibita breviſſimo tempore necat, & absque convulſionibus, quin tunc agit tam velociter haec venenum, ut vix ventriculum attigerit, quum animal jam deleterios effectus experiatur, animalium frigidorum vitam citius adhuc, quam illam animalium calidi ſanguinis exſtinguit; — virus per vulnus communicatum nocet quidem, ſed tunc requiritur longe major quantitas, per venam injectum mox mortem infert, nervis immediate admotum eos quidem topice afficit, ac omnes muſculos, qui ab hoc nervo accipiunt ramulos, paralyticos reddit, neutiquam vero ſic necat; cerebro applicato mox moritur animal; idem accidit quoque, ſi oculis ejus inſtilletur, quod ultimum videtur eſſe repetendum ex vicinitate hujus organi cum cerebo, non autem, uti Doct. SCHAUB voluit, a vaſorum lymphaticorum reſorptione; ceterum hoc phaenomenon quidem in columbis, neutiquam vero in quadrupedibus obſervavit

Cel.

Cel. FONTANA: ceſſante vita corpus apparet relaxatum, & vis irritabilis muſculorum prorſus reperitur deleta, quin aliquot guttulis hujus veneni cordi animalium frigidi ſanguinis applicatis, illud mox inde privatur facultate ſe ſe contrahendi, actumque eſt de cordis Irritabilitate. In cadaveribus ſanguinem ſemper admodum diſſolutum deprehenderunt Cel. FONTANA & Doct. SCHAUB; venae ſanguine reperiuntur diſtentae, pulmones Inflammatione correpti; dura mater, & cortex cerebri ſanguine pariter turgent, arteriae e contra ſunt vacuae. Haec ſaltem fere ſemper in ejusmodi cadaveribus obſervantur.

§. 122. Si ergo, quae de topica paralyſi a veneno nudis nervis applicato, quae de eodem oculis & cerebro admoto, quae demum de cita ejus agendi ratione diximus, in unum contrahamus, videtur concludi poſſe, venenum illud in omni caſu topice agere in nervos, infringendo eorum vim; hinc illa paralyſis ſi nudis nervis applicetur, hinc mors ſi cerebro aut cuidam parti in ejus vicinia fuerit admotum, hinc denique adeo cito effectus morboſi ſe ſe manifeſtant: quod autem de ipſius agendi ratione reſpectu totius corporis attinet, ſi minori doſi ingeratur, tunc ſtimulo ſuo peculiari initio quidem partes Irritabilitate gaudentes ad actionem incitat, attamen prae nimia ſtimuli violentia illam actionem mox excipit torpor, ipſaque vitae exſtinctio, quae, ſi major doſis aſſumatur, momento citius ſupervenit.

Etſi igitur hoc venenum directe in principium vitale agat, & illius exſtinctione, majori doſi aſſumta, mortem inferat, minori tamen propinata proxima moriendi ratio videtur eſſe petenda a turbato ſyſtemate ſanguifero, & praeci-

cipue quidem a pulmonum inflammatione, quam ſequitur ſuffocatio, nam hinc arteriae vacuae, venae vero ſanguine repletae videntur eſſe explicandae (133).

GENUS SECUNDUM.

VENENA NARCOTICO-ACRIA.

SPECIES PRIMA.

ATROPA BELLADONNA.

§. 123. Summo cum jure haec planta inter memorata venena primum tenet locum, quippe vis noxia non tantum haeret in baccis, ſed etiam ejus ſemina, folia & radices, diverſo etſi gradu, iſta pollent. Baccae tamen prae ceteris partibus animali oeconomiae ſunt noxiae; a majori hujus veneni doſi naſcuntur ſiccitas oris, tremor linguae, moleſtiſſima ſitis; difficilis deglutitio, irritus vomendi conatus, atque

(133) Merentur hoc de veneno conſuli Cel. FONTANA l. l. T. II. a p. 125. ad 155. & in *Supplemento* a p. 306 ad 342. Ill. MURRAY *Apparat. Medic.* T. III., a p. 213., ad 224. Ill. GMELIN l. l. p. 282. & duab. ſeqq. Cel. PLENCK l. l. a p. 110. ad 113. nec non Doct. SCHAUB in egregia Diſſertatione *de lauro ceraſi qualitatibus medicis* & *venenatis* publice defenſa. Marbugi Heſſorum Anno 1792.

atque inſignis praecordiorum anxietas; corripiuntur dein aegri furore cum ſtridore dentium, & convulſionibus, oriuntur ob inordinatam circulationem motus febriles, apparet facies profunde rubra & tumida, diductis palpebris pupilla obſervatur immobilis, maxillas ſpasmus ſaepe tenet clauſas, ventriculus ad ſtimulos valde eſt inſenſilis, frequenter oritur oeſophagi & ventriculi inflammatio, cum imi ventris atrociſſimis doloribus, tument inteſtina, deſtruitur eorum motus periſtalticus, enaſcitur ſaepe canalis cibarii inflammatio, quae haud raro ad meſenterii glandulas, imo ad pulmones, & hepar usque ſeſe propagat. Hiſce ſuccedit totius corporis debilitas, omnium functionum languor, artuum praecipue inferiorum paralyſis, convulſiones, ſanguinisque diſſolutio, vertigo, coecitas, propenſio ad ſomnum, ſopor, Apoplexia, ac denique mors. Cadavera, quae cito in putredinem vergunt, valde tument & maculis notantur nigricantibus, diſſolutus ſanguis per omnes partes, imprimis ex naſo, ore, ac auribus effluit, & intolerabili cadaveris foetore ambiens atmosphaera inquinatur (134).

§. 124. Hiſce omnibus rite perpenſis ſequenti modo hujus veneni agendi ratio ſe habere videtur; aſſumtum venenum, primum viarum primarum vires admodum minuendo, ac nervoſum ſyſtema laedendo non paucas in oeconomia animali excitat turbas, intrat dein ſyſtema ſanguiferum,

(134) Cf. Ill. GMELIN l. l. a p. 290. ad 308. Cel. MURRAY *Apparat. Medic.* T. I. p. 626. & ſeqq. nec non Cel. PLENCK p. 120. & trib. ſeqq.

rum, ubi deſtruendo cordis vaſorumque Irritabilitatem, & ſanguinem diſſolvendo eadem fere ſymptomata, ac aqua Lauro-ceraſi producit; attamen mortis cauſa ab hoc Belladonnae veneno non ita ſemper ſibi ſimilis eſt, ſaepe quidem moritur homo ab hoc veneno apoplectice, ſed & non raro a venenato ſtimulo exſtinguitur principium vitale, nonnunquam quoque ob primarum viarum ſphacelum occumbit aeger.

Liquet ex hoc, in quantum hocce venenum cum narcoticis conveniat, & in quantum ab earum ratione recedat: licet enim narcoticorum adinſtar Irritabilitatem proſternat, agit tamen ſimul manifeſte in nervoſum ſyſtema, atque immediate eorumdem ope ejus venenatam vim cerebrum experitur. Habet inſuper hoc venenum id ſibi privum, quod prae ceteris partibus irritabilibus imprimis in ſyſtema ſanguiferum agat, cujus actionis ſumma illa ſanguinis ad diſſolutionem propenſio, durante adhuc vita obſervanda, eſt effectus.

SPECIES SECUNDA.

CICUTA AQUATICA.

§. 125. Ejus radice ab hominibus funeſto errore ingeſta, effectus venenati vulgo ſunt ſequentes: praecordiorum ſummus dolor, anxietas & ardor, irritus vomendi conatus, vomitusque cruentus, abdominis meteoriſmus, ſingultus, ſitis, ſpaſmus maxillae invincibilis, convulſiones univer-

verſales, Opiſthotonus, Epilepſia vehementiſſima, inflammatio ventriculi ac inteſtinorum, illarum partium gangrena, vertigo, temulentia, delirium, diſtorſiones oculorum, ſanguinis per aures fluxus, ſumma debilitas, omnium virium, proſtratio, ſopor, Apoplexia, mors. Cadavera poſt mortem valde intumeſcunt, pulmones ſaepe reperiuntur inflammati, imo gangrena jam correpti, corporis peripheria maculas nigricantes exhibet, ſumma obſervatur humorum diſſolutio, cruentaque ſpuma continuo ex ore prodit (135).

§. 126. Analoga ſymptomata, ac ejusmodi cadaverum diſſectiones docent, illud virus, tum quoad agendi modum, tum quoad mortis cauſam cum praecedenti ſatis convenire, illa igitur, quae de iis ad praecedens venenum monui, mutatis mutandis etiam quoad Cicutam aquaticam valent: mutatis mutandis dico, dum in actione inter duo venena non obſtante analogia ſatis notabilis reperitur differentia; nam primum ex hoc veneno non raro ſuffocatione perit miſer, dein ob majorem acredinem, qua praedita eſt illa radix, multo vehementius ſyſtema nervoſum afficit, ob vim narcoticam minorem minori cum vi in partes Irritabilitate gaudentes impetum facit; ceterum in ſyſtema ſanguiferum ſimili

(135) Legi merentur de hoc veneno Cl. VAN GEUNS l. l. p. 46. & 47. Cl. PLENCK l. l. p. 128. & 129. Ill. GMELIN l. l. a. p. 334. usq. 352. ubi ſimul reperiuntur criteria, quibus noſtra planta ab affinibus dignoſci poteſt. Cel. MURRAY in *Apparat. Medic.* T. I. a p. 397. usq. ad 402., qui multa mortis ab hacce radice congeſſit exempla.

ſimili modo ac praecedens agere videtur, ſaltem easdem ſanguini inducit mutationes.

GENUS TERTIUM.

VENENA ACRIA.

SPECIES PRIMA.

ACONITUM NAPELLUS.

§. 127. Antiquiſſimis temporibus Aconitum jam atro carbone fuit inſignitum, ex Cerberi enim ſpuma enatum finxerint Veteres; Radix, quae reliquas plantae partes vi venenata ſuperat, linguae ſuperimpoſita ſaporis deprehenditur urentis & acerrimi, imo non raro lingua inde paralyſi afficitur, illa ingeſta, oriuntur nauſea, vomitus, praecordiorum anxietas, diarrhoea, inteſtinorum atrociſſimi dolores, imi ventris tumor, oculorum diſtorſiones, ſpasmus maxillae, validiſſimae convulſiones cum rigiditate univerſali, quae phaenomena omnium functionum languor, ac vis vitalis torpor excipiunt; ſuccedunt iterum turbae immanes, de novo naſcitur vitae totius torpor, & ſic iterata vice eadem ſe offerunt phaenomena, donec demum imbecillitas inſignis, faciei ſudor frigidus, aſphyxia, ac deliquium animi comparent; quae mors, abolitis nunc prorſus vitae viribus, preſſo pede ſequitur.

Licet plerumque memorato ordine ſymptomata ſibi ſuccedant, aliquando tamen inſignis obſervatur differentia.

Non

Non raro enim hoc venenum illico & abſque convulſionibus mortem infert (136), ſi ſcilicet inſignis illius aſſumatur quantitas.

§. 128. Allata phaenomena abunde ſatis demonſtrant, ab hoc veneno praecipue & vehementiſſime affici nervos; agit illud virus in ventriculi nervos, qui ſtimulum inlatum mox cum cerebro communicant, hinc convulſiones, ceteraque ſyſtematis nervoſi affecti ſymptomata; laborans autem ſyſtema nervoſum brevi etiam reliquas C. H. partes in conſenſum rapit, hinc obſervantur alvi fluxus, ac inordinatus ſanguinis motus.

Primarie igitur hocce virus in ſolos nervos facit impetum, & reliqua organa haud niſi ſecundarie laborant. Non ergo illud venenum a vaſis lymphaticis hauritur, ſed manet in primis viis, & turbae ſyſtematis ſanguiferi unice nervorum conſenſui ſunt tribuendae.

Ex praemiſſis inſuper conſtat, quid noſtro ex judicio tenendum ſit de cauſa mortis, ab hoc veneno inductae; non poteſt enim, quin validiſſimas turbas ab hocce veneno excitatas excipiat vitae languor, ſed quum organa continuo a veneno ſtimulentur, mox omnes iterum intendunt vires, excitantque horrendas convulſiones, quibus venenatum ſtimulum expellere conantur, verum fruſtra: hinc eorum

(136) Cf. Cl. VAN GEUNS l. l. p. 47. & 48. Cel. MURRAY *Apparat. Medic.* Vol. III. p. 9. & trib. ſeqq. Ill. GMELIN l. l. p. 439. ad 452. ubi etiam refertur caſus, ex quo ejus uſum externum mortem quoque provocare poſſe, comparet, nec non Cl. PLENCK l. l. p. 168. & ſeqq.

rum organorum vita continuo magis & magis labefactatur, reſiſtit tamen illa tamdiu, quamdiu demum organiſmo prorſus deſtructo ſub ultimis reſiſtendi conatibus prae ſtimuli violentia exſtinguatur principium vitale.

Haec licet plerumque ſit mortis cauſa, non obſtat tamen, quod etiam aliquoties hoc in caſu moriatur apoplectice homo, verum talis mortis cauſa non oritur, niſi per accidens, atque nullatenus a veneno qua tali repeti poteſt.

SPECIES SECUNDA.

OENANTHE FISTULOSA.

§. 129. Ejus radix aſſumta inducit tremores, convulſiones, oculorum diſtorſiones, ſpasmum maxillae, ſyncopem, ſummam debilitatem, omnium ſenſuum internorum ac externorum abolitionem, Tetanum, mortem: agit hoc venenum ſaepe tam cito & tam vehementer, ut homines non raro ex improviſo attoniti in terram concidant. In cadaveribus Cl. VACHER ventriculum, inteſtina, uno verbo, omnia viſcera ſaniſſima reperit, & quum aegri inſuper de nullo dolore queſti fuiſſent, hinc vir Cl. concludit, venenum illud eſſe indolis narcoticae; ſin vero conſideremus, vulgo narcoticorum longe aliam eſſe agendi rationem, ab iis diverſa plane produci ſymptomata, nec non ſanguinis ſemper obſervari mutationem, quae & ab hoc veneno plane deſideratur, conſtabit, hanc plantam, probante id

in-

inſuper ſapore acri, jure merito a Cl. PLENCK inter venena acria fuiſſe relatam (137).

§. 130. Itaque uti Aconitum Napellus ſic & Oenanthe fiſtuloſa protopathice unice afficit nervos, ſed afficit eos modo longe alio, non enim acritate ſua excitat validas convulſiones, verum illico proſternit ſyſtematis nervoſi vim, ita ut principium vitale amplius non niſi parum reſiſtere poſſit, hinc vires Naturae medicatrices haud adeo ſe ſe manifeſtant, ſed e contra vix ac ne vix quidem apparent. Interim illa agendi ratio Oenanthae fiſtuloſae non unice eſt priva, ſed & competit Aconito Napello, atque ceteris horum venenorum vexilliferis, ſi enim Aconitum Napellus magna modo ingeratur doſi, idem locum habet phaenomenon, vixdum etiam tunc obſervantur convulſiones, ſed absque iis ſtatim perit homo.

Patet ergo Oenanthen fiſtuloſam, quoad agendi modum a ceteris venenis acribus non niſi gradu eſſe diverſam, atque rationem, cur illa ingeſta vix compareant vires Naturae medicatrices, unice eſſe petendam ex vehementia, qua agit.

Uti autem hoc venenum agendi ratione cum praecedente convenit, ſic & mortis cauſa ab eo non differt; obſervatur ſolummodo quoad hanc inter noſtram plantam ac prae-

(137) Cf. hac de planta Cl. PLENCK l. l. p. 155. Cel. GMELIN l. l. p. 64. & ſeqq. *Philoſop. Tranſ.* XLIV. P. I. p. 227. & ſeqq. nec non Vol. L. P. II. p. 836. & ſeqq. ſed imprimis Cel. VACHER in *Act. Helvet.* Vol. IV. a p. 69. usq. ad 81. & Cl. VAN DER MONDE *Journal de Medicine.* T. X. 1758. *mois Nov.* p. 430.

praecedentem illa differentia, ut non repetito congreſſu verum uno quaſi ictu principium vitale deleat.

§. 131. Sic ergo noſtrum attigimus ſcopum; non poſſum tamen, quin in tranſitu adjiciam Naturae regulam, ſcholii inſtar ex memoratis ſex plantis deductam, eoque magis, quum ea de omnibus ceteris plantis quoque valeat: illa autem haec eſt, quod nimirum plantae narcoticae indolis ſemper primarie agant in ſolas partes irritabiles, acres e contra tantum in ſyſtema nervoſum impetum faciant; narcotico-acres vero tum vi nerveae tum muſculorum Irritabilitati ſint inimicae: non nego tamen, nonnulla venena in hoc vel illud organum peculiari vi agere poſſe; ſed non obſtante hoc, manet illa regula, vi ſuae ſtructurae narcoticas plantas partes irritabiles, acres nerveas, atque narcotico-acres utrasque protopathice afficere.

ORDO TERTIUS.

VENENA MINERALIA.

§. 132. Venena regni mineralis apte ad IV. genera reducuntur; ſcilicet ad acida, alcalina, oxyda, & ſalia neutra; quum acida & alcalina, impediente ſapore acri & rodente, rarius ut venena noceant, rerumque dicendarum ubertas inſuper ſumma ſit, relictis reliquis, ſpeciminis loco hic tantum dicam de ſpeciebus duabus, non tantum prae reliquis atrocioribus, verum etiam ſaepius generi humano lethalibus, de Oxydo ſcilicet Arſenici & Myriate oxygenato Hydrargiri.

G E-

GENUS PRIMUM.

OXYDA.

OXYDUM ARSENICI, VULGO ARSENICUM ALBUM.

§. 133. Atrociſſimum hoc venenum cetera cuncta facile ſuperat, deglutitum omnes, quas contingit partes, dolorifico quodam ſenſu, ſiccitate & ardore afficit, oritur dein febris, ſitis inexplebilis, praecordiorum ſumma anxietas, nauſea, frequentiſſimi vomitus, initio pituitoſi, tum bilioſi, ventriculus & inteſtina patiuntur acerbiſſimum dolorem, inflammationem & corroſionem; ſequuntur alvi profluvia violentiſſima nigra, foetida, cadaveroſa, tumet corpus cum tenſione, naſcuntur cordis palpitatio, animi deliquium, reſpirandi difficultas, anxietates ſummae: hiſce accedunt pulſus celer, debilis, contractus, irregularis, icterus, tremores & frigus artuum, ſudores frigidi, praeſertim frontis, gangrena, ſphacelus ventriculi & inteſtinorum, ſolutio eorumdem tunicae villoſae, delirium, mors.

In cadaveribus reperitur talis ventriculi & inteſtinorum eroſio, ut illa quandoque vix folium papaveris ſuperent craſſitie, ſanguis ſemper eſt diſſolutus, maculi lividi per

omnem corporis peripheriam apparent, livent ungues, & non raro prima jam mortis die una cum capillis decidunt, hiſce epidermidis receſſus & totius corporis putredo ſubito ſuperveniunt, quin & membra quaedam ſponte aut leviſſima accedente vi ſecedunt.

Si autem refracta admodum doſi, aut aliis ſubſtantiis, v. g. ſulphure, temperatum ingeratur, experiuntur quidem miſeri ſimilia ſymptomata, ſed Arſenicum eos tunc non manifeſto cum impetu aggreditur, & ſubdole magis vitae inſidiatur; naſcuntur his in caſibus dolores in ventriculo, praecipue fixi, perque totum abdomen vagantes; ſitis vehemens, febris lenta, tabes, paralyſis, atque quotidie increſcens debilitas principium vitale ſenſim exſtinguunt.

§. 134. Externe admoto Arſenico, haud raro etiam febre lenta conſumuntur miſeri, imo ſatis certe moritur foemina, ſi Arſenicum vaginae immittatur. Exſtat talis caſus in *actis Hafnienſibus* Vol. III., ubi refert Cl. MANGOR de ruſtico quodam Fionenſi, qui poſtquam uxorem, Arſenico ſolito more exhibito, occidere fruſtra tentaſſet, conſilio vetulae cujusdam edoctus, minimam vaginae laeſionem eſſe lethalem, mane inter 7 & 8 horam, coitu cum conjuge in anteceſſum celebrato, Arſenicum cum farina mixtum ejus vaginae immiſit tali cum effectu, ut foemina illa ad eum usque diem optima fruens ſanitate hora tertia pomeridiana inopinato & continuo corriperetur horrore, frigore, & urente vaginae dolore: fruſtra maritus, perpetrato crimine confeſſo, per lactis injectionem periculum avertere conatus fuit; accedunt vomitus, cardialgia, anxietas; tum per aliquot horas quaſi moribunda jacuit, dein ſuccedunt iterum vomitus, & delirium, atque diei inſequentis hora duode-

decima ante meridiem absque convulſionibus animam efflavit: demonſtravit autem artis Veterinariae in Academia Hafnienſi Profeſſor Cl. ABILGAARD (138), illius mortis cauſam unice eſſe petendam ex Arſenico vaginae immiſſo experimentis, ex induſtria hac de re in duabus equis captis.

§. 135. Si haec omnia perpendamus, Arſenicum diverſa pro quantitate diverſimode quoque agere videtur; nam, majori quantitate ingeſta, vi corrodendi & deſtruendi partes organicas, qua pollet, vitam mox exſtinguit; minori autem doſi aſſumta, quum nunc partium, quas attingit, organicam ſtructuram non illico deſtruat, non poteſt, quin irritet ſimul plurimum ventriculum & inteſtina, quae ab hoc violentiſſimo ſtimulo laceſſita ſumma cum vi reagunt, ac ſimul ob conſenſum, qui datur inter caput & ventriculum cum hoc organo & per illud etiam cum ceteris omnibus malum communicant: hinc tota ſymptomatum caterva, quae tali in caſu ſemper obſervatur; oritur quidem mors, at illam nunc praecedunt dolores & convulſiones atrociſſimae, quae vitae vires ulterius projiciendo & ſuum ad machinae humanae interitum conferunt, adeo ut mors, jam certo certius organicae ſtructurae per Arſenicum deſtructionem

(138) Cf. de hoc Oxydo *Act. Hafn.* T. III. a p. 178. ad 193. Cl. PLENCK l. l. p. 271. & ſeqq. Ill. GMELIN, *Apparat. Medicam.* Vol. I. a p. 250. ad 256. Cel. MEAD, *Lib. de Venenis Tentam.* IV. a p. 108. ad 120. Cl. VAN GEUNS l. l. p. 45 & 46; nec non Ill. FOTHERGILL, in *Medical. Obſervat. and Inquiries*, Vol. V. Art. 37. p. 394 & ſeqq.

nem ſequutura, inſignibus turbis, quas principii vitalis reactio efficit, adhucdum acceleretur.

Noſtra ergo ex opinione Arſenicum in iis caſibus, ubi cito necat, ab abſorbentibus non hauritur, nec minima ejus portio ſanguinem intrat, verum manet in primis viis, ac omnia ſymptomata ſecundarum viarum tantum per conſenſum excitat.

§. 136. Plerique interim contrariam tuentur ſententiam, & inter eos prae aliis nominandus Cl. MANGOR, cujus argumenta ſunt potiſſimum ſequentia.

Primo. Probatum eſt, inquit, experimentis & obſervationibus, Arſenicum externe in tinea, vulneribus & cancro, imo integra cute ſub forma emplaſtri applicatum facile reſorberi, ac graviſſima ſymptomata imo mortem ſubitaneam aliquando producere. — Quod ex Arſenico externe adplicato mors quandoque ſequatur, nullum eſt dubium; Arſenicum autem hocce album ſeu oxydum Arſenici ipſum fuiſſe iis in caſibus abſorptum, nullo argumento fuit demonſtratum.

Secundo. Effectus Arſenici ſaepe in loco diſſito eſſe majores, quam in illo loco, cui proxime adplicatur, uti alopoecia, vertigo, inflammatio pharyngis, tuſſis, colica, vomitus ab Arſenico, externe admoto, probant. — Maxime etiam ſtringeret hoc argumentum, niſi ipſa ſymptomatum indoles doceret, illa multo melius ex nervorum conſenſu, quam ex abſorptione poſſe explicari. Eo autem magis puto, illa ex hoc fonte eſſe eruenda, quo certius ſit, quod tantum in ſubjectis delicatioribus obſerventur, dum ceterum Arſenicum, externe applicatum, nullas excitare turbas, Practici norunt omnes.

Ter-

Tertio. In vagina tam foeminae quam equae non niſi partem immiſſi Arſenici fuiſſe poſt mortem repertam, viro praeclaro argumento eſt, reliquam ergo partem in vagina, lente ſolutam, a vaſis lymphaticis fuiſſe abſorptam. — Sed ſi perpendamus, ab affluxu humoris, qui numquam non ad acre obtundendum ſecernitur, nec non a pluribus cauſis accidentalibus illam Arſenici jacturam optime poſſe explicari, absque ut ad materiei tam acris abſorptionem confugere neceſſe ſit, ſique addamus, in foeminae vaginam lac fuiſſe injectum, ſponte patebit, inde nullum poſſe peti contra propoſitam ſententiam argumentum.

Quarto. Adjicit vir Cl., in cadavere tam foeminae, quam equae pulmones fuiſſe repertos atros, lividosque, & ſanguinem diſſolutum. — Verum ſi Arſenicum per os ingeratur, non niſi raro pulmonum obſervatur gangrena, ita ut accuratiſſimi hac de re auctores Ill. GMELIN & Cl. PLENCK hujus ſymptomatis nullam habuerint rationem, quod igitur potius ex conſenſu inter pectus & partes genitales explicandum videtur: & quod ad ſanguinis diſſolutionem attinet, illa obſervatur quoque in peremtis ictu electrico, interim tali in caſu fulmen non abſorberi, nemo inficias ibit.

§. 137. Haec ſunt argumenta, quibus vir egregius utitur pro ſua ſententia, quae interea Arſenici abſorptionem non demonſtrant. Ab altera parte ad manus ſunt duo obſervata, quae ut videtur, contrarium locum habere, plane evincunt.

Prius eorum eſt ex *Philoſ. Tranſ.* Vol. L. petitum, ubi proſtat egregium abſorbentium ſelectus exemplum de Rubia tinctorum, Vitriolo Martis juncta, in quo Rubia promte per vaſa lymphatica abſorbebatur, e contra Vitriolum omne

excludebatur. Jam vero ſi abſorbentia Vitriolum Martis ob acrem ſtimulum plane non aſſumant, amabo quaeſo haurient & illa vaſa Arſenicum, acritate Vitriolum Martis longe ſuperans? — Alterum, quodque magis adhuc pro noſtra ſententia militat, ipſi Cl. viro MANGOR debeo, refert enim ille, unam equarum, cum quibus experimenta inſtituit Cl. ABILGAARD, ſolis injectionibus fuiſſe curatam, poſtquam per 12 ad minimum horas ejus vagina Arſenico fuiſſet repleta, & ſoliti veneni effectus jam pro parte ſeſe obtulisſent. Manifeſto probare videtur haec obſervatio, Arſenicum non abſorberi, verum ingeſtum topice agere in partes, quas tangit, in ceteras autem unice per nervorum conſenſum; veneni enim phaenomena jam apparebant, dum tamen cura localis ad medelam adhuc ſufficiebat. Non dubito ergo ad propoſitam quaeſtionem, an ſcilicet Arſenicum, qua tale abſorbeatur, nec ne? negative concludere.

§. 138. Haec autem valent tantum de oxydo Arſenici, praeparato hujus metalli maxime rodente; non vero de aliis ejusdem praeparationibus minus acribus; nam ſi refracta admodum doſi, aut aliis ſubſtantiis temperatum, exhibeatur Arſenicum, ejus vis deleteria longe alia ratione determinatur, nimirum tunc non amplius Inflammationem excitat, & corrodit, at imminuit & ſopit corporis functiones, ejusque ſtructuram pedetentim deſtruit; hinc in cadaveribus ex Arſenico refracta doſi exhibito exſtinctis notae Inflammationis ventriculi & inteſtinorum prorſus deſiderantur; Arſenicum amisſa vi corrodendi cum chymo ad inteſtina defertur, ubi larvatum virus, ſenſu, qui praeeſt lymphaticorum oſtiis, decepto, una cum chylo ab abſorbentibus hauritur, quae hanc ſubſtantiam metallicam in aſſimilationem cum humori-

ribus ineptam, crudam, ut ita dicam, ſyſtemati ſanguifero tradunt; quum vero hoc ſyſtema aeque minus ac abſorbens Arſenicum ſubigere poſſit, vitalis latex veneno inquinatur, & vaſorum ope iſtud per totum defertur corpus, ſed ſimul ac tota maſſa ſanguinea veneno fuerit imbuta, mox noxii Arſenici effectus ſeſe manifeſtant, imminuitur organorum vita, torpentque omnes corporis functiones, quotidie increſcunt ſymptomata, dum a ſanguine, venenata Arſenici qualitate imbuto, continuo magis & magis labefactantur, & degenerantur ſolida, oriuntur dolores vagantes per totum corpus, ſitis vehemens, tabes, febris hectica, & tandem, deſtructa penitus corporis ſtructura organica, mors.

GENUS SECUNDUM.

SALIA NEUTRA.

MURIAS OXYGENATUS HYDRARGYRI.

§. 139. Pertinet quoque hic ſal medius metallicus inter atrociſſima regni mineralis venena, illo ingeſto; oriuntur ſiccitas oris & linguae, ſitis inexplebilis, nauſea, vomitus violentiſſimi & pertinaciſſimi, dolor ventriculi quaſi urens, ac lancinans, alvi tormina, ejus fluxus dyſentericus,

cus, Inflammatio & gangrena ventriculi & inteſtinorum, convulſiones, animi deliquia, ſumma virium proſtratio, vox rauca, ſudores gelidi, mors, Cadavera citiſſime in putridinem ruunt, & poſt mortem ventriculi & inteſtinorum eroſio plerumque etiam ab hoc veneno obſervatur.

Uti hoc venenum quoad phaenomena, & effectus, quos edit, plurimum cum Arſenico convenit, atque ab eo tantum gradu differt, ſic & ejus agendi ratio, mortisque cauſa ſimilis reperitur; etenim majori doſi ſi ingeratur, Arſenici inſtar, vi corrodendi mox principium vitale deſtruit, & absque convulſionibus necat; minori doſi aſſumta partim ſtimulando ſolida, eorumque vires inordinata actione ulterius proſternendo, partim & vi corrodente & deſtruente vitam delet.

§. 140. Quomodo autem hoc venenum, aqua aut ſpiritu vini ſolutum, & juxta Ill. SWIETENI praeceptum exhibitum, agat, de eo minime conveniunt practici: ipſe SWIETENUS (139) multa exempla aegrorum, hoc remedio variis morbis liberatorum, refert; pro eadem ſententia faciunt hac de re in milites Anglicanos juſſu Ill. PRINGLE (140) inſtituta experimenta. Eandem ſententiam tuetur etiam Cel. STOLL (141); aliquando tamen illud nocuiſſe, non negat: pro hoc remedio tandem pugnant Doct.

(139) Vid. SWIETENII, Commentarios in *Aphoriſ.* BOERHAVII, T. V. §. 1477. p. 549 & ſeqq.

(140) Conf. *Medical Obſervat.* and *Inquiries*, Vol. I. Art. 28. & Vol. II. Art. 3 & 4.

(141) Conf. *Rat. Med.* P. III. p. 289. & ſeqq.

Doct. viri VAN DER EEM & VAN LEEUWEN (142), qui ingentem catalogum morborum, hac mercurii praeparatione curatorum, recenſent. Interim Ill. BRAMBILLA (143) ſcripſit, mercurium ſublimatum corroſivum non tantum non ſcopo ſatisfeciſſe, ſed & inde haemoptyſin, tabem, & paralyſes non raro fuiſſe ortas, imo defendit, SWIETENUM & PRINGLIUM a Medicis, quibus aegrorum cura fuerat commiſſa, in errores inductos fuiſſe; huic ſententiae ſuffragantur obſervationes Cel. virorum PLENCK & QUARIN, quorum prior memorat, ejus uſum tabem, haemoptoën, tuſſimque induxiſſe, atque hinc ab interno uſu prorſus abſtinendum eſſe, opinatur (144): alter ſic loquitur: „ novi equidem paucos, quibus ſublimatus „ auxilio fuit, plurimis tamen nocuit, & contractiones „ membrorum, nervorum inſanabiles morbos, haemoptyſes, „ & phthyſes lethales ex ejus uſu provenire vidi — forte „ in hominibus robuſtis, aut iis, qui paſtaceo ſunt habi„ tu, quandoque locum habere poſſet, at in aegris valde „ irritabilibus vel debili pectore praeditis merito ejus uſus „ eſt damnandus (145). " Cum illis etiam facit Ill. GIRTANNERUS (146), qui teſtatur, Luis venereae ſympto-

(142) Conf. eorum egregiam diſſertationem de *uſu venenorum in Medicina in Act. Servand. Civib.* T. XI. p. 668. & ſeqq.

(143) Conf. ejus *Chirurgiſche Practiſche Abhandlung van der Phlegmone und ihren Ausgangen*, II. Theil p. 365.

(144) Conf. l. l. p. 263 & 264.

(145) Vid. *Animad. Pract. in diverſos morbos*, Cap. XVI. p. 318.

(146) Conf. *Abhandlung uber die Veneriſche Krankheit*, I. Theil Lib. IV. Cap. XVI. p. 360. & ſeqq.

tomata quidem intra paucos dies evaneſcere plane, verum anguem ſub herba latere, & morbum dein majori cum vehementia redire, quin collegit vir praeclarus ad theſin probandam non pauca Practicorum obſervata, atque demum propria experientia aſſerit, omnes, qui hoc remedio uſi fuerant, intra paucos annos Phthyſi fuiſſe peremtos: denique Cel. FOURCROY (147) ab illorum ſententia non multum recedere videtur, inquit enim: „ requiritur, ut „ pulmones bene ſeſe habeant, ubi hoc remedium exhi- „ betur, nam magna opus eſt prudentia; — optabile foret, „ mercurialia imprimis ſalina non in tot hominum verſari „ manibus, dum ab imprudenti uſu ſaepe infelices admo- „ dum effectus obſervavi, imo cenſeo, publica auctoritate „ cautelas hac in re eſſe adhibendas."

§. 141. Hac in opinionum diverſitate ſi omnia inter ſe conferantur, ſequentia tamen videntur veroſimilia.

Primo. Ill. BRAMBILLAM non, ut ſunt, qui putant, ex invidia SWIETENI manes accuſaſſe, ſed e contra ſummo cum jure SWIETENUM & PRINGLIUM fuiſſe deceptos, ſcripſiſſe. Etenim ſi omnia illa obſervata ex vero fuerint capta, cur quaeſo SWIETENI ſucceſſores ad unum omnes hoc remedium repererint adeo pernicioſum, ut in eodem Noſocomio generali, in quo fere omnia obſervata, quae Ill. SWIETENUS refert, ſunt inſtituta, hodie publice cautum ſit, ne amplius adhibeatur minime BRAMBIL-

LAE

(147) Vid. *Elem. d'Hiſtoire Naturelle & de Chemie*, T. III. Cap. XV. p. 136 & 137.

LAE juſſu, verum conſilio Ill. QUARIN, viri in re medica nemini ſecundi.

Secundo. Quum proſtant medicamenta bene multa, quibus ſi non certius ſaltem aeque bene ac Muriate Oxygenato Hydrargyri virus venereum poteſt profligari, & radicitus expelli, absque ut inde iidem ſequantur funeſti eventus, hinc Mercurium ſublimatum corroſivum ad Luis Venereae curationem nunquam eſſe adhibendam, putamus.

Tertio. Quamvis ex Ill. QUARINI, BRAMBILLAE, GIRTANNERI aliorumque obſervationibus pateat, Muriatem Oxygenatum Hydrargyri minime indiſcriminatim & ſemper ſumma cum cautela eſſe adminiſtrandum, exinde tamen cum Cl. PLENCK concludere nollem, hoc medicamentum nunquam interne eſſe praeſcribendum, eoque minus, quum Doct. viri VAN DER EEM & VAN LEEUWEN ingenti obſervationum numero probaverint, id remedii genus, omnibus ceteris incaſſum tentatis, multis in morbis medelam attuliſſe, ita ut hac de re dubitare, aut ignorantiam aut partium ſtudium prodat.

Quarto. Licet ergo Hydrargyrum Oxygenatum ſalitum rite adhibitum in multis pertinacibus morbis remedium exhibeat praeſtantiſſimum, in ejus tamen uſu nonnullae regulae ſunt obſervandae: numquam enim hoc medicamentum eſt praeſcribendum iis, quibus aut pulmones ſunt teneri, aut qui ad Phthyſin inclinant; nec convenit illis, quorum primae viae ſunt debiles, aut valde irritabiles. Aeque minus eſt propinandum hominibus fibra tenera, gracili praeditis, nec in univerſum convenit feminis, praecipue in gravidis & puerperis illud remedium cane & angue pejus evitari debet, quin hominibus, ceterum ſanis, non

niſi debita cum prudentia, ac doſi admodum refracta in initio ſaltem debeat propinari; novi enim, liquorem SWIETENIANUM Ruſtico 50. annos nato, fibra certe non admodum delicata praedito, pro malo cutaneo, ad cetera rebelli, ſuiſſe adhibitum tali cum eventu, ut malum cutaneum quidem inde mitigaretur, ſed etiam Ruſticus cardialgia, & atrociſſimis imi ventris doloribus, alvique profluviis corriperetur, & quidem adeo vehementer, ut medicus Mercurio Oxygenato ſalitó omiſſo, & larga doſi C. P., omnium optime illius veneni antidoti, in ejus locum ſubſtituta, vix ac ne vix quidem aegro priſtinam reſtituerit ſanitatem; concludo igitur, ut immortalis BOERHAAVII verba mea faciam, „ hydrargyrum mira praeſtare in multis morbis in„ curabilibus, at prudenter a prudenti medico! abſtine, ſi „ methodum neſcis! (148)"

Quinto. Quum Cortex Peruvianus, una cum liquore SWIETENIANO propinatus, Hydrargyri noxias tollat effectus, absque ut aliquid de ejus viribus medicatricibus demat, probante hoc inter alia Mercurii cum C. P. connubio, quod numquam non a practicis praecipitur, ſi ſcilicet quis Lue venerea laborans febre intermittente inſuper corripiatur; hinc puto, non tantum in Lue venerea, ſi adhuc dentur medici, qui liquorem SWIETENIANUM in hoc morbo aegris eſſe exhibendum, judicant, ſed etiam in bene multis aliis morbis, decoctum C. P. jure merito in decoctorum lignorum locum poſſe, imo & debere ſubſtitui; quin

(148) Cf. BOERHAAVII *Elem. Chemie*, T. II. *profeſſus* 198. p. 488.

quin ex memorata illa C. P. proprietate ſpes affulgeat, fore, ut in poſterum, inventa illius cum Hydrargyro apta miſcela, hoc medicamentum, tum in Lue venerea tum in bene multis aliis morbis absque ullo periculo aegrotis exhiberi poſſit.

Sexto. Quum hodie conſtat, Muriatem oxygenatum Hydrargyri ab omnibus plantis adſtringentibus decomponi, atque ex unione Acidi Gallacei, cui hae plantae adſtringendi facultatem debent, cum Mercurio formari Gallatem Hydrargyri, ſequitur Gallas Quercus & C. P., maxima acidi copiam in ſe continentes, eſſe optima hujus veneni antidota. Jam vero, quum Mercurius cum Cortice ingeſtus retineat tamen vim antivenercam, videtur inſuper conſtare, Gallatem Mercurii eſſe pharmacum omni periculo vacans, & tamen nulli Mercuriali medicamento inferius.

APPENDIX.

VENENUM TUCUMAS.

§. 142. Inter venena, quorum indoles latet, unice memorabo celebre venenum Americanum Tucumas, dum cum illo etiam multa inſtituerit experimenta Cel. FONTANA, juxta quem illud ſequentibus gaudet proprietatibus; ſapore & guſtu, quibus multum convenit cum liquiritio Hispanico, non nocet, nec acidi nec alcalini exhibet dotes, interne aſſumtum etiam eſt noxium, at tunc ad mortem inferendam requiritur doſis longe major, cuti applicatum non nocet, per leviſſimum autem vulnus cum corpore animali communicatum

certam provocat mortem; agit tamen minus cito quam venenum viperarum, & partis laeſae amputatio certiſſimum prebet antidotum; in omne animantium genus eadem cum vehementia non ſaevit, namque ſerpentes, viperae, vermes, inſectaque ab hoc veneno non laborant; alia tamen animalia, frigidi licet ſanguinis, uti v. g. ranae, inde moriuntur. Nervis etiam laeſis applicitum venenum cum corpore non communicatur, ſed ſanguini immiſſum momento citius necat, & absque convulſionibus: in cadaveribus pulmones ſemper reperiuntur gangrena affecti, ac eorum vaſa vix ullum ſanguinem continent, e contra venarum trunci majores ſanguine plus ſolito turgent, ſanguis eſt coloris atri, & minime ſe coagulat, muſculi generatim ſunt flaccidi, ſolitoque pallidiores.

Solita ſymptomata, quae poſt inflictum vulnus ſequuntur, ſunt convulſiones, ſubitanea virium proſtratio, ſenſus & motus abolitio, aegri dein corripiuntur fere univerſali paralyſi, reſpiratio multum impeditur, oritur lethargus & mors; ſin autem animal inde non moriatur, poſt paucas horas ſanitas priſtina iterum reſtituitur; notari inſuper meretur, hoc virus, ceterum Irritabilitati maxime inimicum, nihilominus juxta Cel. FONTANAE obſervationes cordis & inteſtinorum vim haud minuere (149).

§. 143. Haec, quamvis aliquam de hujus veneni actione adferant lucem, longe tamen abſunt, quam ut omnes diffi-

(149) Cf. Cel. FONTANA l. l. T. II. a p. 83. ad 124. *Philoſ. Tranſ.* Vol. XLIV. p. 408. & ſeqq. Vol. XLVII. p. 75. & ſeqq. nec non Cl. VAN GEUNS l. l. §. 45. p. 54. & 55.

difficultates tollant, verum hic manet adhucdum multum obſcuri: in quantum autem ex relatis pateat, videtur hoc venenum a vaſis abſorbentibus hauriri, perque ea ad ſyſtema ſanguiferum deferri; ſimulac autem illud ſyſtema intraverit, mox agit in vaſa, illa conjicit in motus irregulares, ac prae nimia ſtimuli violentia eorum, nec non ceterarum partium muſculoſarum Irritabilitas deſtruitur. Inſuper pulmonibus nimica horum actionem numquam non peſſumdat; quum vero nulla N. C. pars a cauſa morbifica quacumque poſſit laedi, quin oriantur principii vitalis ad ſtimulum averruncandum conamina, naſcuntur in animali oeconomia inſignes turbae, quae non poſſunt, quin ſyſtema nervoſum ceteraque noſtra organa in conſenſum rapiant; etſi igitur ab hoc veneno protopathice nervi non laborent, ſemper tamen etiam cum his ſecundarie ſtimulus venenatus communicatur. Ne huic explicationi objiciatur, veneni obſorptionem non eſſe veroſimilem, quum cutis vaſis lymphaticis non careat, ac veneni interne aſſumti ad mortem inferendam multo major quantitas requiratur. Haec licet ita ſint, minime tamen noſtram refellunt opinionem; praeterquam enim, quod admodum probabile videatur, abſorbentium orificia pro variis muneribus, quibus a Natura ſunt deſtinata, diverſa praedita eſſe ſtructura; probavit inſuper Cl. MASCAGNIUS, ſyſtematis abſorbentis fabricam non ubique eſſe eandem, ſed illam pro diverſa abſorbenda materia differre: hinc etiamſi vis aſſimilandi indolem contentorum toti ſyſtemati abſorbenti ſit communis, illa tamen non aequabiliter in omnibus ejus partibus viget; quin noſtro in caſu illud virus ab abſorbentibus inſignem pati debeat mutationem, dum aliter eodem modo ac ſi ſan-

guini

guini immediate admiſceatur, momento citius vita privaret animal.

Agit ergo hoc venenum protopathice in ſolas partes irritabiles, & pulmones, atque harum ope malum cum ceteris organis communicatur, illa autem ſtimulata hoc in caſu, uti ſemper, potentiae nocenti reſiſtere conantur, ſed ob ſtimuli violentiam brevi ſuccumbunt ſolida, deſtruiturque illorum organica compoſitio, cujus deſtructione ſemper generatur mors.

CLAS-

CLASSIS SEPTIMA.

MORS EX MORBIS UNIVERSALIBUS.

§. 144. Inter hos morbos Febres & morbos febriles refero, ita tamen, ut Febrim hecticam, utpote fere ſemper a laeſa functione alicujus organi pendentem ad hunc locum non pertinere putem; Febris bilioſa quidem quoque plerumque ab affectis primis viis oritur, ſed quum in hoc morbo plura organa ſimul laedantur, & quum illa haud raro etiam in Febrem putridam mutetur, ea inter morbos univerſales videtur eſſe collocanda; ceterum Febrium diviſionem Ill. VOGELII (150) in 6. Claſſes, ceu Naturae admodum congruam, ſequar, ac ordine a Cl. viro propoſito illas pertractabo. De morbis vero Febrilibus, quum imprimis eatenus, quatenus ad nos pertinent, inter ſe admodum ſint analogi, non ſingulatim diſſeram, ſed de iis omnibus junctim tantum monebo, quotuplici ratione mortem inferant.

O R-

(150) Cf. S. G. VOGEL *Handbuch der practiſche Arzneywiſſenſchaft*, erſter Theil Cap. I. p. 24.

ORDO PRIMUS.

FEBRES.

GENUS PRIMUM.

FEBRIS INTERMITTENS.

§. 145. Febris intermittens, per ſe non periculoſa, tamen mortem poteſt inferre, ſi aliunde ejus agendi ratio in Corpus Humanum mutetur, modificetur, intendatur. — Contingunt haec vel ex conſtitutione epidemica, cujus genius ſeſe jungit febri intermittenti, vel ex anni tempore, aetate, & ſtatu ſanitatis ſubjecti aliunde turbato.

§. 146. Jure merito conſtitutio epidemica primum tenet locum, a qua tantum indoles Febris determinatur, ut pro varia regnante Epidemia ad Intermittentis curationem diverſam medendi methodum inſtituere debeat medicus. Hinc autem Febres intermittentes necant vel prae nimia potentiae nocentis vehementia, qua principium vitale deletur; vel impediendo unam alteramve functionem, ad vitam plane neceſſariam, huc inter alias pertinent Febres algidae, quae frigore mortifero, quo ab initio ad finem notatae ſunt, vaſa ad corporis peripheriam collocata ſpaſtice contrahunt, ſicque efficiunt, ut humores cum impetu introrſum ruant; obruuntur ergo ſanguine cerebrum, cor & pulmones, ac prout hoc vel illud organum ceteris exſiſtat de-

debilius, pro ea ratione hiſce in caſibus, aut ex apoplexia, aut ſyncope, aut ſuffocatione pereunt homines.

§. 147. Porro conſiderandum venit anni tempus; aeſtate enim, ubi ceteris paribus pleraeque malignae Febrium intermittentium ſpecies obſervantur, haud raro illarum malignitas pendet a ſyſtemate gaſtrico, bile depravata repleto, hinc illas ſaepe concomitantur gaſtritis & enteritis ſpuria, quae mox in gangrenam abeuntes prae canalis cibarii ſphacelo vitae filum abrumpunt: e contra tempore hiemis & veris initio aliquoties intermittentes conditionem inflammatoriam aſſumunt; ſi medicus tunc ad anni tempus, ac inflammatoriam Febris indolem non attendat, atque agroto antiphlogiſticorum loco C. P. praebeat, haud raro brevi actum eſt de vita, peritque illo in caſu aeger, aut quia Inflammatio abiit in gangrenam, aut quia organum ad vitam ſuſtentandam plane neceſſarium Inflammatione impeditur, quominus ſuam functionem exſerat.

§. 148. Sed etiam aetas haud raro in cauſa eſt mortis ex Febre intermittente, ceterum minime maligna; ſic e. c. Febris vernalis ſaepe vi depuratoria deprehenditur humano generi ſalutifera, attamen non raro ei ſuccumbunt ſenes, quum illorum vita minima congeſtionem ſanguinis, introrſum non perferre valeat, quippe cor & vaſa ſanguifera majora ob rigiditatem, & ad ſtimulos inſenſilitatem haud ſufficientem vim prementi ſanguinis columnae opponunt, verum ſanguine obruta mox agere ceſſant; idem ſaepe accidit valetudinariis & cachecticis, dum etiam in illis vita languet, & igitur debita vi reagere, ac ſanguinem ad corporis peripheriam repellere organa non valent.

§. 149. Moritur igitur homo, ſi ex Febre intermittente

pereat, plerumque in primo eius ſtadio, non tamen illud Frigoris ſtadium ſolum eſt lethiferum, ſed & in ſecundo ſtadio calor ita intendi poteſt, ut ex nimio calorici ſtimulo principium vitale exſtinguatur, quae moriendi ratio tamen in India tam Orientali quam Occidentali, ac imprimis in regionibus ſub zona torrida ſitis magis quam ſub climate temperatiori accidere ſolet (151).

GENUS SECUNDUM.

FEBRIS INFLAMMATORIA.

§. 150. Ab hacce Febre, moritur homo.

Primo. Quando ob inflammationis vehementiam principium vitale exſtinguitur, quo in caſu vel ſub ultimis vitae

(151) Merentur de Febre intermittente conſuli Ill. VOGEL l. l. Cap. II. p. 30. & ſeqq Cell. QUARIN *de curandis Febribus* & *inflammationibus* Cap. XII. p. 152. Ill. STOLL *Aphoriſm. de cognoſcend. & curand. Febribus* p. 98. §. 395. & ſeqq. Cl. W. GRANT *Obſervations on the Nature and cure of fevers*, Vol. I. p. 1. & ſeqq. Cl. G. CLEGHORN *Obſervat. on the epidemical diſeaſes in Minorca from the year* 1744. to 1749. edit. ſec. Cap. III. p. 135. & ſeqq. Cel. SELLE *Medicina clinica* p. 31. & ſeqq. ac in *pyretologia* Ord. IV. p. 338. & ſeqq. Cl. MACBRIDE *Introductio Methodica in theoriam* & *praxin Medicinae* ex verſione CLOSSII P. II. Cap. VII. p. 50. & ſeqq. nec non Ill. BURSERIUM DE KANILVELD *Inſt. Med. Pract.* Vol. I. P. I. p. 141. & ſeqq. ibique citatos auctores.

tae conatibus, id eſt, ſub convulſionibus vita fugit, vel virium vitalium exceſſum excipit ſumma earum debilitas & proſtratio, quae in Febre hac non raro ante mortem obſervantur, ac eo in caſu quadam ſpecie gangrenae, ut ita dicam, univerſali perit homo.

Secundo. Aut perimitur criſi imperfecta, ubi ſcilicet materies morboſa verſus aliquod organon internum defertur, atque ibi abſeſſum non aperiendum format, quo in caſu interit homo ob deſtructionem virium & functionum vitalium unius alteriusve annuli e medio catenae.

Tertio. Nonnunquam ſuppurationis univerſalis ſpecie diem obit ſupremum, quando poſt mortem omnia viſcera humore puriformi obtecta inveniuntur, & quod omnino annotandum, haecce materies, teſte Ill. HEWSONO (152) plerumque in illis locis reperitur, ubi alias lympha ſecernitur, indicio, ſecretam illam materiam non eſſe purulentam, ſed unice lympham coagulabilem, cujus ſecretione ſaepe Inflammatio terminatur.

Quarto. Aut denique cum diatheſi inflammatoria univerſali ſaepe localis conjungitur phlogoſis, & tunc plerumque vel enteritide vel peripneumonia aut earum partium gangrena e medio tollitur homo (153).

GE-

(152) Cf. *Experim. inquiries into the lymphatic. ſyſtem.* p. 118.

(153) Cf. de hac Febre Ill. SELLE *Pyretologia* l. l. & *Medicina Clinica* p. 14. & ſeqq. Cel. MACBRIDE l. l. Lib. I. Cap. III. p. 10. & ſeq. Cl. OOSTERDYK *Praecepta Medicinae Pract.* Cap. VII. p. 38. & ſeqq. Cel. STOLL l. l. a §. 51. usque ad 67. Ill. VOGEL l. l. Lib. I. Cap. V. p. 297. & ſeqq. Cl. GRANT l. l. Vol. I. p. 89.

GENUS TERTIUM.

FEBRIS BILIOSA SEU GASTRICA.

§. 151. Illa triplici potiſſimum modo hominem necat.

Primo. Ubi bilis depravata horrendas turbas in animali oeconomia producit, vires proſternit, & niſi ejus actio cito inhibeatur, brevi ipſa agendi vehementia principium vitale delet.

Secundo. Quum acris illa bilis generet viſcerum Inflammationes, quae ad eryſipelatis naturam accedentes cito in gangrenam abeunt, hinc ſaepe etiam hoc in morbo moritur homo ex inteſtinorum ſphacelo.

Tertio. Quando humor bilioſus metaſtatice defertur ad partem nobilem, encephalum imprimis & pulmones, nec non ad pectoris cava, ibique excitat aut apoplexiam, aut pleuritides & peripneumonias mox letali gangrena terminandas (154).

GE-

p. 89. & ſeqq. & Cel. BURSERIUM DE KANILVELD l. l. Vol. I. P. II. de *Febribus continuis continentibus* p. 305. & ſeqq

(154) Cf. hac de Febre Ill. STOLL l. l. p. 84. & ſeqq. & paſſim in *Rat. Med.* praecipue tamen in duabus partibus prioribus, Ill. VOGEL l. l. Vol. I. Cap. VI. p. 314. & ſeqq. Cel. BURSERIUM DE KANILVELD l. l. P. II. *de Febre gaſtrica acuta* p. 440. & ſeqq. Cel. SELLE *Pyretologia* Ord. II. p. 215. & ſeqq. & *Medicina Clinicae* p. 21. & ſeqq. Cl. OOSTERDYK l. l. Cap. VI. p. 35. & ſeqq. Ill. GRANT l. l. Vol. I. p. 335. Ill. TISSOTUM *de Febreillioſa Lauſanenſi*, nec non Cel. RICHTERUM *Mediciniſche und Chirurgiſche bemerkungen*, Cap. XVII. p. 128. & ſeqq.

GENUS QUARTUM.

FEBRIS PUTRIDA.

§. 152. Hac in Febre non modo unius alteriusve organi vita eſt debilitata, ſed fractum eſt principium vitale, languentque functiones Corporis Humani ad unum omnes; hinc illa, Febris nervoſae adinſtar, non per inſigne temporis ſpatium protrahitur, ſed Natura a potentia nocente violentiſſimae ſtimulata ſummoque in diſcrimine verſans vires ſuas ut ut fractas, quantum poteſt, reſtaurat, ac illi reſiſtere conatur, ſicque brevi aut feliciter vincit illam, aut victa ei manus dat, vitaque fugit ſub umbras.

§. 153. Catena autem virium vitalium triplici modo hocce in morbo rumpitur.

Primo Quando principium vitale ſtimulo morboſo ſenſim magis & magis imminuitur, ac tandem plane exſtinguitur, ſicque ergo catena deſtructione totius deletur, quo in caſu lingua nigra & ſcabra, motus maxillae quaſi manducantis, floccorum venatus, deglutitio difficilis & ſonora, tendinum ſubſultus, reſpirationis difficultas, hypochondriorum tenſio, ventris meteorismus, ſtillicidium cruoris e variis corporis partibus, ſingultus, alvus nigra, abortus, ac odor cadaveroſus totidem imminentis fati ſunt prodromi.

Secundo. In Febre putrida ab acerrimo fomite morboſo ſaepe excitantur inflammationes topicae admodum periculoſae, quum illae peſſimae indolis mox in gangrenam abeant quo

quo in caſu pro vario organo, quod tali corripitur inflammatione, cauſa mortis eſt varia.

Tertio. Nec raro hoc in morbo materies morboſa per metaſtaſin ad partes nobiles deponitur, imprimis autem ad cerebrum illa defertur, unde primo delirium, dein ſtupor cum crebro grunuitu, pulſu vibrante celerrimo, ac tandem morte convulſiva, apoplectice perimitur homo (155).

GENUS QUINTUM.

FEBRIS NERVOSA.

§ 154. Quum illa ſaltem in initio unice in nervoſi ſyſtematis debilitate conſiſtat, absque ut ſyſtema ſanguiferum minimam inde contrahat mutationem, morbus hicce per longum temporis ſpatium extendi poteſt; ille autem, ſi morte terminetur, ſextuplici ratione poteſt eſſe funeſtus.

Primo. Aut vires in dies magis & magis decreſcunt, ita ut

(155) Cf. hoc de morbo Ill. STOLL l. l. p. 117. & ſeqq. ac in *Rat. Med.* P. III p. 95. & ſeqq. Cel. SELLE *Pyretologia* Ord. I. Gen., II. p. 181. *Medicina Clinica* p. 18. & ſeqq. Ill. MACBRIDE l. l. Lib. I. Cap. V. p. 28. Cl. OOSTERDYK l. l. Cap. V. p. 33. & ſeqq. Ill. VOGEL l. l. II. Theil Cap. I. Cel. BURSERIUM l. l. T. I. P. II. p. 324. & ſeqq. Cel. SWIETENUM l. l. T. II. a p. 419. usque ad 443. nec non Ill. QUARIN l. l. Cap. IV. a p. 48. ad 86. & Cl. W. GRANT l. l. Vol. I. p. 236. & ſeqq.

ut leviſſimo nixu animi deliquia & ſudores frigidi appareant. Aegri in initio valde irritabiles, nunc ſurdi & ſtupidi fiunt, non raro etiam viſus & auditus organa peſſumdantur, alitur nihilominus per breve tempus adhucdum vitae flammula, ita tamen, ut ea quotidie imminuatur, ac tandem exſtinguatur, adeo ut homo, tali modo peremtus, per aliquot dies jam difficulter ſpiritum trahens, ac ceu moribundus jacens, demum, ceſſante ſcilicet plane ad ſtimulum reagendi ſolidorum facultate, vivere deſinat, moriaturque ſic ob ſolidorum ad ſtimulos inſenſilitatem.

Secundo. Plerumque imminente morte oritur lethargus, tremit lingua, frigent extremitates, fluctuat debiliſſimus pulſus, ſubſiliunt tendines, exeunt invito aut inſcio aegro excrementa ac tandem, ut Ill. SELLII (156), verba mea faciam, univerſalibus convulſionibus, aut morte apoplectica aeger e medio tollitur, hoc in caſu materiem morboſam metaſtatice ad cerebrum fuiſſe delatam, cadaverum diſſectiones docuerunt.

Tertio. Nec raro fit metaſtaſis in pulmones, naſcitur reſpiratio anxia & ſonora, pulſus fit parvus debilis celer, ac brevi catharro ſuffocativo perit miſer.

Quarto. Saepe etiam materies morboſa ingenti cum vehementia primas aggreditur vias, ita, ut ſtimulus morboſus fere ſemper arte fit ſuperior, quo in caſu dejectiones crudae liquidae aquoſae ſummo cum virium decremento continuo aegrum excruciant; talem fluxum colliquativum, ubi

(156) Conf. *Pyretologia* Ord. III. Gen. III. p. 312.

ubi ſcilicet eum praevertere, inhibere, aut ſtimulum irritantem enervare nullis in arte auxiliis fieri poterat, obſervavit Cel. STOLL (157); hinc tali modo puſillis virium reliquiis plane fractis, plerique aſſiduis ejusmodi ſeceſſibus peremti ſunt: his igitur in caſibus depravata agendi norma unius alteriusve annuli, ad catenam virium vitalium plane requiſiti, illa disrumpitur, hoc eſt, deletur principium vitale.

Quinto. Nonnunquam ſuperveniunt ſudores profuſiores, viſcidi & frigidi; hoc in caſu ubi totum corpus quaſi ſudoribus diffluit, etiam plerumque deficit Natura, quum copioſe per totam corporis peripheriam emanantes ſudores mox corpus omni ſuperſtite energeia privent; pallent & livent nunc ungues, vacillant, interciduntque pulſus, finitur delirium profundo ſopore, quem ob ceſſantem omnium organorum actionem brevi perpetuus excipit ſomnus.

Sexto. Denique aliquando Naturae vires medicatrices, ultima vice omnes intendentes nervos, ſpasmum excitant univerſalem, quo vitae filum cito abrumpitur (158).

G E-

---

(157) Conf. ejus *Rat. Med.* P. II. p. 23. & ſeqq. edit. Leidenſis.

(158) Legi hac de febre merentur Ill. STOLL l. l. Cl. R. A. VOGEL, *Praelect. Acad.* §. 56. p. 39. & ſeqq. Ill. S. G. VOGEL l. l. II. Theil Cap. II. Cel. BURSERIUS l. l. Vol. I. P. II. p. 342. & ſeqq. Ill. QUARIN l. l. Cap. V. p. 86. quod ſaltem pro parte hujus videtur eſſe loci, Cl. BUCHAN, *huislyke Geneeskunde*, ex verſione Doct. LYKLAMA A NYHOLT, Cap. XIX. p. 213. & ſeqq. Ill. SELLE, *Pyretologia*, Ord. III. Gen. I, II & III, & *Medicina Clinica*, p. 28. & tres ſeqq. ibique citatos auctores, nec non MACBRIDE l. l. Lib. I. Cap. IV. p. 20. & ſeqq.

GENUS SEXTUM.

FEBRIS CATHARRALIS.

§. 155. Tandem accedimus ad Febrim catharralem, quae maxime noſtram meretur attentionem: quamvis enim Febris catharralis, per ſe nunquam vitam tollat, haud raro tamen complicatione cum epidemica conſtitutione ita modificatur, & a miti indole adeo detorquetur, ut brevi mortem inferat, cujus funeſta exempla proh dolor! hac in regione quotannis non pauca exſtant: poteſt autem conjungi vel cum diatheſi inflammatoria, vel cum bilioſa, vel cum putrida, vel & denique materies catharralis prae ceteris afficere poteſt nervos, tuncque oritur morbus, qui vulgo ſub nomine *Febris catharralis malignae* ſive *nervoſae* venit.

§. 156. Hae autem ſunt complicationes, cum quibus Febris catharralis frequenter occurrit, atque quarum ſub larvis haud raro medicum fallit; neque mirum, quum Febris catharralis, qui tam varias imo & oppoſitas complicationes ſibi adſciſcere valet, minime ſemper iisdem cum phaenomenis ſeſe nobis offerat, verum ea exhibeat pro varia complicatione admodum diverſa, pro diverſa igitur complicatione, quacum conjuncta reperitur, variis nec raro oppoſitis remediis is oppugnari debeat, hinc V. S. ſaepe requiritur, ſed & haud raro reperitur nociva; aliis in caſibus omnem paginam abſolvit vomitorium; nonnunquam

e contra illud ingentes adfert noxas; nunc blanda alvi ductio eſt admodum ſalutaris; nunc e contra cane & angue pejus omnia evacuantia ſunt vitanda, ac omnem ſpem in Opio vel & in ejus cum Ipecacuanhae conjunctione poni debet; in Febre catharrali nervoſa aut putrida ſummo cum jure celebrantur Cortex Peruvianus, Vinum, Arnica, Caphura, Sal. volatile C. C. ceteraque cardiaca: illa interim in Febre catharrali ſimplici, aut & cum diatheſi inflammatoria conjuncta praeſcribere velle plus quam ignorantiam prodere eſſet.

Liquet ergo ex his, quam grave Medici ſit officium, illisque non nomen, verum ipſum morbum eſſe curandum, dum haud raro eodem ſub nomine oppoſiti plane lateant morbi.

§. 157. Eandem ob rem de cauſa mortis ex hacce febre nil certi dici poteſt, dum pro diverſa complicatione illa quoque differat oportet; non poſſum ergo niſi exhibere mortis ex hocce morbo cauſas generales, id eſt eas, quae hac in Febre plerumque occurrere ſolent, illa autem potiſſimum ad IV ſequentes referri poſſe videntur.

Primo. Aut exſtinguitur vita nimia reactione virium vitalium ad cauſae morbificae ſtimulum, eo in caſu vel moritur ille horrendis ſub convulſionibus, vel ob nimis auctum vaſorum tonum ſanguis ſumma cum celeritate per totum corpus vehitur, obruuntur nimia ſanguinis quantitate cerebrum, cor & pulmones, ac ſuffocatione, ſyncope aut apoplexia perimitur homo. Hicce Febris catharralis exitus ceteris tamen obſervatur rarior, quum Febris catharralis inflammatoria, in qua unice ille accidere poteſt, ſi diathe-

ſis

ſis inflammatoria fuerit germana, teſtibus SYDENHAMO (159) & LANCISIO (160), viris in praxi admodum verſatis, non ita multis deprehendatur mortifera, quin, obſervante STOLLIO (161) illa, licet neglecta, potius in immedicabilem phthyſim pulmonalem tranſeat, quam quod per ſe mox inferat mortem.

Secundo. Poteſt etiam tanta cum violentia vires vitales aggredi cauſa morbifica, ut, uno quaſi impetu earum vigore fracto, in poſterum vixdum obſervetur principii vitalis reactio, quo in caſu ex ſtimuli morboſi vehementia aegrotans diem obit ſupremum.

Tertio. Haud raro hoc in morbo fit metaſtaſis verſus aliquam corporis partem, ibique materies morboſa defixa quaſi haeret, prae ceteris tamen afficit pulmones & fauces; e pulmonibus autem ſi materies morboſa exſpectoratione elici non valeat, ſuffocatur homo. At cauſa illius ſuffocationis nunc minime eſt nimia virium vitalium reactio, nam tantum abeſt, quod hoc in caſu virium vitalium exceſſus locum habeat, ut e contra ex earum torpore potius pereat aeger, unde tali mortis cauſae ſenes, infantes, ce-

(159) Vid. ejus *Opera omnia*, pag. mihi 241. & ſeqq. Edit. Leid. 1741. ubi vir praeclarus talem Febris catharralis ſpeciem, quae anno 1675. Londini epidemice fuit graſſata, ſub nomine *tuſſis epidemicae* deſcripſit.

(160) Conf. ejus *Opera omnia*, Vol. I. p. 126. & ſeqq. ubi ſub titulo: *Hiſt. Epid. Rheum.*, quae Romae anno 1709. ſaeviit, Febrim catharralem inflammatoriam depinxit.

(161) Conf. ejus *Rat. Med* P. II. p. 3. & ſeqq.

ceteraque ſubjecta debiliora prae reliquis ſunt expoſita: annotavit inſuper Ill. LUDWIG (162), faucium inflammationem ut plurimum eſſe funeſtam, puto id ex eo evenire, quod ſcilicet illa utpote impura cito in gangrenam abeat.

Quarto. Si denique materies catharralis ad cavum inteſtinale deferatur, oritur dyſenteria, ſymptoma huic morbo admodum familiare, de quo nunc paucis erit differendum.

Perpendamus igitur breviter, unde haecce morboſa materies inteſtinis adveniat, quae illius in ea ſit agendi norma, quibus auxiliis miſeris ſit ſuccurrendum, & demum ſi huic malo ſuccumbunt, quaenam mortis cauſa tunc adſignari debeat.

§. 158. Dyſenteria eatenus, quatenus hic loci conſideranda venit, ſemper eſt metaſtaſis materiae catharralis verſus inteſtinorum tunicas, quae ibi depoſita continuo inteſtina ſtimulat, cujus ſtimuli effectus eſt quod iis peculiaris inducatur degeneratio, ſeu potius quod excitetur enteritis impura ad eryſipelatis naturam accedens, quae niſi cito ipſi occurratur, brevi in gangrenam & ſphacelum tranſit, & ita e medio tollit hominem. Hanc eſſe veram hujus materiei catharralis agendi rationem, atque ulcera inteſtinorum hoc ex morbo ſi unquam, perraro ſaltem, accidere, non tantum probant Ill. STOLLII obſervata, ſed & ipſe propria experientia illud confirmare valeo. Abhinc enim triennio in Noſocomio militari *Hannovera-*

(162) Vid. *Inſtit. Med. Clin.* P. I. Cap. I. Subſect. II. §. 138.

rano, tunc temporis Leidae conſtituto, in pluribus quam quadraginta cadaveribus hacce morte exſtinctorum, (quae cultro Anatomico ſubjecit honoratiſſimus Praeceptor Cel. BRUGMANS) obſervare mihi licuit talem inteſtinorum impuram inflammationem, quae pro maxima parte jam in ſphacelum tranſierat, absque ut unquam in uno eorum minimum ſuppurationis ſignum obſervare potuerim.

§. 159. Quod autem ad hujus mali medelam attinet, ea praecipue Opio aut & ejus cum Ipecacuanhae connubio abſolvitur, praemiſſo vulgo blando alvi evacuante, niſi indicatio vitalis urgeat, quo in caſu Opium absque praemiſſa alvi ductione directe propinari debet; haec regula tamen generalis non eſt, quum pro variis Febris catharralis complicationibus ſaepe nonnulla aut Opio praemittenda aut & cum eo ſint jungenda, quin exſtent caſus, in quibus Opium deprehenditur nocivum. Plerumque tamen illud egregium praeſtat auxilium: poſſem ipſemet hanc veritatem propriis obſervatis confirmare, dum in memorato Noſodochio non paucos tali medela ex Orci faucibus ereptos vidi, niſi hoc jam TRALLESII, STOLLII, GEUNSII, MICHELLII & RICHTERI obſervatis plane eſſet evictum; novi quidem, Ill. STOLLIUM (163) ſcripſiſſe, vomitorium nonnunquam aeque egregium praeſtitiſſe uſum. Verumenimvero emetici actio minime ad primas vias eſt limitata, imo illud hic profuiſſe vi ſua diaphoretica docet Ill.

(163) Conf. STOLLII, *Rat. Med.* P. III. Sect. IV. Cap. XI. p. 332. & ſeqq.

Ill. RICHTERUS, qui teſtatur, parvas Tartari emetici doſes ſaepe aeque bene auxilium attuliſſe, ac doſes ordinarias; manifeſto indicio (ſic pergit vir praeclarus) hoc in caſu vomitus non eſſe neceſſarios. Quin & Opium profuiſſe, ubi purgantia, emetica & Arnicae radix nil valuerunt, monet ipſe STOLLIUS (164). Opium igitur in dyſenteria ceteris medicamentis facile praeripit palmam, ac illo ſolo Ill. RICHTERUS (165) & Cl. VAN GEUNS (166), haud raro omnem curationis paginam abſolverunt, eo magis autem hoc remedium praeſcribi meretur, quia ejus uſus, ſi modo Febris catharralis cum diatheſi inflammatoria non ſit conjuncta, niſi cum emolumento, ſaltem absque magna noxa ſemper tentari queat. Mirum interim, poſt tot, tantorumque virorum obſervationes nihilominus Ill. DEGNERUM, PRINGLIUM, ZIMMERMANNUM & TISSOTUM, qui imprimis ultimi fere ubique evacuantibus Dyſenteriam curare volunt, tot adhuc habere imitatores, quanto interim cum jure illi, ceterum de arte medica meritiſſimi viri, hoc ſcripſerint, in parte hujus exercitationis tertia erit videndum, ubi de Dyſenteria, malo non raro inter noſtrates ſaeviente, ex induſtria agam, qua occaſione ſimul notabo varias ex Dyſenteria moriendi rationes (167).

O R-

(164) l. l. Cap. II. p. 173.

(165) Cf. l. l. Vol. I. Cap. V. p. 94.

(166) Vid. ejus pulchrum librum de *dyſenteria epidemica, quae praecipue in Gelria, anno* 1783. *fuit graſſata* 8vo. §. 17. p. 35 & 36.

(167) De Febre catharrali praeter jam citatos auctores conſuli merentur Ill. GORTERUS, *Praxis Medicinae Syſtema*, Lib. III. Tit. IV.

ORDO SECUNDUS.

MORBI FEBRILES.

§. 160. Accedimus nunc ad morbos, qui Praxeos Medicinae inſignem conſtituunt partem, imprimis poſtquam recentiorum induſtria doctrina de Exanthematibus egregie adeo fuit exculta. Maxime interim dolendum, in determinandis Exanthematum ſpeciebus auctores minime convenire, hunc illam, alterum aliam amare diviſionem, ita ut ne quidem duo reperiantur, qui hac in re in una vel altera parte non diſſentiunt: Ill. STOLLIUS (168) interim praeter Variolas & Morbillos nulla alia Exanthemata primaria admittit, ceteraque tantum eſſe ſecundaria defendit, verumenimvero quum illius obſervationes rem plane conficere haud videantur, aliique non minus in praxi verſati viri, & ce-

IV. N. 231. p. 225. Cl. GRAND l. l. Vol. I. p. 119. Ill. VOGEL l. l. II. Theil Cap. V. Cel. BURSERIUS l. l. Vol. I. P. II. p. 407. & ſeqq. Ill. SELLE, *Pyretologia*, Ord. III. Gen. II. Spec. I. p. 318. ubi Febrim catharralem nervoſam ſub titulo febris putridae nervoſae deſcripſit, Ill. MACBRIDE l. l. Lib. I. Cap. VI. p. 39. & ſeqq. Doct. J. VAN DEN BOSCH, *de Morbis hac in regione endemiis in Act. Societ. Harlemm.* Lib. XVIII. ſed imprimis Doct. MICHELL, qui pulcherrime hac de febre, ejusque complicationibus egit in *Act. Vliſſing.* T. XI. p. 91. & ſeqq.

(168) Conf. l. l. P. II. Cap. XII. p. 165. & ſeqq.

cetera primaria ſaepe occurrere, afferant (169), hac in re ab egregio viro diſcedere & reliqua etiam uti primaria conſiderare, veri amor me jubet. De his interim omnibus ſeparatim agere non pertinet ad inſtituti rationem, eoque minus, quum eatenus, quatenus ad nos ſpectant, hoc eſt in determinandis mortis cauſis generalibus, inter ea maxima detur analogia; hinc morbos hoſce omnes junctim pertractabo, ita ut, praemiſſa Exanthematum generali conſpectu, inquiram, an Exanthemata per ſe lethifera ſunt, nec ne? hacce autem quaeſtione deciſa, quotuplici ratione illa humano generi poſſint eſſe funeſta, indicare tentabo.

§. 161. *Quoad Primum.* Exanthemata apud practicos vulgo diſtinguuntur in puſtuloſa, & maculoſa, inter priora pertinent Variolae, Febris Miliaris, Urticata & Peſtis, dum Morbilli, Scarlatina, Petechiae & Eryſipelas ad maculoſa referuntur. Attamen haecce diviſio in Naturae obſervatione haud eſt fundata, quum Exanthemata nonnulla, quae vulgo maculis ſeſe conſpicienda praebent, aliquando earum loco puſtulas aut veſiculas exhibeant, cujus rei in probationem Eryſipelas bulloſum nominaſſe ſufficit; imo Morbilli, qui in facie puſtulas exiguas nobis offerunt, in ceteris corporis partibus maculas exhibent, indicio, inter maculas & puſtulas differentiam eſſentialem non intercedere, quin contagium Varioloſum absque ullis puſtulis e corpore eliminari poſſe, practicorum obſervationes de Febre, ſci-

(169) Conf. Ill. BURSERIUS Vol. II. P. II. p. 327. & ſeqq.

ſcilicet Varioloſa ſine Variolis manifeſte probent (170); hinc, inſitione Variolarum facta, ſi modo ſolito tempore debita vulneris mutatio una cum Febre, ceterisque morbi Varioloſi characteribus accedat, poſſumus eſſe certi, aegrotum variolas re vera fuiſſe paſſum (171): idem etiam de miasmate Peſtilentiali tenendum eſt, dum & hoc contagium, teſte Ill. ORRAEO (172), non raro in initio per perſpirationem inſenſibilem ſine ulla medela ultro excernatur; unde patet, neque maculas neque puſtulas eſſentialem Exanthematum Febrilium conſtituere characterem, ſed tantum ad ea requiri, ut hauſtum contagium ad corporis peripheriam deferatur, ibique a vaſis cutaneis mutetur, ſubigaturque, atque ut ſic tandem hoc in caſu excrementi forma per perſpirationem inſenſibilem in auras avolet.

§. 162. Ex his videtur veroſimile, hauſto miasmate quocumque & cum ſanguine mixto, materiam illam morboſam hiſce in caſibus, uti in bene multis aliis, per vires Naturae medicatrices affinitate, ut ita dicam, quadam inexplicabili ad corporis peripheriam, & in Peſte haud raro ad glandulas deponi, illa autem depoſita morboſa materies ſtimulat continuo vaſa, cujus ſtimuli effectus eſt, ut eorum mu-

(170) Conf. Ill. SYDENHAM, *Opera omnia*, Sect. III. Cap. III. p. 162. Edit. Lugd. Batav. 1741. Ill. LUDWIG l. l. P. I. Cap. I. Subſect. VII. §. 176. p. 79. nec non Cel. BURSERIUS l. l. Vol. II. P. I. Cap IX. p. 322.

(171) Conf. Ill. VOGEL l. l. II. Theil Cap. II. p. 162.

(172) Vid. ejus deſcriptionem *de Peſte*, quae anno 1770. in Jaſſia, & 1771: in Moſcua graſſata eſt, *experientiae* 17, Petropoli 1784. p. 81. 4to.

mutetur fabrica: hinc vaſa, ſic continuo ſtimulata, nec non illorum agendi ratione a ſtimulo morbifico alteratâ, in materiem morboſam reagunt, illam ſubigunt, mutant, ac demum ſecernunt materiam, pro vario miasmate ac pro vario ſtatu ſanitatis ſubjecti admodum diverſam, ac quae pro variis conditionibus maculas, puſtulas, aut & abſceſſus nobis offert; ſecretio enim, uti omnes ceterae vires vitales ſemper eſt in ratione compoſita organorum ſecernentium ſtructurae, & ſtimuli applicati.

§. 163. Cum allatis congruunt apprime omnia Naturae phaenomena, quae in Variolis, ceterisque Exanthematibus easdem leges ſequitur ac in aliis ſecretionibus; ſi v. g. in Variolis diatheſis Inflammatoria minus vigeat, inflammatae Variolae in ſuppurationem non tranſire poſſent, priusquam V. S. vaſorum tonus fuerit imminutus; e contra ſi talis vis vitalis gradus, quae ad bonam ſuppurationem requiritur, deſideretur, loco blandi puris ſecernitur humor acris, qui pro varia ſolidorum depravata actione variam quoque aſſumens formam ichoroſis, lymphaticis, & ſanguineis ſive gangrenoſis Variolis originem praebet: hae enim Variolarum malignarum ſpecies quid ſunt aliud, niſi totidem depravatae organorum ſecretoriorum agendi rationes? quum, ſi his in caſibus principio vitali juſtis ſtimulis ſuccurrere valeamus, haud raro brevi loco depravati humoris ſecernatur pus bonae notae; manifeſto indicio, ſtatum materiae in morbis Exanthematicis ad corporis ſuperficiem delatae aequae bene ac caeteras ſecretiones ab actione ſolidorum pendere.

§. 164. *Quoad Secundum.* Tali modo Exanthematibus in genere conſideratis inquirendum eſt, an illa per ſe mortem

tem inferant? Ad hanc autem quaeſtionem reſponſurus dico, me in tali verſari opinione, Exanthemata ad unum omnia numquam non conſtituere morbum, ſi non benignum, mortis periculo ſaltem expertem, ſed eorum contagia tum complicatione cum conſtitutione epedemica, tum variis aliis accedentibus conditionibus haud raro ita mutari & modificari, ut inveniantur admodum funeſta ac ingentes ſtrages inter populum edant. Non dubito interim, fore plerosque, quibus tale reſponſum mirum videbitur, exponam igitur rationes, quae mihi in talem abire ſententiam ſuaſerunt, & ipſi judicent, quid de re ſit.

§. 165. Exemplo loco Variolae ſint: ſi morbus Varioloſiis lethalis ſit per ſe, illud periculum in contagio qua tali haerere debet: iſtud autem contagium qua tale vel eſt ſemper idem, aut mutationi eſt capax; ſi vero illud contagium per ſe poſſit mutari, tunc mutatum illud miasma alio modo quoque in noſtrum corpus agere, ac in illo alias producere mutationes neceſſe eſt; ſed ſi alias in corpora noſtro inducat mutationes, alius etiam obtinebit effectus, id eſt non amplius ab organis ſecretoriis deponetur materies Varioloſa, verum alia; at Variolarum loco ſi alia Exanthemata ad corporis peripheriam deponantur, omnis contagii Varioloſi idea cadit: requiritur ergo, ut contagium Varioloſum ſemper ſit idem; ſed eandem cauſam morbificam corpori ſano iisdem ſub conditionibus applicatam ſemper quoque eosdem praeſtare debere effectus, ſponte patet: ſin autem contagium Varioloſum qua tale reperiatur ſemper idem, ſique illud iisdem ſub conditionibus numquam non eumdem producat morbum, ſequi debet, morbum varioloſum, ſi ſcilicet ille per ſe ſit lethalis, ſoli-

 tis

tis phaenomenis, quibus ſeſe prodit, mortem, aut ad minimum ejus periculum inferre, quum reliqua ſymptomata non morbi Varioloſi, ſed vel conſtitutioni epidemicae cum Variolis conjunctae, vel ſtatui ſanitatis ſubjecti aliunde turbato, vel demum aliis cauſis accidentalibus ſint adſcribenda. Attamen ſatis abunde conſtat, quod ſolita variolarum ſymptomata per ſe periculo careant: ſi ergo contagium Varioloſum qua tale ſemper ſit idem, ſi ſemper iisdem ſub conditionibus eundem adferat morbum, ſique illius ſolita ſymptomata minime ſint periculoſa, patet, cetera ſymptomata, quae ſaepe periculum & mortem inferunt, non morbo Varioloſo eſſe neceſſaria, aut ad ejus naturam pertinere; verum illa deberi aut conſtitutioni epidemicae, aut alii cauſae morbificae per accidens cum miasmate Varioloſo conjunctae, hoc eſt, ut probata in ſummam contrahamus, Variolas per ſe absque complicatione cum conſtitutione epidemica, aut diatheſi peculiari aegrotantis ſiſtere morbum ſatis benignum, omnique periculo expertem.

§. 166. Hoc uti a priore argumentis ex ſano ratiocinio petitis haud difficulter probatur, ſic & a poſteriore practicorum obſervatis confirmatur; non tantum enim omnes practici auctores teſtantur, in Variolarum malignarum curatione non niſi generales regulas ſtatui poſſe, ac variis in caſibus pro re nata varia remedia eſſe adhibenda, adeo ut Variolis ſibi relictis non raro emeto-catharſi omnem curationis paginam abſolverit Ill. STOLL (173).

Sed

(173) Cf. *Rat. Med.* P. II. p. 153. & ſeqq.

Sed aliquando remedia ſtimulantia per ſe contagio Varioloſo oppoſita in uſum trahere fuit neceſſe, indicio, morbi malignitatem non eſſe repetendam a contagio Varioloſo qua tali, ſed a conſtitutione epidemica, aut a peculiari aegrotorum diatheſi: inſuper ipſa variolarum inſitio praebet argumentum, quod rem extra dubium ponit, etenim ſi ope puris ab aegris, graviter Variolis laborantibus, capti, imo deſumti ex cadaveribus eorum, qui Variolis peremti ſunt, inſitio aliis inſtituatur, illa ceteris paribus aeque bene ſuccedit, & morbus eſt aeque benignus, ac ſi pure ex mitiſſima Variolarum ſpecie inſitio eſſet peracta (174), ſi modo curetur, homines, quorum e cadaveribus materies Varioloſa eſt deſumta, non laboraſſe una cum Variolis alio morbo etiam contagioſo, qui ſic quoque cum aegro poſſet communicari: ex quibus omnibus manifeſtum eſt, miasma Varioloſum per accidens tantum eſſe lethale.

§. 167. Imo haec lex, uti generalis Naturae regula quoque quoad ipſam Peſtim valet; iſtud interim humani generis flagellum per ſe mortis periculo carere, fere omnibus paradoxon audiet: en ergo rationes.

Primo. Exinde quod Peſtis, ſi graſſatur, ingentes edat ſtrages, nullum peti poteſt argumentum, quum Variolae, antequam illarum inſitio eſſet inventa, ex vulgari calculo ſep-

(174) Cf. Pulchram de variolis Diſſertationem, inclyti *Roterodamenſis* Medici Cl. L. BICKER in *Act. Vleſſing.* T. VII. §. 6. p. 18. & ſeqq. nec non Ill. VOGEL l. l. II. Theil. Cap. II. §. 49. p. 201. & ſeqq.

ſeptimam hominum partem e medio tollerent, atque iſtae, ſi prima vice intrent aliquam regionem Peſtis actioni non multum cedant, tanta enim cum vi illae ſaevierunt inter Siberiae incolas, ut ingentes iſtius regni tractus fere incolis fuerint orbati (175).

Secundo. Peſtis, licet nonnunquam cum Febre putrida conjungatur, per ſe tamen minime pro morbo putrido eſt habenda, nam carbunculos omnis fere foetoris, & putrelaginis expertos eſſe, nec ante aut poſt mortem ullum putredinis ſignum ſe ſe manifeſtare, docet Ill. ORRAEUS (176) ſed e contra Peſtis, Variolarum ceterorumque Exanthematum inſtar, non ſemper eandem prae ſe fert faciem, verum variis in epidemiis illa eſt ſtipata variis ſymptomatibus.

Tertio. Peſtis ſaepe aliis morbis acutis quaſi ex improviſo ſe ſe jungere ſolet, ex quorum cum Peſte connubio haud raro ejus malignitas peti debet (177).

Quarto. Peſtis nunquam epidemice graſſatur, niſi praegreſſa epidemica conſtitutione malignae admodum indolis, quae Peſte ſuperveniente ſilere videtur, at re vera Peſtis contagium cum illa epidemica conſtitutione conjungitur, nam ſemper pro varia praegreſſa epidemia ipſa Peſtis varias patitur mutationes, ſic e. c. Peſtis Londinenſis, quae teſte SYDENHAMO (178) poſt conſtitutionem epidemi-

(175) Vid. SAMOILOWITZ *Memoire ſur l'Incolation de la Peſte* p. 14. & 15. Argentorati 1782. 8vo.

(176) Cf. l. l. *Conſect.* I. p. 162.

(177) Cf. ORRAEUS Exp. XII. p. 66.

(178) Cf. ejus *Oper. Omn.* Sect. II. Cap. II. p. 186. & ſeqq.

micam inflammatoriam ſequebatur, per ſe requirebat V. S. & quidem iterata vice, quod interim de Peſte Moſcovienſi, quae teſte Cl. DE MERTENS (179) Febrim catharralem putridam & nervoſam ſequuta eſt, minime pronunciari poteſt, ubi e contra teſte ORRAEO V. S. evidentiſſime nocuerunt (180), licet & hic in plethoricis haud raro fuerint utiles (181).

Quarto. In Peſte Maſſilienſi multi aegri, illa laborantes, ab hoc morbo ita leviter ſunt afflicti, ut absque ullis Febris ſignis bubonum eruptio ſit facta, atque durante morbo in plateis absque damno verſati ſint (182), indicio, mortis periculum induci non a contagio peſtilentiali qua tali, verum ab epidemica conſtitutione cum Peſte conjuncta.

Sexto. Mutato anni tempore & ad hiemen vergente, ipſa Peſtis teſte Doct DE MERTENS (183) mutatur, ſitque minus periculoſa. Sed, quantam anni tempus & coeli temperies in mutandis Peſtis funeſtis effectibus habeant vim, imprimis docet Ill. ORRAEUS, qui hac de re ſic lo-

---

(179) Vid. Cl. de MERTENS *Obſ. Med. de Febribus putridis, ac Peſte* P. I. quae tota hac de re conſuli meretur.

(180) Cf. l. l. *Experient.* XXVI. p. 124

(181) Vid. Doct. SAMOILOWITZ *Lettre ſur les experiences des Frictions glaciales pro la gueriſon de la Peſte*, a Paris 1781 p. 17. & 18.

(182) Vid. Ill. CHICOYNEAU *Traité ſur la Peſte* Spec. V. p. 41.

(183) Cf. l. l. P. II. Cap. I. p. 89. et ſeqq. & Cap. II. p. 109. & ſeqq.

loquitur, „ graſſabatur vere imprimis & autumno, eoque „ ſemper atrocius, ſi tempeſtas valde pluvioſa, & tepi- „ diuſcula continuaret, e contra quam primum conſtantior „ & ſiccior fieret vente boreali vel euro aquilone in- „ ſimul regnantibus etiam media aeſtate, ſi non penitus „ exſtingui, ſaltem multo mitior evadere ſolebat. Hieme „ vero appropinquante, contagium ſenſim minuebatur, & „ cum Frigoribus continuo ingruentibus in totum dele- „ batur (184)."

Septimo. Peſtis in ſuo decurſu easdem ſequitur regulas, ac reliqua Exanthemata, in initio enim quoque illud miasma per perſpirationem inſenſibilem e corpore eliminari poteſt: in morbo autem provectiore ſuppuratio bubonum & carbunculorum, tanquam criſis unica ſalutaris, omni cura promoveri debet (185).

Octavo. Peſtis, ſi ſporadice hinc inde tantum erumpat, uti haud raro evenire ſolet, Variolarum adinſtar, pollet nec contagio tam pernicioſo, nec tantum ab eo eſt timendum periculum, quum miasma tunc multo mitius & mobilius ſaepe haud raro in ipſo initio per ſudorifera vinci & e corpore eliminari valeat (186).

Nono. Peſtis, ſi innoculatione communicetur, ejus ſymptomata, regnante licet ipſa Febre peſtilentiali, tamen ſolito multo ſunt leviora, unde Doct. SAMOILOWITZ concludit, & ſummo, ut videtur, jure, Peſtim aeque ac Va-

(184) Cf. ORRAEUS l. l. *Experientiae* VII. p. 61.
(185) Cl. ORRAEUS l. l. *Experient.* XIX. p. 100.
(186) Cf. ORRAEUS l. l. *Experient.* IX. p. 64.

Variolas inſitione, corpore ſcilicet in anteceſſum rite praeparato, miteſcere etiam poſſe (187).

Decimo. Ill. ORRAEUS ingenti obſervationum numero probavit, ſymptomata Peſtis maligniſſimae indolis, aut uti ajunt, acutiſſimae anomala & praeter modum vehementia ſaepe a materia morboſa in primis viis contenta eſſe repetenda (188).

Undecimo. Hiſce omnibus ſi tandem addamus, Peſte laborantes futuri deſperatione, & mortis anxietate inſuper eſſe afflictos, quibus haud raro accedit auxilii inopia, quum, vix adhuc morbo ſeſe manifeſtante, fere ab omnibus deſerantur, certe cuique, qui ſecum perpendit, quantum animi pathemata graviora in morbo licet benigno valeant, erit manifeſtum, animi commotiones ad Peſtis funeſtos effectus & ſuum conferre.

§. 168. Si igitur Peſtis easdem regulas ac reliqua Exanthemata obſervet; ſi aeque bene ac cetera pro varia epidemica conſtitutione reperiatur varia, ſi easdem ac reliqua ab anni tempore patiatur mutationes; ſi pro varia epidemica conſtitutione variis remediis debeat oppugnari; ſi ſporadice tantum occurrens miasmate gaudeat multo mitiore, & mobiliore, ſi inſitione in corpore rite praeparato reddatur multo benignior; ſi demum contagio peſtilentiali afflicti haud raro cum illo res domeſticas peragere queant, nonne neceſſario ex hiſce omnibus ſequi debet, fore, ut con-

(187) Cf. *Ejus Memoire ſur l'Inoculation* &c. a p. 1. usque ad 24. & *Lettres ſur les experiences des frictions glaciales* &c. p. 51. & ſeqq.
(188) Cf. l. l. *Conſect.* XXIV. & XXV. p. 215. & ſeqq.

contagium peſtilentiale, ſi nimirum per ſe absque epidemica conſtitutione cum corpore ſano communicaretur, produceret morbum minime periculoſum (189)?

§. 169. *Quoad Tertium.* Quum ergo morbi Exanthematici per ſe non ſint lethales, ac nihilominus tamen ingentes ſaepe edant ſtrages, multae debent adeſſe cauſae, quarum pravo conſortio Exanthemata a miti ſuo ingenio detorquentur, periculoſa & lethalia fiunt, quae tamen omnes ad quinque ſequentes referri poſſunt: nempe 1°. ad epidemicam conſtitutionem, 2°. ad anni tempus, 3°. ad aegrotantis aetatem, temperamentum & vitae genus, 4°. ad ſtatum ſanitatis ſubjecti aliunde turbatum 5°. denique ad pravam curationem, de quorum ſingulis nunc paucis erit videndum.

§. 170. *Primo.* Inter media quibus Exanthemata funeſta fiunt, conſtitutio epidemica agmen ducit, dum plerumque ab illa eorum funeſti eventus pendeant, hinc in curatione ſaepe multo magis ad conſtitutionem epidemicam quam ad ipſa Exanthemata attendendum eſſe, jure merito monuit Ill. STOLL (190) qui refert, ſe in Febre epidemica bilioſa cum Variolis conjuncta uſum fuiſſe remediis,

---

(189) Cf. de Peſte praeter jam citatos auctores Ill. DE HAEN *Rat. Med.* Vol. IV. P. XIV. Cap. IX. ad finem usque p. 220. & ſeqq. edit. Leidenſ. Ill. MEAD *Oper. Omn.* Vol. I. de Peſte p 207. & ſeqq. Cel. LUDWIG l. l. P. I. Cap. I. Subſect. IV. p. 69. & ſeqq. Ill. R. VOGEL *Praelect. Acad.* p. 64. §. 94. & ſeqq. nec non Ill. SELLE *Pyretologia* Gen. I. p. 157. & ſeqq. ibique citatos auctores.

(190) Cf. *Rat. Med.* P. II. Cap. XII. p. 179. & ſeqq.

diis, quae ipſe epidemici morbi genius ſibi popoſciſſet, aeque ac ſi nullae Variolae cum ea fuiſſent complicatae, tali quidem cum ſucceſſu, ut licet nulla Variolarum habita ratione pro rerum circumſtantia emetica aut emeto — catharſin in auxilium vocaſſet, fere omnes tamen e morbo feliciter evaſerint; eodem modo eodemque cum eventu ſe Morbillos cum Febre glioſo-pituitoſa tractaſſe paulo poſt aſſerit vir eximius (191); e contra Variolas anomalas & Morbillos, quae anno 1670. & ſequentibus in Anglia ſaevierunt & quas deſcripſit immortalis SYDENHAM (192) erant inflammatorii, ut ita dicam, genii, & ad ejus medelam cura antiphlogiſtica ſtrenue adhibita requirebatur. Alii non minus in praxi verſati viri de his & reliquis Exanthematibus idem aſſerunt, ſic e. c. teſtatur Ill. VOGEL, Morbillorum malignitatem plerumque epidemicae conſtitutioni eſſe tribuendam (193), & de reliquis Exanthematibus loquens docet vir egregius, in eorum cura pauca ſolummodo ſtatui poſſe, quae ubique & ſemper obtinent, ſed pro re nata, & pro varia epidemica conſtitutione Petechias aliaque Exanthemata variis remediis aggredi debere (194). Cum illo facit etiam Ill. BURSERIUS, qui variis prolatis exemplis probat, de Exanthematum ad unum omnium curatione nullos certos canones poſſe dari, at illa pro

(191) Cf. l. l. p. 166. & ſeqq.
(192) Cf. *Oper. Omn.* Sect. IV. Cap. V. & VI. p. 195. ad 207.
(193) l. l. III. Theil. Cap. III. p. 221.
(194) l. l. III. Theil. Cap. VI. §. 90. p. 282. & Cap. IV. §. 69. p. 246.

pro variis complicationibus diverſimode curari debere (195).

§. 171. *Secundo.* Poſt epidemicam conſtitutionem ſequitur anni tempus, a quo etiam haud raro Variolarum complicatio peti debet, eoque magis, quum ipſe morbus ſtationarius a variis anni temporibus varias patiatur mutationes, quamobrem ceteris paribus epidemiae Variolarum malignae plerumque aeſtatis tempore accidunt, dum ſcilicet tunc ſaepe cum Febre putrida conjunguntur: talem Variolarum cum Febre putrida complicationem maxime funeſtam deſcripſit ſummus HALLERUS (196); nimirum aeſtate anni 1735 prodierunt Variolae, quibus maculae nigrae intermixtae erant, puſtulae quae facile retrocedebant, fuerunt humiles, pallidae, confluentes, nec deërant alia ſymptomata, quae vis vitalis torporem declarabant, & foetor tum animae tum puſtularum aegrotorum erat intolerabilis; illa Epidemia a V. S. aliisque antiphlogiſticis abhorruit, ſed emeticis & purgantibus, corpore bene mundato, Caphura aut in emulſione, aut cum nitro data ad virus Varioloſum ad corporis peripheriam deponendum, ibique praeparandum pro ſolidis aptus fuit ſtimulus, atque eorum remediorum ope omnem curam abſolvit vir Ill. Hieme e contra quando corpora magis ad phlogoſin ſunt diſpoſita, ad quam inſuper contagium Varioloſum per ſe jam in-

(195) Cf. *Ejus Inſt. Med. Pract.* Vol. II. quod totum legi & relegi meretur.

(196) Vid. *Ejus Opera Minora* T. III. *Opuſc. Pathol.* Obſ. LIV. p. 350. & ſeqq.

inclinat, Variolae plerumque cum vera diatheſi inflammatoria conjunguntur, conveniunt tunc V. S. etiam iterata vice inſtitutae, nec non reliqua cura antiphlogiſtica, quibus rite adhibitis aegroti plerumque priſtinam recuperant ſanitatem, quum inter Variolarum complicationes illarum cum diatheſi inflammatoria conjunctio ſit omnium minime periculoſa, huc pertinet ea Variolarum ſpecies, quam MEADIUS, SYDENHAMUS, & SWIETENUS adeo pulchre deſcripſerunt, ut plane nil addi queat (197).

§. 172. *Tertio.* Aegroti aetas, temperamentum, & vitae genus omnino quoque conſuli debent, ſi ſcilicet adoleſcens habitu ſanguineo & vitae genere ſatis lauto utens Variolis corripiatur, non raro accidit, ut, licet conſtitutio epidemica a diatheſi inflammatoria abhorreat, nihilominus in ejusmodi ſubjecto prae temperamento & aetate cura antiphlogiſtica inſtitui debeat, numquam tamen epidemica conſtitutio plane negligenda eſt, quum etiam hoc in caſu ſaepe regnans Epidemia majori vel minori gradu cum diatheſi phlogiſtica ſit conjuncta, talem caſum abhinc triennio Variolis laborans ipſemet expertus fui, ubi nimirum cum diatheſi phlogiſtica ingenti copia primarum variarum ſordes eſſent conjunctae, interim V. S. ſatis larga inſtituta, & primis viis emeto-catharſi bene mundatis Variolae ſatis benignae eruperunt, ac omnia rite ſe ſe habuerunt ad ſuppurationem usque, cujus in initio ex improviſo abs-
que

(197) Cf. MEAD *Oper. Omn.* T. I. de *variolis & morbillis* p. 318. & ſeqq. SYDENHAM l. l. p. 202. & SWIETENUS l. l. T. V. a p. 45. ad 59.

que ulla cauſa oriebantur inſignis cordis palpitatio, capitis gravitas, magna anxietas, difficulter ſpiritum trahebam, nec deërat mictus difficilis, praeſcriptum medicamentum nil mali detraxit, omniaque continuabantur tamdiu, quamdiu conſilio inclyti Leidenſis medici CUYPERS, (de cujus auxilio hocce in morbo mihi praeſtito publici gratitudinis teſtimonii ergo hic mentionem facere cogor) inſtituta fuerit V. S., qua omnia ſymptomata miraculi adinſtar intra pauca minuta plane evanuerunt; quin his in caſibus, requiſita V. S. ſi negligatur, haud raro apoplexia aut peripneumonia tales juvenes e medio tollit: refert Ill. BONNETUS (198) caſum, qui huc facere videtur, ſcilicet quidam Germaniae Princeps aetate juvenili, temperamento ſanguineo & vitae genere ſatis lauto utens, corripiebatur Variolis benignae ſatis indolis; quum Febris eſſet inflammatoria, ſaltem cum diatheſi ad phlogoſin conjuncta, V. S. inſtituebatur, poſteam erumpebat inſignis puſtularum exiguarum copia, verum altero, id eſt, morbi die quinto internae phlogoſeos oriebantur ſigna, & quum V. S. iterum inſtituere non concederetur, variis incaſſum tentatis, omnibusque in pejus ruentibus tandem decimo morbi die vitam cum morte commutavit Princeps, cujus in cadavere viſcera ad unum omnia reperta ſunt ſaniſſima, exceptis ſolis pulmonibus, qui pro maxima parte dira inflammatione correpti inveniebantur, imo in pulmone dextro abſceſſus jam fuerat formatus; ſic igitur patuit, Principem non ex Variolis, verum

(198) Cf. BONNETUS *Sepulchretum Anatomicum* T. III. Lib. IV. Sect. I. Obſ. LX. p. 230. & ſeqq.

rum ex pulmonum Inflammatione a ſanguinis craſi phlogiſtica orta occubuiſſe, unde conſtat, hoc in caſu ad pulmonum phlogoſin impediendam, ac Principis vitam conſervandam iteratas inſtitui debuiſſe V. S., quas etiam, uti ex viri egregii adjuncto ſcholio liquet, BONNETUS ſtrenue inſtituiſſet, ſi ſcilicet penes ipſum curandi methodus fuiſſet; quam funeſtos itaque eventus requiſitae V. S. neglectus posſit habere, ex allato exemplo manifeſtum eſt.

§. 173. *Quarto.* Sed & ſtatus ſanitatis ſubjecti, aliunde turbatus, plurimum facit ad Exanthemata maligna imo funeſta reddenda; conſtans enim omnium practicorum eſt obſervatio, infantes dentitione laborantes, gravidas, puerperas, novos maritos, onaniſtas, cachecticos, ac aliis morbis acutis jam correptos prae ceteris a variolis graviter affici; nec fugit rationem, quum principium vitale, in omnibus memoratis ſubjectis jam diverſas ob cauſas inſigniter debilitatum, recenter advenienti potentiae nocenti, id eſt Variolis, ſufficientem vim opponere nequeat, ſed plerumque ab eo proſtratum ſuccumbat; hoc eſt a variolis virium vitalium catena, jam per ſe ſatis debilis, & reſiſtendo impar, tali in caſu disrumpitur; idem valet etiam de ceteris morbis Exanthematicis, quae, Variolarum adinſtar, ejusmodi ſubjecta haud raro e medio tollunt.

§. 174. *Quinto.* Nec inter cauſas, quae Exanthemata maligna, imo funeſta reddere valent, prava eſt excludenda curatio, etenim ſi aut vino, theriacis, aliisque remediis calefacientibus ſanguinis orgasmus nimium incitetur, uti inter cives minus lautae conditionis haud raro contingere ſolet, aut ſi e contra Exanthemata ex admiſſo ſubito refrige-

rio regrediantur, quemadmodum imprimis Morbilli & Rubeolae ſaepe faciunt, vel nimia ſanguinis evacuatione vires vitales nimis debilitentur, uno verbo omni in caſu, in quibus regimine vel juſto calidiori vel & nimis antiphlogiſtico peccatur, Exanthemata non tantum poſſunt reddi maligna, ſed etiam funeſta, adeo ut niſi Natura vel ſola vel arte adjuta commiſſos errores reparet, brevi ſaepe actum ſit de vita, & pereant miſeri non Variolarum malignitate, verum uſu remediorum ipſis Exanthematibus longe pejorum.

§. 175. Ex hiſce in rem noſtram ſequentia profluunt ſcholia.

Primo. Rationem, cur Exanthemata, ſi inſitione cum corpore ſano communicentur, conſtituant morbum minime periculoſum, unice eſſe petendam ex eo, quod hocce in caſu Exanthematum miasmata per ſe, ac abſque ulla cum conſtitutione epidemica aut cum anni morbis complicatione, corporibus rite praeparatis applicentur.

Secundo. Canones practicos, qui ſcilicet ubique & ſemper valent, in morbis Exanthematicis eſſe paucos, imo fere nullos, ſed pro re nata in iis variis, imo oppoſitis remediis eſſe locum.

Tertio. Quum nullum detur ſpecificum, quod morbos praevertere valet, at illa tantum tollunt characterem morbi jam praeſentis, quumque Exanthemata omnem malignitatem cauſis accidentalibus debeant, ac pro varia rerum circumſtantia diverſis admodum remediis ſint tractanda, hinc ſpecificum, quod numquam non morbis Exanthematicis obviam ire valeat, haud inveniri poteſt, amabo! quis ſibi fingere poteſt remedium virtute antibilioſa, antiſeptica

&

& antiphlogiſtica ſimul praeditum, interim tale ſpecificum omnibus memoratis viribus gaudere deberet, dum non pauci exſtant caſus, in quibus tota Exanthematum curatio una horum trium abſolvitur.

Quarto. Vulgarem opinionem, ab Exanthematum eruptione ſanguinis miſſionem eſſe noxiam, in Naturae obſervatione haud eſſe fundatam, imo ſaepe nocere, & aegrotis eſſe lethiferam, quin e contra durante toto morbi Varioloſi decurſu, ſi modo dentur indicationes, V. S. inſtitui poſſe, ac debere, ex iis, quae ſupra monui, liquet.

Quinto. Nec Variolarum, nec aliorum Exanthematum quorumcumque ullum ſtadium, ſi Exanthematibus juncta complicatio hujusmodi petat remedium, emeticorum, aut emeto-catharſeos uſum prohibere, verum vomitoria, ceteramque curam antibilioſam, aeque bene ac V. S. in omnibus Exanthematum ſtadiis inſtitui poſſe & debere.

§. 176. Ex allatis patet, moriendi rationem ex morbis Exanthematicis eſſe diverſiſſimam; quum enim Exanthemata non ſint lethalia per ſe, ſed tantum mortem adferant ob conditionem aliam morboſam cum illis conjunctam, ſequitur, ex morbis Exanthematicis tot eſſe varias moriendi rationes, quot ſunt morbi, qui cum illis complicari posſunt: hinc ſi v. g. Variolae cum Febre inflammatoria complicationem ſubeant, moriuntur aegroti vel ex gangrena, vel ſecretione lymphae coagulabilis ad organa vitalia, qua illorum functio impeditur, vel demum ex phlogoſi (199): ſin

(199) Conf. *hujus exercitat.* p. 140 & 141.

ſin e contra Variolae cum Febre putrida ſint conjunctae, vel prae nimia ſtimuli violentia, vel phlogoſi impura, vel metaſtaſi ad partes nobiles, aeque ac in Febre putrida (200), exſtinguitur vita, ita quidem, ut pro vario morbo, quocum Exanthemata complicantur, earum moriendi ratio ſit varia, atque illa tum ex antecedentibus, tum ex illis, quae ſequuntur, peti debeat.

§. 177. Denique adhuc monere debeo, ut, quamvis Exanthemata per ſe mortem non adferant, neque remediorum, quae cum iis complicata Febris exigit, uſum impediant, in eorum curatione pro Exanthematis indole ſemper tamen nonnullae cautelae ſint obſervandae: ſic v. g. Morbilli, Variolarum adinſtar, minime aëri frigidiori ſunt exponendi, quum contagium Morbilloſum, ut ut Variolarum minus fixum, longe facilius corporis peripheriam deſerat, facile introrſum retropellatur, ibique non raro lethalem efficiat metaſtaſin; praeterea in contagio Morbilloſo pulmonum ſemper eſt habenda ratio, imprimis in ſubjectis debilioribus, quum multa ſymptomata quaſi catharralia plerumque Morbillos concomitentur, ac illorum morboſa materies praecipue metaſtaſin verſus pulmones amet. In Scarlatina ſive Rubeolis per longum tempus regimen diaphoreticum continuandum eſt, quum, morbo licet ſuperato, ſi reconvaleſcentes minus cito regimen diaphoreticum negligant, aut ſeſe aëri frigidiori incaute objiciant, in graviſſima incidant mala, quibus plerique eorum e medio tolluntur:

(200) l. l. p. 143 & 144.

tur: idem valet quoad cetera Exanthemata, in quibus nimirum quoque nonnullae cautelae debent obſervari (201).

APPENDIX.

DE RHEUMATISMO, ARTHRITIDE, ET PODAGRA RETROPULSIS.

§. 178. Appendicis loco morbis febrilibus nonnulla de Rheumatiſmi, Arthritidis & Podagrae moriendi ratione ſunt addenda: hi tres morbi numquam reperiuntur lethales, niſi quando quacumque demum cauſa, quocumque demum modo materies morboſa verſus interiora

(201) Praeter auctores jam citatos de Exanthematibus conſulite Ill. CULLEN, *firſt lines of the Practice of Phyſic.* fourth Edit. Vol. II. Lib. III. Ill. R. VOGEL l. l. a p. 81. ad 118. Ill. LUDWIG l. l. P. I. Cap. I. Sect. II. a Subſect. III. ad Sect. III. usque, ſive a p. 63. ad 105. Cl. J. OOSTERDYK SCHACHT, *Inſt. Med. Pract.* Cap. X. & tribus ſubſequentib. Cel. N. G. OOSTERDYK l. l. Cap. IX. & quatuor ſeqq. Cel. MACBRIDE l. l. Lib. I. a Cap. XI. ad Cap. XVIII. Ill. QUARIN l. l. Cap. VI. & quinque ſeqq. Cel. STOLL, *Aphoriſm. de Cognoſc. & Curand. Febrib.* a p. 126. ad 150. & a p. 190. ad 194. nec non Ill. SELLE, *Pyretologia*, Gen. Prim. a p. 152. ad 180. & in *Medic. Clin.* Vol. I. a p. 77. ad 99. usque, ibique allatos auctores.

ra deponatur, atque tunc pro diverſa materiae morbificae agendi norma producitur aut inflammatio, aut ſtupor, aut ſpasmus: pereunt miſeri in primo caſu vel ob impeditam functionem alicujus organi ad vitam neceſſarii, vel ob ejus gangrenam; in ſecundo ſtupor brevi in lethalem apoplexiam tranſit; dum in ultimo caſu horrendis ſub convulſionibus exſtinguitur principium vitale.

PARS

PARS TERTIA.

DE MORTE, QUAE SEQUITUR ACTIONEM VITALEM SUBLATAM ORGANI SINGULARIS; SEU DE MORTE, QUAE SEQUITUR TURBAM CATENAE VIRIUM VITALIUM EX DESTRUTA ACTIONE ANNULI EJUSDEM INTERMEDII.

§. 179. Quum vita totius corporis proprie naſcatur ex conſpirante actione vitali omnium partium ſingularium, e quibus corpus componitur, hanc vitae totius imaginem commode poſſe exprimi, ſupra memoravi, imagine catenae, ex pluribus annulis ſemet ſuſtentantibus conflatae, in qua illa vitam totius, hi vero agendi rationem ſingulorum organorum referunt. Si nunc quaeratur, quotuplici modo haec catena poſſit rumpi, hoc eſt, quotuplici modo homo poſſit mori, reſpondendum, vel univerſam catenam aequabiliter deſtrui, vel hunc vel illum annulum e medio catenam perire poſſe, quo facto deſtructio totius catenae non minus erit certa. — De morbis prioribus eo facientibus egi in Parte praecedente; de morbis poſterioribus hac in Parte dicam. — Pertinent huc omnes morbi locales: hi autem licet numeroſi & inter ſe admodum diverſi, ſi ad moriendi rationem ex ipſis reſpiciamus, videntur tamen omnes ad quinque ſequentes Claſſes referri poſſe; nempe:

Clas-

Claſſis. VIII. AD MORTEM EX INFLAMMATIONIBUS.

—— IX. EX PROFLUVIIS.

—— X. EX CACHEXIIS.

—— XI. EX VITIIS SYSTEMATIS NERVOSI.

—— XII. EX VITIIS SYSTEMATIS SECRETORII.

Iſti autem morbi, quamvis plerumque memorato modo homines e medio tollant, non eſt negandum tamen, eos etiam nonnunquam deſtructione principii vitalis mortem inferre; nimirum quando aut organum a potentia morbifica afflictum nervis ſcatet, aut & ſubjectum eſt juſto irritabilius, naſcuntur ſaepe ſummi virium medicatricum conatus, atque ſic haud raro horrendis ſub convulſionibus efflatur anima; quin Tetanus, quem ordinis gratia recenſere debui inter morbos, mortem adferentes ex laeſa functione ſyſtematis nervoſi, ſi necet, fere ſemper operatur deſtruendo principium vitale: hi tamen caſus, quum non tam ſaepe occurrant, minime contra ea, quae de illorum moriendi ratione monui, repugnant, ſed jure merito ceu generalis regulae exceptiones ſunt conſiderandi: praeterea quum aſſeruerim morbos locales deſtructione unius alteriusve organi vitam tollere, haud ſtatui, cetera organa non etiam morboſe affici; verum unice indicare volui, reliqua organa tantum per ſympathiam pati, aut ad ſummum cum eorum nonnullis aliquando deuteropathice potentiam morbificam communicari.

CLAS-

CLASSIS OCTAVA.

MORS EX INFLAMMATIONIBUS.

§. 180. Quoties aliquam ob cauſam vaſorum ſanguiferorum vita ita intendatur, ut obſerventur tumor, rubor, calor & dolor, ſive ceterum illa ſanguiferi ſyſtematis incitatio fuerit vera ſive tantum apparens, toties dicitur Inflammatio; ſin autem totius ſyſtematis ſanguiferi vis vitalis determinato illo modo intendatur, oritur Inflammatio univerſalis, ſive Febris Inflammatoria; ſin e contra vita ſyſtematis ſanguiferi tantum in una vel altera parte fuerit incitata, naſcitur Inflammatio localis; prior tamen poſteriorem producit ſaepe, uti & poſterior haud raro in priorem tranſit. Haecce Inflammationis definitio mihi magis placet, quam illa, qua uſus fuit Ill. HUFELAND (202), qui ad ejus eſſentiam incitationem vitae propriae ſanguinis quoque requirit, & quidem, ut numquam non cruſta phlogiſtica generetur, dum illius ſententia (ſit pace tanti viri dictum) Naturae phaenomenis non ſuffragatur, nam, ne memorem, talem ſanguinis diatheſin unice peculiaris ſyſtematis ſanguiferi in ſanguinem agendi normae eſſe effectum, ſi talis ſanguinis diatheſis ad Inflammationis naturam pertineret, tunc absque illa numquam

(202) Conf. l. l. Sect. III. Cap. V. p. 303. & ſeqq.

quam Inflammatio poſſet habere locum, & vice verſa illa diatheſis etiam numquam absque Inflammatione obſervaretur; contrarium autem ex Practicorum ſcriptis liquet, etenim teſtatur ſummus SWIETENUS (203): „ ſe, „ dum in ſaniſſimis hominibus vena ſecaretur quotannis „ verno tempore, ſaepius talem cruſtam obſervaſſe. Imo „ in homine debili, cui ad haemoptyſin praecavendam, „ qua laboraverat, ſanguis mittebatur ſingulis tribus men- „ ſibus, ſemper cruſtam illam adfuiſſe. Adfuit ergo (ſic „ pergit vir egregius) talis ſanguinis diatheſis, licet nulla „ Inflammatio adeſſet. Et e contra in validiſſimis Inflam- „ matoriis morbis aliquando nulla talis cruſta in ſanguine „ apparuit." Quin, iſtius cruſtae praeſentiam aut abſentiam a modo, quo ſanguis extrahitur, plurimum pendere, docuerit immortalis SYDENHAM (204), dicens, „ at „ vero animadvertendum eſt, quod ſi ſanguis e ſecta vena „ non recto flumine verſus horiſontem proſiliat, ſed per „ cutim repens perpendiculariter dimanet, ut ut celeri „ ſe proripiat gradu, ſaepe tamen ad dictum colorem „ non accedit." Et Ill. Berolinenſis Noſologus SELLE (205), hac de re ſic loquitur, „ ſicut autem ſangui- „ nis phlogiſtica diatheſis (ea ſaltem, quae manifeſte ap- „ paret) magis pro febris effectu habenda eſt, ſic forte „ ad Inflammationis exiſtentiam aliud quid requiritur, „ quod

(203) Conf. l. l. T. I. Aphor. 384. p. 652.

(204) Vid. l. l. Sect. VI. Cap. III. p. 264.

(205) Vid. *Rudim. Pyretol. Method.* Ord. I. Gen. I. Spec. I. p. 114.

„ quod in cruſta non eſt; ſaepe enim nulla ſanguinis In-„ flammatoria conditio deprehenditur, vel modo quando-„ que poſt aliquot praeterlapſum temporis ſpatium, quo „ Inflammatio jam adſuit, obviam prodit, & ſic tandem „ haudraro ſanguis, antea phlogiſticus, nunc diſſoluta facie „ apparet absque ulla Inflammationis imminutione: " demum in Inflammationibus ſpuriis (a Neotericis, quamvis ut videtur minus accurate, eryſipelatoſis dictis) illa cruſta phlogiſtica plerumque deſideratur; iſtas interim ex Inflammationum claſſe excludere velle, eſſet incongruum, quum Inflammationes internae ſaepe ejusmodi ſint naturae; imo dentur viſcera, uti in poſterum viſuri ſumus, quae fere numquam Inflammatione phlegmonoidea laborant.

§. 181. Ne huic ſententiae objiciatur, tali modo Inflammationem cum Febre confundi; licet enim facile largiamur, ad Febris exiſtentiam quoque requiri, ut vita ſanguiferi ſyſtematis intendatur, nihilominus tamen illae a ſe invicem gradu differunt, id eſt, ceteris paribus, gradus vitae actuoſae ad Inflammationem requiritur major, quam ad Febrim; ceteris paribus dico, quum etiam parva Inflammatio ſine Febre ſaepe obtineat: inſuper dum ſtimuli tantum ſunt relativi reſpectu ſcilicet illius corporis, in quod agunt, idem ſtimulus in uno corpore Febrim, in altero Inflammationem, & in tertio binos hoſce effectus producet, hinc vitae actuoſae gradus, ad Inflammationem neceſſarius, non rite determinari poteſt, verum iſte diverſis in ſubjectis, ac in uno eodemque ſubjecto variis pro conditionibus admodum differt.

Neque demum ad ejus exiſtentiam requiritur, ut ſupra memorati Inflammationis effectus obſerventur, aut ut ve-

ra vitae actuoſae incitatio in ſyſtemate ſanguifero obtineat, quum haecce omnia in viſcerum Inflammationibus haud raro abſint; ſed ſufficit, ut tantum ejus vitae apparens incitatio habeat locum, ſicuti probant viſcerum Inflammationes, quae in corporibus cachecticis a materia morboſa quacumque ſaepe oriuntur. Patet ergo ex hiſce omnibus, incitationem vitae propriae ſanguinis potius pro Inflammationis effectu, quam pro ejus cauſa eſſe habendam.

§. 182. Cauſae autem, quae Inflammationem inducere valent, ut ut numeroſae, omnes tamen, probante hoc Doct. DE LEON (206), ad duas pricipales referri poſſunt, oritur nempe Inflammatio „ aut e vaſorum munimorum debi„ litate, qua fit, ut illa impulſui ordinario a tergo mi„ nus reſiſtant, aut ex impulſu violento a tergo, qua fit, „ ut reſiſtentia ſolita minimarum arteriarum impulſum cor„ dis perferre nequeat." In priori caſu cauſa Imflammationis eſt vaſorum minimorum vitae languor, atque tunc haud vera vitae vaſorum incitatio ſequitur, ſed ſolummodo apparens, quamobrem illam incitationem etiam ſaepe cito excipiat gangrena, quum vaſorum vita jam ſatis debilis illa ſpuria incitatione prorſus peſſumdetur. Pertinent huc Inflammationes, quae in Febre putrida, aliisque malignis Febribus naſcuntur, quae natales debent Frigori, Contuſioni, Fracturae, Herniae, uno verbo omnes iſtae, quae vulgo *paſſivarum* ſub nomine veniunt: in poſteriori caſu e

(206) Cf: Ejus pulchram Diſſertationem *de Inflammatione* p. 16. & ſeqq. L. B. 1790. 8vo.

e contra vaſorum vis vitalis exceſſus ſive vera vaſorum vitae incitatio numquam non obtinet. Omnes autem Inflammationes *acutae* hujus ſunt loci. Quandoque etiam hiſce binis cauſis ſimul junctis Inflammatio ſuas debet natales; ponamus nimirum, aliquem gravem ſibi contraxiſſe contuſionem, laborabit igitur Inflammatione ſpuria ſive a cauſa prima orta; ſed ſtatuamus porro illum, qui contuſionem paſſus fuit, fuiſſe juvenem vegetum, ac temperamento ſanguineo gaudentem, quid accidit? corripitur mox Febre, agitatur totum ſyſtema ſanguiferum, vehitur ſumma cum velocitate per totum corpus ſanguis, oritur ſic impulſus violentus a tergo, concurrunt duae Inflammationis cauſae inter ſe, ac illo in caſu apparens vaſorum vigor in veram eorum vis vitalis incitationem tranſit.

§. 183. Inflammatio autem localis ſeptem modis terminari poteſt: illi vero ſunt 1°. Reſolutio, 2°. Suppuratio, 3°. Gangrena, 4°. Induratio, 5°. Secretio lymphae coagulabilis, 6°. Vaſorum inflammatorum Diapedeſis, 7°. eorumdem Diaireſis. De tribus prioribus, uti ſatis notis, & ab omnibus aſſumtis, nil dicam; de tribus ultimis, utpote ſaepe lethalibus, dein de Inflammationum internarum exitu agens, diſſeram; de Induratione ſola tribus verbis dicam, illum Inflammationis exitum neotericos negaſſe (207); ſin autem conſideremus, a furunculo non rite maturato non raro remanere Indurationem (208), quodque in

(207) Cf. CULLEN l. l. T. I. Lib. IV. Cap. I. §. 258. p. 238.
(208) Vid. RICHTER *Elem. Chirurg.* T. I. Cap. VII. §. 237. & 241.

in Peripneumonia ſaepe numero idem locum habeat, atque ex hoc fonte, nempe a tuberculis ſucceſſive Inflammatione correptis, Phthyſeos origo, probante id egregie STOLLIO (209), ſaepe ſit repetenda, tunc certe nobis conſtabit, Indurationem omnino inter Inflammationis exitus numerari debere: etenim cur quaeſo id, quod in partibus externis accidere continuo obſervamus, quod & in pulmonibus ſaepe contingere evicit STOLLIUS, in ceteris viſceribus magis adhuc Inflammationi chronicae expoſitis etiam aliquando locum habere, negabimus? pertinet ergo Induratio, licet rarior contingat, inter Inflammationes exitus: an vero illa Induratio Schirri nomen mereatur, longe alia eſt quaeſtio, quam tamen, ut a noſtro inſtituto plane alienam, ſilentio praeteribo.

§. 184. Tali autem modo generali Inflammationis conſpectu praemiſſo, ad Inflammationum internarum pertractationem pergendum eſt: in iis recenſendis praecipuos praxeos auctores ſequutus ſum, hacce tamen cum differentia, ut Phrenitidem & Paraphrenitidem, utpote nomina inconcinna, vaga, nec raro in errorem inducentia inter eas non numeraverim; qualem, amabo! ideam nobis facere debemus de hiſce vagis denominationibus? an delirium perpetuum cum Febre continua acuta numquam absque cerebri Inflammatione, & e contra Encephalitis haud ſine memoratis ſymptomatibus obviam prodit? an ſpasmus cynicus, & delirium pro Diaphragmatitidis ſignis characteriſticis ſunt habenda, ita ut, iis poſitis, & haec poni debeat, atque vice verſa

(209) Cf. ejus *Rat. Med.* P. I. p. 73. & ſeqq.

verſa absque iis illa nullum habeat locum? minime gentium, nam illud delirium in Febribus continuis ſine Encephalitide a materia morboſa in praecordiis, aut & in viſceribus imi ventris haerente oritur haud raro (210); dum e contra apud practicos auctores multa leguntur Inflammati cerebri exempla, absque ut memorata ſymptomata apparuerint (211). Idem tenendum eſt de Diaphragmatitide, quae ſaepe ſine riſu ſardonio & ullo delirio fuit obſervata (212), quum ab altera parte multis exemplis probaverit Cel. QUARIN (213), iſta ſymptomata etiam non minus frequenter occurrere absque ulla diaphragmatis Inflammatione. Hanc ob rem Phrenitidis & Paraphrenitidis nomina e praxi ejicienda autumo, atque eorum in locum Encephalitidem & Diaphragmatitidem ſubſtitui: inſuper de Ileo nullam feci mentionem, quum Ileus, etſi plerumque morte terminetur, ſemper tamen ſibi adſciſcat enteritidem, atque ſola hac ratione mortem inducat, hinc Cl. SIMSON (214) licet magnum numerum Ileo defunctorum aperuiſſet, numquam non validam inteſtinorum Inflammationem ſe inveniſſe teſtatur, ac WILLISIUM quoque in omnibus ejusmodi cadaveribus inteſtina Inflammata

(210) Cf. STOLL *Rat. Med.* P. III. Sect. III. *de cauſa & ſede phrenitidis* p. 100. & ſeqq.

(211) Vid. QUARIN l. l. Cap. XIV. p. 210.

(212) Cf. Ill. MORGAGNE *de ſedibus & cauſis morborum cum praefatione* TISSOTI T. III. Lib. IV. Epiſt. LIII. Art. III, V. & VI.

(213) Cf l. l. Cap. XVIII. p. 338.

(214) *Medical Eſſays and Obſervations* Vol. V. P. II. Art. LVII. p. 154.

ta & ſphacelata reperiſſe, ſcripſit Ill. QUARIN (215).

§. 185. De omnibus vero viſcerum Inflammationibus ſeparatim non ſum acturus, vetat hoc anguſtia temporis, qua premor, neque talis ſpecialis cujuscumque Inflammationis pertractatio magnae eſſet utilitatis, quum inflammationes internae inter ſe magnam habeant analogiam, & itaque generalis earum conſideratio noſtro ſcopo plane ſatisfaciat: ſic ergo me geram, ut 1°. inquiram, quid Inflammationes internae verae inter ſe habeant commune, 2°. in quantum ſpuriae cum veris conveniant, & in quantum ab iis differant; atque hiſce inveſtigatis 3°. perſcrutabor, a quibus cauſis in viſcerum Inflammationibus mortis periculum dependeat, & 4°. demum ſubjungam, quotuplici ratione illae mortem adferant.

§. 186. *Quoad Primum.* Difficillimum ſane eſt, viſcerum Inflammationibus phlegmonoideis certos characteres aſſignare, dum fere nulla ſymptomata dantur, quae abeſſe quoque non poſſunt, hinc non niſi ſequentes ceu characteres eſſentiales Inflammationis verae quocumque in viſcere conſiderari poſſunt, Febris, dolor aut anxietas, calor adauctus, in viſcerum pectoris Inflammatione reſpirandi difficultas; in iis abdominis ſaepe vomitus, morbi decurſus celer, materies morboſa ſedet fixa, ac raro producit Gangrenam. Haec ſola ſunt ſymptomata, quae veras Inflammationes partis cujuscumque ſemper concomitantur, quaeque itaque unice ceu eſſentiales hujus morbi characteres habenda ſunt: ceterum nec pulſus, nec doloris aut Febris ve-

(215) Cf. l. l. Cap. XXII. p. 384.

vehementia tales conſtituunt characteres, quum pulſus in variis caſibus admodum differat, ac dolor & Febris haud raro, imminente licet morte, imminuantur: novi quidem, HALLERUM (216) HAENIUM (217) MORGAGNIUM (218) & STOLLIUM (219) mentionem feciſſe de ventriculi Inflammatione absque ullo dolore vel vomitu; & ultimum quoque memoriae prodidiſſe, ſe Enteritidem cum Febre vix ulla, & dolore exiguo obſervaſſe (220) verumenimvero memoratos auctores ſi conſulamus, ſatis ſuperque liquet, omnes illos caſus ad Inflammationes ſpurias pertinuiſſe, atque ergo hic, ubi unice de veris viſcerum Inflammationibus agitur, minime in calculum venire poſſe; ſed valent hae obſervationes de Inflammationibus a Febre putrida ortis, in ejusmodi enim Inflammatione exſtinctis ſaepe poſt mortem memoratas partes dire inflammatas ſe reperiſſe, teſtatur CULLENUS, etſi durante vita nullum Inflammationis ſignum apparuiſſet (221): quod denique attinet ad explicationem ultimo memorati verae Inflammationis characteris, (quod ſcilicet ea non tam ſaepe ac ſpuria in Gangrenam tranſeat) illa quidem pro parte peti debet ex eo, quod nimirum vehemens illa phlegmonoidea Inflammatio prius, quam conſueto quodam Inflamma-

(216) Cf. *Opuſc. Pathol.* Obſ. XIV. Hiſt. III.
(217) *Rat. Med.* Vol. II. P. II. p. 11. & ſeqq. edit. Leidenſ.
(218) Vid. l. l. T. III. Lib. IV. Epiſt. XLIX. Art. XIV.
(219) Cf. *Rat. Med.* P. I. Sect. VIII. p. 125. & 126.
(220) *Rat. Med.* P. I. Sect. XIX. p. 166. & 167.
(221) l. l. T. I. Lib. II. Cap. VIII. p. 360.

mationis exitu terminari queat, haud raro apoplexia, aut ſuffocatione homines occidat (222); ab altera tamen parte haud negandum eſt, in genere Inflammationes, quo ſint impuriores, eo quoque ad Gangrenam majorem habere propenſionem (223).

§. 187. *Quoad Secundum.* Quoties autem a ſtimulo morboſo quocumque in corpore cachectico vel & praegreſſis morbis debilitato localis vitae incitatio in ſyſtemate ſanguifero tantum producitur, toties oritur Inflammatio ſpuria: quod autem re vera his in caſibus etiam vitae incitatio locum habeat, id manifeſte demonſtrat Eryſipelas, ſpecies Inflammationis ſpuriae, ubi alio licet modo ac in Phlegmone tamen generales Inflammationis effectus, ſive calor, rubor, dolor & tumor obſervantur: viſcera vero ſaepe ejusmodi pati Inflammatione, omni dubio caret; attamen nullum memoratorum phaenomenorum ceu ſignum pathognomicum Inflammationis ſpuriae alicujus viſceris conſiderari poteſt; namque ſaepe materies morboſa eſt adeo pernicoſa, ut organi affecti vita uno quaſi ictu deleatur, aut ad mini-

(222) Cf. VOGEL l. l. T. IV. p. 13. & 14. nec non STOLL, *Rat. Med.* P. I. Sect. XIV. p. 151. & ſeqq.

(223) Cf. BURSERIUS DE CANILVELD l. l. T. III. Cap. XVII. p. 368. & ſeqq. VOGEL l. l. T. IV. p. 306, 377, 378, 409. & 422. quibus in locis probatur, viſcera, quae ceteris magis patiuntur Inflammationibus ſpuriis, magis etiam Gangrena affici. Idem ſe in praxi obſervaſſe, in praelectionibus domeſticis nobiſcum communicavit honoratiſſimus Praeceptor Celeb. PARADYS, cui viro pro officio & benevolentia erga me meaque ſtudia praeſtita hic publicas ac maximas ago gratias.

nimum ita proſternatur, ut illius reactio non amplius in ſenſus incurrere valeat, unde Inflammationes ſpuriae partium internarum haud raro non niſi poſt mortem deteguntur; neque hoc mirum audiet, ſi ejusmodi Inflammationis naturam conſideremus; nam dum in illa non vera ſed tantum apparens obtineat vaſorum vitae incitatio, illam incitationem, ſi ſcilicet cauſa morbifica fuerit admodum pernicioſa, mox ſaepe excipit aut ſummus languor, aut plena vitae exſtinctio: ſin vero materies morboſa non ita fuerit maligna, tunc non vehementer ſed clanculum illa operatur, ſicque ſenſim ſenſimque infert perniciem: Eandem ob cauſſam Inflammatio impura, ſive fuerit Eryſipelas, ſive alia ſpecies, ſi in ſuppurationem tranſeat, ſemper loco boni puris ſecernitur ichor, quippe talis vis vitalis gradus, qui ad bonam ſuppurationem requiritur, his in caſibus numquam non deſideratur: interim proh dolor, hae Inflammationes, ut ut detectu difficillimae, nihiloſecius veris obſervantur multo frequentiores, ſic Gaſtritidem plerumque eſſe ſpuriam teſtatur CULLENUS (224); hoc de Enteritide annotavit STOLLIUS (225); idem non tantum de Gaſtritide, Enteritide, Cyſtitide, & Metritide ſcripſit VOGELIUS (226), ſed etiam ſplenitidem, & his in regionibus Hepatitidem raro niſi ſpurias occurrere, probavit vir eximius (227).

§. 188.

(224) l. l. T. I. Lib. II. Cap. VIII. p. 366.

(225) Cf. *Aphor. de Cogn. & curand. Febrib.*

(226) l. l. T. IV. Cap. XII. p. 282, 283. & 287. Cap. XIII. p. 300. & ſeqq. Cap. XXII. p. 409. Cap. XXIII. p. 421. & 422.

(227) Cf. l. l. Cap. XX. p. 387. & Cap. XIX. p. 354.

§. 188. Quum autem a diverſis potentiis morbificis illa ſpuria Inflammatio oriri valeat, nullae generales regulae de ejus medela ſtatui poſſunt, hinc minime in his aeque ac in veris repetitis V. S. ceteraque cura antiphlogiſtica Inflammationis reſolutio eſt tentanda, ſed in illis pro varia cauſa morbifica, pro variis ſubjectis, ac pro varia rerum circumſtantia methodus medendi differre quoque debet; quin tantum abſit, quod ſemper curam antiphlogiſticam requirant illae, ut e contra haud raro tonica omnem curae paginam abſolvant, ita ut de his nihil certi determinari queat, at omnia pro re nata conſtitui debeant.

Ex memoratis vero facile intelligere eſt, in quantum ſpuriae Inflammationes cum veris conveniant, & in quantum ab iis differant: conveniunt enim eatenus, quatenus in utraque localis vaſorum vitae obtinet incitatio; differunt autem, quod in ſpuriis illa vis vitalis incitatio non ſit vera, ſed tantum apparens, & quod cum apparenti illa vitae particularis incitatione haud raro principii vitalis imminutio ſit conjuncta.

§. 189. *Quoad Tertium.* Cauſae, a quibus Inflammationis periculum pendet ſive illa fuerit vera, ſive minus, licet ſint multiplices, poſſunt tamen omnes ad ſex ſequentes reduci; nimirum Inflammatio fit funeſta 1°. conſtitutione epidemica; 2°. Inflammationis cauſis; 3°. illius gradu, 4°. partium inflammatarum dignitate & ſtructura; 5°. aegroti temperamento, aetate, & ſexu; 6°. denique ſtatu ſanitatis ſubjecti aliunde turbato. Hos titulos breviter reſumamus.

§. 190. *Primo.* Inter cauſas, quae Inflammationem funeſtam reddunt, jure merito agmen ducit conſtitutio epide-

demica, quum ex illa ſola ſaepe Inflammationis indoles, medela, & periculum peti debeant: ſic refert immortalis SYDENHAM de Tuſſibus epidemicis cum Pleuritide & Peripneumonia ſupervenientibus, quae Londini anno 1675. epidemice graſſabantur, illas fuiſſe benignae adeo indolis, ut, ſi modo juſta medendi ratio adhiberetur, omnia ſymptomata placide evaneſcere ſolerent (228); e contra memorat Ill. BURSERIUS Anginam epidemicam valde funeſtam, ac quae ob ejus ad Gangrenam propenſionem *gangrenoſa* a viro egregio fuit appellata (229): In Pleuritide veri nominis, licet larga manu ſanguis mitti debeat, tamen in univerſum ad prima ſyncopes ſigna ſanguinis fluxus eſt inhibendus, ac vitandum animi deliquium, ne lethalis Peripneumonia Pleuritidi ſuccedat: interim obſervavit Cl. CLEGHORN Pleuritidem epidemicam, in qua ſummo cum ſucceſſu talem ſanguinis miſſionem celebravit, quam absque animi deliquio ſane vix ullus perferre valuit; etenim nychthemeri ſpatio ſanguinem circiter ad quatuor libras detraxit, ſymptomatibus vero ante quartum morbi diem non imminutis, de novo totidem libras eodem temporis ſpatio extraxit (230): vidit Cl. BRAMBILLA Peripneumoniam epidemicam admodum Inflammatoriam, qua debiles valetudinarii, & ſenes raro afficiebantur, atque illa correpti facile curabantur. Juvenes e contra fere omnes peribant, etiamſi apud hos V. S. repetita vice, ceteraque cura

(228) Cf. l. l. Sect. V. Cap. V. p. 245.
(229) Cf. l. l. T. III. Cap. XVII. p. 368. & ſeqq.
(230) Vid. l. l. Cap. VI. p. 267. & ſeqq.

cura antiphlogiſtica ſtrenue eſſet inſtituta, donec demum juvenibus, plethoricis & robuſtis prophylactice larga manu phlebotomia celebraretur, qua agendi ratione plerumque a morbo liberi manſerunt (231): Ill. vero FOTTERGIL a phlebotomia in Angina quodam epidemica peſſimos notavit effectus (232): en nonnulla exempla, quantum ad Inflammationis prognoſin conferat epidemica conſtitutio.

§. 191. *Secundo.* Inter praecipuos fontes, e quibus Inflammationis prognoſis peti debet, omnino referendae ſunt ejus cauſae, dum prout Inflammationis cauſa majoris vel minoris momenti fuerit; prout illa facilius aut difficilius removeri queat, ſaepe etiam morbi exitus diverſimode terminetur: hoc adeo verum, ut hac de re practici auctores conveniant omnes, hinc ſummus BOERHAAVIUS de Phrenitidis prognoſi agens: „ eam a Peripneumonia & „ Ileo lethalem, atque a Variolis malam admodum de„ clarat (233): ex Angina Pleuritidem validam & Peri„ pneumoniam vix medicabilem eſſe teſtatur Ill. QUA„ RIN (234)." Idem de Hepatide ex Angina orta aſſerit Celeb. SWIETENUS (235): vice verſa „ Anginae Inflam„ mationem a praegreſſa Dyſenteria epidemica, a Variolis „ confluentibus peſſimam, a Peripneumonia, ac a Febre „ ca-

(231) Cf. l. l. T. I. p. 409.
(232) Vid. *Account of the Putrid. ſore throat* p. 41.
(233) Cf. *Aphoris de cogn. & curand. morb.* §. 774. p. 174.
(234) l. l. Cap. XVII. p. 296.
(235) Vid. l. l. T. II. §. 809. p. 679.

„ catharrali maligna ortam funeſtam, obſervavit Ill. ELLE-
„ RUS (236):" & quantum in Inflammatione vera alicujus viſceris ad ejus cauſam attendendum ſit, ſuo damno expertus fuit celebris Medicus DE LA METTRIE, qui quum ingurgitatione incredibilis portionis carnis ferinae incoctae Gaſtritidem cum Febre Inflammatoria conjunctam contraxiſſet, neglecta morbi cauſa ſolis V. S. repetita vice & largiſſima manu inſtitutis morbum debellandum eſſe credidit, at infelici adeo eventu, ut vi vitali tum validiſſimis phlebotomiis tum cauſa morboſa continuo ſtimulante valde debilitata, demum Inflammationis vices exceperit Gangrena, ſicque tandem die morbi decicimo quarto vitam cum morte commutaverit infelix ille (237).

§. 192. *Tertio.* Nec inter cauſas, quae quandoque Inflammationes funeſtas reddunt, negligendus eſt illius gradus, quoniam Inflammationis gradus poteſt eſſe tantus, quantus omni in arte auxilio ſit ſuperior, ſic: e. c. aſperae arteriae Inflammationem intra paucas horas homines e medio ſuſtuliſſe, monet SYDENHAMUS (238): meminit STOLLIUS caſum ſartoris cujusdam, cujus uterque pulmo dira adeo Inflammatione erat correptus, ut non obſtante largiſſima phebotomia iterata vice inſtituta tamen die morbi decimo ſeptimo ſuffocatione aeger fuerit peremtus (239): hinc

(236) Cf. ejus *Obſ. de cogn. & curand. morb. praeſert. acutis* Sect. VII. p. 175. & 176.

(237) Cf. l. l. Sect. XI. p. 251. & 252.

(238) l. l. Sect. VI. p. 282.

(239) l. l. P. I. Sect. XIV. p. 150. & 151.

hinc vera Encephalitis raro ſeptimum morbi diem transgreditur, verum plerumque die tertia aut quinta necat (240), quin, illam poſt tres, quatuorve horas fuiſſe funeſtam, ſcripſerit PROSPER ALPINUS (241).

§. 193. *Quarto.* In Inflammationis prognoſi formanda omnino quoque partium inflammatorum conſideratio habenda eſt: differt enim morbi periculum pro varia organi inflammati ſtructura, pro vario viſceris affecti ſitu tum reſpectu aliarum C. H. partium, tum ratione facilioris vel difficilioris remediorum uſus; nec non pro varia functione, cui organum laeſum eſt deſtinatum: hinc Carditis plerumque eſt lethalis, ac Peripneumoniae curam jure merito difficilem declarat QUARINUS (242), tum ob perpetuum pulmonum motum, tenerrimam, & facile deſtruendam vaſculorum ſtructuram, tum quia topica applicari non poſſunt, & revulſio vix locum habet; Gaſtritidem brevi plerumque fieri lethalem ob laeſam neceſſariam functionem, & infinitos nervos connexos monet ſummus BOERHAVIUS (243), quibus cauſis accedit adhuc, quod ob continuum vomitum nulla remedia ingeri poſſint; Diaphragmatitidem in univerſum Pleuritide eſſe periculoſiorem ob perpetuum Diaphragmatis motum, & ob ejus cum corde & cerebro conſenſum, docet Ill. QUARIN (244), demum Me-

(240) Conf. QUARIN l. l. Cap. XIV. p. 214.
(241) Conf. ejus liber de *Medicina Aegyptiorum*, p. 50.
(242) Conf. l. l. Cap. XVII. p. 294.
(243) Vid. l. l. §. 952. d. 228.
(244) Conf. l. l. Cap. XVIII. p. 339.

Metritis, ceteris paribus, reliquis viſcerum Inflammationibus magis obſervatur funeſta, quippe illa omnium maxime in ſuppurationem & Gangrenam eſt propenſa (245).

§. 194. *Quinto.* Neque aegroti temperamenti, aetatis, & ſexus ratio negligenda eſt: hinc mediae aetatis homines morbis Inflammatoriis magis obnoxii ſunt, quam infantes & ſenes, quum ſcilicet Inflammatio prae ceteris amet temperamenta ſanguinea; hinc robuſtos & laborioſos fortius pectoris Inflammationibus affligi, ſuo tempore jam monuit Medicinae parens, dicens: „ denſa & exercitationi de„ dita corpora citius e morbo laterali & pulmonis Inflam„ matione intereunt, quam quae ſine exercitatione de„ gunt " (246): hinc iisdem ſub conditionibus, teſte QUARINO (247), in foeminis & junioribus longe facilius curatur Inflammatio, quam in adultis, & duro labore fractis corporibus ob canales mobiles, & humores minus denſos, hinc tandem, obſervante HOME (248), viri generatim Phrenitide gravius laborant ac aegrius evadunt, quam foeminae.

§. 195. *Sexto.* Demum plurimum ad corporis diatheſin eſt attendendum: dum pro diverſa corporis diatheſi maxime quoque differat Inflammationis prognoſis, ſic, ut uno alterove exemplo rem probem, vulgaris eſt obſervatio, quod

(245) Conf. VOGEL l. l. T. IV. Cap. XXIII. §. 8. p. 422.

(246) Conf. HIPPOCRAT., *Coacae Praenotiones*, Sect. II. p. 181. N. 398.

(247) Conf. l. l. Cap. XIII. p. 193.

(248) Vid. *Princip. Medic.* p. 103.

quod gravidae & puerperae gravius ab Inflammationibus afficiantur, & aegrius evadant; quod gibboſi, vel quibus anguſtius eſt pectus, frequentius pectoris Inflammationibus laborent; idem valet de hominibus fibra delicata, teneri, gracili praeditis, dum in ejusmodi ſubjectis, imprimis ſi inſuper hereditariam ad phthyſin habeant propenſionem, plerumque poſt annum trigeſimum ſextum Peripneumoniae vices excipiat immedicabilis Phthyſis: notum eſt porro, leviſſimam Inflammationem, licet a cauſa externa ortam, nihilominus in Scorbuticis, ob diatheſin corporis morboſam fere ſemper in pravam ſuppurationem terminari, idque etiam in ceteris Cachexiis contingere, monet ſummus SWIETENUS (249); Peripneumoniam Phthyſicis ſupervenientem fere eſſe exitialem, ac illam Hydropi pectoris, aut hunc Peripneumoniae accedentem lethalem declarat eximius QUARINUS (250); dantur tamen hujus ultimae regulae exceptiones, nam Celeb. ZIMMERMAN refert, nonnullos caſus aegrorum, quibus Hydrope pectoris laborantibus Peripneumoniae, aut e contra Peripneumonia correptis Hydrothoraces ſuperveniebant, & qui tamen, juſta adhibita medela, priſtinam recuperarunt ſanitatem (251); interim hi felices exitus ſunt rariores.

§. 196. *Quoad Quartum.* Ultimo loco denique commemorare debemus, quotuplici ratione alicujus viſceris Inflam-

---

(249) Conf. l. l. T. I. §. 388. p. 660.
(250) Conf. l. l. Cap. XVII. p. 296.
(251) Vid. J. G. ZIMMERMAN, *von der erfahrung in der Artzneykunst*, I. Theil Lib. III. Cap. VI. p. 363.

flammatio poſſit fieri funeſta; hanc rem ſi accurate perpendamus, nobis conſtabit, quod Inflammatio decemplici modo mortem inferre valeat: namque occidere poteſt; 1°. Convulſionibus; 2°. Apoplexia; 3°. Suffocatione; 4°. Secretione lymphae coagulabilis; 5°. Metaſtaſi; 6°. Gangrena; 7°. vaſorum Diapedeſi; 8°. eorum Diareſi; 9°. Empyemate, & Aſcitide purulento; 10°. Effuſione bilis in ventrem.

§. 197. *Primo.* Mors ex convulſionibus initio Inflammationis obtinet; talis Inflammationis exitus ſuas natales debet, aut a diatheſi aegrotantium nimis irritabili, aut a ſenſilitate partium affectarum, hinc ille exitus praecipue in Encephalitide, Gaſtritide, & Enteritide locum habet (252); quomodo autem ex illis moriatur homo, ſupra jam ſaepius vidimus.

§. 198. *Secundo.* Ex Apoplexia moritur homo, vel quando ob ſpaſticam vaſorum conſtrictionem ſanguis in encephalo retinetur; vel ubi ob tumorem organi Inflammati v. g. in Angina refluxus ſanguinis a cerebro impeditur; vel quando a ſecreta lympha coagulabili cerebrum tantam patitur compreſſionem, ut illam preſſo pede ſequatur lethalis Apoplexia.

§. 199. *Tertio.* Ex Suffocatione perit homo, aut ob Inflammationem glottidis & epiglottidis, qua rima glottidis fere clauditur; aut ob ſecretionem lymphae coagulabilis

(252) Conf. SWIETENUS l. l. T. III. §. 953. STOLLIUS, *Aphoriſ.* §. 311. & VOGELIUS l. l. T. IV. Cap. I. p. 14.

lis totam aſperam arteriam implentis, ſicque impedientis liberum aëris ad pulmones tranſitum; vel demum ob abſceſſum, Anginam ſequentem, ſive tumor ille aëris acceſſum prae magnitudine negat; ſive illius ruptura magna puris copia miſerorum vitam uno quaſi momento tollit (253).

§. 200. *Quarto.* Secretio lymphae coagulabilis fere numquam niſi in Inflammatione phlegmenoïdea, cum diatheſi catharrali plus minusve conjuncta, obſervatur, hoc eſt; non occurrit niſi in tali Inflammatione, in qua vera vitae incitatio in ſyſtemate ſanguifero locum habet; ſive enim Anginam polypoſam, ita dictam, quod in ea illa lymphae coagulabilis ſecretio tantum non ſemper occurrat (254), ſive aliam Inflammationem quamcumque, in qua ille exitus fuit obſervatus, conſideremus, omnibus conditionibus rite perpenſis nobis conſtabit, memoratos caſus tantum non ſemper ad Inflammationes veras pertinuiſſe, quamobrem quoque in plerisque ejusmodi caſibus larga phlebotomia, ceteraque cura antiphlogiſtica praecipua curatio abſoluta fuerit: quod autem re vera tali modo quandoque (255) Inflammatio terminetur, probant connexiones pleurae cum pulmonibus, pericardio cum corde, hepatis cum variis abdominis partibus, omenti cum ventriculo, nec non membra-

(253) Conf. VOGEL l. l. T. IV. Cap. VI. p. 133. & ſeqq.

(254) Conf. VOGEL l. l. p. 135. & ſeqq. nec non BURSERIUS l. c. T. III. Cap. XVII. p. 390. & ſeqq. ibique citatos auctores.

(255) Conf. VOGEL l. l. p. 148. & ſeqq. BURSERIUS l. l. p. 402. & ſeqq.

brana, inter duram matrem & cerebrum obſervata, craſſitie duas lineas aequans, quam in Encephalitide defuncto reperit Cl. BIRNSTIEL (256), quid quaeſo ſunt omnes illae connexiones, niſi totidem membranae, ſecretione illius lymphae coagulabilis ortae? illa itaque ſummo cum jure inter Inflammationis exitus etiam locum meretur (257).

Ratio autem, cur in veris Inflammationibus illa non ſemper obſervetur, etiamſi iſtae diatheſim catharralem ſibi junctam habeant, videtur eſſe in eo, quod ad talem ſecretionem requiratur certus & determinatus vitae gradus. Exinde forſan etiam peti debet ratio, cur illa, licet ſaepe quoque ſporadice occurrat, plerumque tamen epidemice graſſetur. Illa lymphae ſecretio non ſemper eſt lethalis, ſed reſpectu variorum organorum vario exitu terminatur: in Pleuritide illa lymphae ſecretione ſaepe morbus reſolvitur feliciter, & aegri in poſterum de partium connexionibus nil incommodi experiuntur; in viſceribus vero abdominalibus Inflammatio quidem etiam ſaepe ſimili modo reſolvitur, attamen ob viſcerum connexiones inter ſe haud raro ſatis gravia ſymptomata poſt ſe relinquit; ſi tandem in Encephalitide, aut Peripneumonia illa lymphae ſecretio majori ſaltem copia obtineat, plerumque Apoplexia, aut Suffocatione perimitur miſer, vel & in priori caſu cerebri com-

(256) Conf. VOGEL l. l. T. IV. Cap. I. p. 14.

(257) Vid. HUFELAND l. l. Cap. V. p. 311. & BLUMENBACH l. l. Sect. II. §. 19. p. 15.

compreſſione haud raro cito vita exſtinguitur, nempe ejus Sphacelum producendo.

Ex dictis ſatis liquet, memoratum Inflammationis exitum conſiderandum eſſe ceu validum Naturae conamen ad morbum debellandum. Quum interim illud conamen ſaepe infelici, imo lethali exitu terminetur, iſtud omni cura avertere medicum oportet. Ad illam vero ſecretionem requiritur vis vitalis exceſſus, isque ſatis inſignis; ſecernitur enim plerumque lympha minori vel majori copia, prout ocius aut ſerius V. S. fuerit inſtituta, ac prout largius vel minus large phlebotomia ſit celebrata (258), hinc ſpes affulget, fore, ut forſan, ſi non ſemper, ſaltem bene multis in caſibus, tota illa ſecretio praecaveri poſſit, ſi nempe, regnante tali epidemia, prophylactice vena ſecaretur.

§. 201. *Quinto.* Ex Metaſtaſi moritur homo, aut quando materies morboſa fuit indolis pernicioſae, nam quamvis in vera Inflammatione etiam quandoque pus ad varios locos metaſtatice deponatur, in univerſum tamen Inflammationes, quo ſint impuriores, eo ſunt mobiliores; aut quia principium vitale jam valde debilitatum novae Inflammationi ferendae haud eſt par; aut demum quoniam materies morboſa ad talia deferatur organa, quorum ſtructura facile deſtrui poteſt, dum interim eorum functio ad vitam alendam plane ſit neceſſaria; pro diverſo autem viſcere, in quo Metaſtaſis obtinet, mortis cauſa quoque differt.

§. 202.

(258) Conf. VOGEL l. l. T. IV. Cap. XIX. §. 12. p. 356.

§. 202. *Sexto.* De Morte ex Gangrena nihil dicendum habeo, illius enim moriendi rationem jam ſaepius pertractavimus; quid vero proprie Gangrena ſit, & quae illius ſint cauſae, de his dein de ipſa Gangrena ſpeciatim agenti nobis erit diſſerendum.

§. 203. *Septimo.* Inter Inflammationis exitus jure merito CULLENUS numeravit vaſorum Diapedeſin (259); occurrit talis Inflammationis exitus longe frequentius, ac vulgo opinatur, uti cadaverum diſſectiones docuerunt; oritur illa ſeri tranſudatio aut in ultimo morbi ſtadio, quando ſcilicet, univerſali virium reſolutione Inflammationis vices excipiente, per interſtitia hiantia relaxatorum vaſorum emittitur ſerum, quo in caſu illa ſeri effuſio ingenti quantitate obtinet. Huc pertinet caſus a STOLLIO relatus de piſtore quodam, in cujus cadavere ingens ſeri copia reperiebatur (260); aut ex valido Inflammationis gradu, quando nimirum ſine virium proſtratione vi Naturae medicatrici ejusmodi ſeri effuſione morbus ſolvitur; vel denique ubi absque ulla Inflammatione ex ſola ſanguinis copia vaſa ſanguine nimis turgida tonum amittunt, prae nimia extenſione eorum parietes a mutuo contactu recedunt, ſicque ſerum dimittunt (261). Ille autem Inflammationis exitus, il-

(259) Conf. l. l. T. I. Lib. II. Cap. XVI. §. 261. p. 240 & 241.

(260) Vid. *Rat. Med.* P. I. Sect. XIII. p. 148 & 149.

(261) Hujus loci videtur eſſe caſus a STOLLIO deſcriptus *Rat. Med.* P. I. Sect. I. p. 95 & 98. ſed imprimis *Rat. Med.* P. III. Cap. VI. p. 203. & ſeqq. ubi varia exempla attulit vir egregius.

illa ſeri, ut ita dicam, extravaſatio, ubi ab univerſali virium reſolutione enaſcitur, ut in Inflammatione plerumque accidit, numquam non eſt lethalis; id non tantum probant STOLLII modo allatae obſervationes, ſed etiam, mortem inde ſaepe ſeſe obſervaſſe, aſſerit CULLENUS (262): quando e contra prae nimia vaſorum extenſione oritur, non ſemper exitium infert; at tunc plerumque in Hydrothoracem vel Aſcitidem abit (263); mortis vero cauſa reſpectu variorum organorum, in quibus locum habet, valde eſt diverſa.

§. 204. *Octavo.* Saepe etiam vaſorum Diaireſi, ſive rupturâ Inflammatio terminatur. Oritur illa vaſorum ruptura praecipue ſaltem a binis cauſis; aut quando ob ſummum Inflammationis gradum a validiſſima ſanguinis preſſione vaſa rumpuntur, quae ruptura ob tenerrimam vaſorum ſtructuram a memorata ſaltem cauſa in peripneumonia praecipue obtinet, etſi non negemus, etiam aliquando in ceteris viſcerum Inflammationibus eam poſſe locum habere: effunditur tunc ſanguis, vel in aſperam arteriam, quo in caſu oritur Haemoptyſis; talem caſum, ubi ſcilicet in juvene robuſtiſſimo Peripneumonia laborante ex hac cauſa enaſcebatur Haemoptyſis, deſcripſit ELLERUS, cui tamen poſt tres menſes ſanitas integra fuit re-

(262) Conf. l. l. p. 240. & ſeqq.

(263) Conf. STOLL l. l. nec non P. I. Sect. IX. p. 128. CULLEN l. l. & MORGAGNE l. l. T. III. Lib. IV. Epiſt. LII. Art. XXXIV. p. 110 & 111.

reſtituta (264); vel exit in pulmonum cellulas, quo in caſu pulmones comprimendo; eorumque functionem impediendo Suffocatione aut Gangrena necat; hujusmodi caſus duo exempla attulit HALLERUS (265): hanc autem ſanguinis effuſionem in Peripneumonia defunctis plerumque conſtituere mortis cauſam, cenſet CULLENUS (266): aut ubi vaſorum tonus inſigniter fuit debilitatus, quod a variis cauſis accidere poteſt; huc videtur eſſe referendus caſus ab HALLERO relatus de puerpera, quae e cruris eryſipelate exſtincta eſſe videbatur, dum interim cadaveris diſſectione viro egregio patuit, eam occubuiſſe ex Enteritide, & quidem ex cruore per totam tractus inteſtinalis longitudinem in cellulas effuſo (267); ab hac vero cauſa nata ſanguinis effuſio tantum non ſemper deprehenditur lethalis.

Notandum vero, quod, licet ex hacce obſervatione videatur veroſimile, etiam aliquoties ab ea cauſa vaſorum ruptura poſſit habere locum, vaſorum Diaireſin tamen ex hoc fonte multo rarius, ae vulgo opinatur, occurrere, probant obſervationes Cel. BRUGMANS, cui ex ingenti obſervationum numero in cadaveribus tum animalium cum hominum inſtitutarum conſtitit, iis in caſibus, ubi prima fronte color habitusque parietis interni canalis inteſtalis oſtendere videntur ſanguinem effuſum per Diaireſin, hanc affectionem tamen locum non habe-

(264) l. l. Sect. VII. p. 196 & 197.

(265) Vid. *Opuſc. Pathol.* Obſ. XIV. Hiſt. I & II. p. 29. & ſeqq.

(266) l. l. §. 259. p. 239.

(267) Vid. l. l. Obſ. XXXIII. in initio, p. 109 & 110.

bere, verum minima vaſcula ſanguifera inteſtinorum hoc humore tunc tantum valde tumere, ita ut poſt mortem ab exigua vi applicata disrumpantur (268).

§. 205. *Nono.* Empyema & Aſcites purulentus non hujus ſunt loci, niſi eo in caſu, ubi abſceſſus cito rumpitur, ſicque omnia viſcera thoracis aut abdominis puri quaſi innatant; hoc enim ſi contingat, ſaepe brevi actum eſt de vita: intereunt homines in priore caſu ſuffocatione; in poſteriore caſu mortis cauſa pro vario viſcere, ac pro diverſa puris conditione differt; in univerſum tamen pus ex viſceribus abdominalibus v. g. hepate, liene & rene fere numquam eſt bonae notae, hincque rupto tali abſceſſu, ſequuntur animi deliquia, inſignis virium proſtratio, meteorismus, atque ex canalis cibarii Gangrena perit miſer (269): non ſemper tamen ita moritur, ſed quandoque e medio tollitur modo longe alio, & non niſi cadaveris diſſectione ex hoc fonte petendo. Egregium hujus rei exemplum refert MACBRIDIUS „ de viro nempe mediae „ aetatis ſatis vegeto, ſolitisque negotiis vacante, qui re„ pente in plenam lotii ſuppreſſionem incidebat, triduo„ que exacto moriebatur. Inciſo cadavere omnia abdo„ minis viſcera pure immerſa reperta ſunt: illud autem „ pus ex liene toto quanto conſumto profluxerat; ceterum „ nullum neque calculi neque ſabuli veſtigium aut in „ renibus aut in veſica adparuit, ſed ob ſummam puris „ acri-

(268) Conf. *Rapport wegens den ſtaat der Veeziekte* &c. p. 20. & ſeqq.

(269) Vid. Ill. VOGEL l. l. T. IV. Cap. XIX. p. *368 & ſeqq.*

„ acrimoniam exterior veſicae ſuprficies in anguſtiſſimum „ ſpatium erat contracta (270)."

§. 206. *Decimo.* Si hepar, imprimis pars ejus concava, Inflammatione corripiatur, illa Inflammatio haud raro quoque cum veſicula fellea communicatur; ejusmodi Inflammatio ſi non reſolvatur, at in ſuppurationem abeat, ſaepe una cum pure ipſa bilis in cavum abdominale effunditur; id ſi eveniat, fere ſemper brevi ex inteſtinorum Sphacelo ſuccumbit homo, illo autem in caſu, plena omnium virium reſolutio, leipothymia, ac meteorismus imminentis fati ſunt prodromi (271).

(270) Vid. l. l. T. II. Lib. II. Cap. VII. p. 182. & 183.
(271) Cf. Ill. VOGEL l. l. T. IV. Cap. XIX. §. 30.

CLASSIS NONA.

MORS EX PROFLUVIIS.

§. 207. Profluviorum ſub nomine hic comprehendimus omnes morbos, in quibus excretio alvi aut ſanguinis morboſe augetur; illa Claſſis reſpectu organorum, in quibus illud praeternaturale excretionis augmentum locum habet, in duos dividitur ordines, nempe alvi & ſanguinis fluxus; in utroque vero, ac imprimis in priore, occurrunt morbi, qui quoad naturam, agendique modum maxime inter ſe differunt, hinc generale claſſis vel ordinis examen ad hoſce morbos cognoſcendos minime ſufficit, verum requiritur, ut in ſingulo ordine nonnulli morbi ſeparatim pertractentur, ad quorum igitur examen tranſeundum eſt.

ORDO PRIMUS.

ALVI PROFLUVIA.

GENUS PRIMUM.

DIARRHOEA.

§. 208. Frequens copioſa & liquida alvi dejectio ſive ceterum illam dolor concomitetur, ſive minus, dicitur *Diarrhoea.*

Ex hacce definitione facile intelligere eſt, quibus notis Diarrhoea a Dyſenteria, morbo, quocum ſaepe confunditur, diſtingui debeat; in Diarrhoea enim alvi fluxus ſemper obſervatur copioſus, dum e contra in Dyſenteria dejectiones ut ut creberrimae, ac torminoſae fere ſunt irritae, ita ut inter aſſiduos ſed fruſtraneos dejiciendi conatus, retentis plerumque foecibus alvinis, non niſi pauxillum ſanguinis & muci, aut & unice muci exprimatur; hoc unicum ſignum exhibet pathognomicum, cujus ope bini hi morbi, ſi modo inter ſe non ſint conjuncti, numquam non diſtingui valent, ceterum non, uti vulgo opinatur, ad Diarrhoeae exiſtentiam pertinet, quod ventris tormina plane deſiderentur, nam non ſolûm teſtibus LUDWIGIO (272), STOLLIO (273) & BURSERIO (274) ea in Diarrhoea quoque poſſunt adeſſe, ſed & aliquando dolor ſatis vehemens eam concomitatur; in Febre bilioſa v. g. haud raro bilis deprehenditur adeo acris & mobilis, ut ſummo cum impetu verſus inferiora ruat, excitetque ſeceſſus creberrimos copioſos ac valdopere dolorificas, imo ob materiae morboſae acritatem nonnunquam enaſcitur Enteritis, brevi ſphacelo terminanda (275).

§. 209. Variae Diarrhoeae ſpecies apud Practicos occurrunt, quae omnes tamen meo judicio poſſunt referri vel ad Diarrhoeas ab acri ſtimulo quocumque natas, vel ad

---

(272) Cf. l. l. P. II. Tract. III. Cap. XI. p. 411.
(273) Vid. *Rat. Med.* P. III. Sect. IV. Cap. IV. p. 193.
(274) Vid. l. l. T. IV. Cap. V. §. 56. p. 333.
(275) Cf. VOGEL l. l. Lib. I. Cap. VI. p. 351. & ſeqq.

ad Diarrhoeas habituales, vel denique ad alvi Fluxus colliquativos. Illa diviſio prae ceteris mihi arridet, tum quum omnes Diarrhoeae ad unam earum facile reduci queant; tum quia ex hacce diviſione illarum cura jam pro parte elucefcat; etenim ſi a ſtimulo morboſo naſcatur alvi fluxus, illius ſtimuli effectum tollere, aut ſaltem minuere ſemper medici eſt, In ſecundo caſu debili atque prae debilitate nimis irritabili canali cibario roborantibus, adſtringentibus, nec non Opiatis ſuccurrere debet. Dum in ultimo caſu cura plerumque ſit extra artis poemeria, & tales fluxus, utpote majoris vel minoris inteſtinorum degegenerationis effectus tantum non ſemper reperiantur lethales.

§. 210. Quod autem ad hujus morbi moriendi rationem attinet, ex Diarrhoea triplici modi diem ſupremum obit homo, ſcilicet, Syncope, Enteritide & Fluxi Colliquativo: in priori caſu ob dejectiones copioſiſſimas, ac breviſſimo tempore ſibi inſequentes vires vitales adeo debilitantur, ut demum ipſum cor ſanguine obrutum ad maſſam ſanguineam propellendam non amplius par in lethalem incidat leipothymiam; quî autem homo ex Enteritide & fluxi colliquativo moriatur, antea jam fuit dictum.

GENUS SECUNDUM.

DYSENTERIA.

§. 211. Omnem frequentem, paucam, torminoſam, tenesmis ſtipatam alvi dejectionem, ſive mucoſam ſive ſangui-

guineam una cum CULLENO (276) *Dyſenteriam* apello: quum vero de hocce morbo paulo latius ſim acturus, dicam, 1°. de Dyſenteriae indole, 2°. de ejus ſede, 3°. de illius complicatione, 4°. de medela, 5°. quomodo Opium Dyſenteriae opituletur; 6°. de Dyſenteriae contagio, 7°. de prophylaxi, 8°. de illius moriendi ratione.

§. 212. *Primo.* Ex iis, quae ſupra jam monuimus, ſatis liquet, nos verſari ea in opinione, ut Dyſenteria nihil aliud ſit, niſi catharrus inteſtinorum; ille autem duplici modo producitur, aut ubi a morboſe affectis tunicarum inteſtinalium vaſis ſecernitur materies illa catharralis, aut quando ea jam jam in alia corporis parte orta per metaſtaſin ad inteſtinorum tunicas defertur. Patet inde, revera differentiam dari inter Colicam rheumaticam & Dyſenteriam; in priore autem caſu malum ipſum cavum inteſtinale afficit; in poſteriori vero in inteſtinorum tunicis ſedem habet.

Rationes, cur, praeeunte STOLLI aliisque, Dyſenteriam germanam ceu inteſtinorum catharrum conſiderem, ſunt praecipue ſequentes.

1°. Dyſenteria numquam non ſe prodit illo anni temtempore, quo affectiones catharrales maxime vigent, & vice verſa absque illis ſeſe non prodit, indicio, inter illos morbos dari quamdam affinitatem.

2°. Saepe nonnullae affectiones catharrales Dyſenteriam praecedunt, quae illa orta illico evaneſcunt: hoc non tantum bene multis exemplis probavit Ill. RICHTERUS (277) ſed

(276) Vid. *Synopſis Noſolog. Method.* edit. Noviſſ. p. 177.
(277) Cf. l. l. Cap. V. p. 87.

ſed & STOLLIUS ſaepe Rheumatiſmos artuum repente ſublatos vidit ſubortâ Dyſenteriâ (278): conſtat inſuper ex diſſertatione BAKERI, Catharrum epidemicum, qui anno 1762. in Anglia fuit graſſatus, initio autumni in Dyſenteriam tranſiiſſe, quae diverſi loci, quem occupabat materies morboſa, habita ratione, ejusdem plane erat indolis (279); unde liquet, illos morbos natura minime inter ſe differre.

3°. Subortis aliarum partium affectionibus catharralibus, Dyſenteria quoque ſubito ceſſat; ſic ab enata Angina catharrali, Dyſenteriam fuiſſe ſublatam, obſervavit RICHTERUS (280) atque eam, obortis artuum rheumaticis doloribus, ſaepe fuiſſe ſolutam, aſſerit STOLLIUS (281).

4°. Eodem anni tempore, teſtante STOLLIO, utriusque morbi par fuit frequentia, ita ut alii Rheumatiſmo, alii Dyſenteria afficerentur, manifeſto indicio, haſce affectiones morboſas ab una eademque potentia morboſa proficiſci; at in variis ſubjectis varias tantum aggredi partes, ſolaque hac ratione eſſe diverſas.

5°. Si denique hiſce omnibus addamus, Dyſenteriam tum quoad ſymptomata (iis modo, quae ab affecta parte immediate pendent, exceptis) tum quoad medendi methodum

(278) Cf. l. l. p. 187.

(279) Vid. venerandi Praeceptoris Celeb. SANDIFORT, (cujus praelectiones ſummo cum fructu frequentare mihi contigit) *Theſ. Diſſ.* T. II. p. 365. & ſeqq.

(280) Cf. l. l. p. 89.

(281) Cf. l. l. p. 187. & 201.

dum cum catharrali morbo convenire, nonne tunc juſta poteſt formari concluſio, & illam inter affectiones catharrhales pertinere?

§. 213. *Secundo.* Illa catharralis materies praecipue afficit inteſtina tenuia, excitatque eorum Inflammationem ſpuriam, ſaepe in gangrenam abeuntem, quae gangrena, niſi cito inhibeatur, ſphacelo terminatur: quod autem in Dyſenteria inteſtina tenuia una cum recto laborent, non tantum a priore ipſa ratione probatur, dum per ſe loquitur, craſſa inteſtina materiae ſtercoraceae conſervandae a Natura deſtinata multo difficilius a ſtimulo morboſo affici, quam tenuia; ſed etiam a poſteriore practicorum obſervationibus confirmatur, nam intolerabilis ille in Dyſenteria dolor plerumque medium abdominis, naturalem tenuium inteſtinorum ſitum, occupat: quin ipſe in fere quadraginta Dyſenteria defunctorum (quos cultro anatomico ſubjecit venerandus Praeceptor Cel. BRUGMANS) ſemper inteſtina tenuia una cum recto dira Inflammatione correpta, & pro parte jam ſphacelata viderim, dum coecum & colon, aut nihil praeternaturale exhibuerunt, aut quandoque ad ſummum hic illic levi Inflammationis nota fuerunt inſignita: ſin autem Dyſenteria aliquo cum morbo fuerit complicata, aut ſi illa inciderit in ſubjecta debilia, vel cachectica, aut denique ſi Dyſenteria laborantibus perverſa fuerit inſtituta curatio, longe alio res ſeſe habent, etenim tunc aut una cum tenuibus laborare poſſunt craſſa; vel & hoc in caſu haud raro ſola inteſtina craſſa patiuntur: horum vero Inflammatio, licet vulgo non tam cito necet, ſed magis in longum protrahatur, poteſt tamen in cachecticis quo-

quoque intra paucos dies mortem inferre (282), & in univerſum non eſt melioris ominis, dum, niſi in initio juſta medela id inhibeatur, aut gangrena terminatur, aut inteſtinis talem inducit degenerationem, ut, etiamſi nunc aut Natura aut arte Dyſenteria tollatur, nihiloſecius prae inteſtinorum degeneratione pereant miſeri; hiſce enim in caſibus Dyſenteriae loco ſuccedit alvi fluxus colliquativus, quo ſenſim ſenſimque reſiduae vires proſternuntur, ſicque lento gradu incedit mors. In ejusmodi cadaveribus inteſtina potiſſimum craſſa ſolito multo craſſiora, rigida, coriacea, at nullibi ulcerata ſemper reperit STOLLIUS (283).

Ex memoratis autem ſatis patet, quî STOLLII (284) & BAKERI (285) obſervationes, juxta quas illaeſis ſaepe inteſtinis tenuibus ſola craſſa reperiebantur morboſe affecta, cum noſtris ſint componendae, quippe in omnibus memoratis caſibus aut Dyſenteriae complicatio, aut Cachexia, aut prava curatio habuit locum; an interim in cacochymicis ſemper craſſa laborent, &, ſi laborent, cur prae tenuibus afficiantur? id plane ignoramus.

§. 214. *Tertio.* Hinc apparet, Dyſenteriam non ſemper eandem prae ſe ferre faciem, verum illam pro varia ejus complicatione diverſa ſymptomata exhibere; enaſcitur nimirum tunc ex Dyſenteria & ex diatheſi morboſa, quacum jungitur, novus morbus, qui ceu utriusque productum

(282) *Rat. Med.* P. III. Sect. IV. p. 191.
(283) l. l. p. 188. & 199.
(284) Ibidem p. 191. & p. 233. & 234.
(285) l. l. p. 381. & ſeqq.

tum conſiderari debet, hinc ſymptomata Dyſenteriae eſſentialia quidem non deſiderantur; ſed inſuper ſimul adſunt alia, quae ex diathacſi morboſa, cum Dyſenteria conjuncta, profluunt; illa vero pro varia complicatione valde ſunt diverſa; jungitur autem Dyſenteria cum aegritudine e ſordibus primarum viarum oriunda, cum diatheſi Inflammatoria, bilioſa, ac putrida: ſordes ſaepe cum Dyſenteria junguntur, imo illae in ipſa Dyſenteria ſimplici apud ruſticos & cives minus lautae conditionis ob vitae genus plerumque occurrunt, haud raro tamen & anni tempus, & epidemica conſtitutio ad illam complicationem ſuam conferunt ſymbolam; haec interim Dyſenteriae complicatio minime metuenda eſt, & facillime juſta medela curari poteſt. Ceterae vero complicationes (286) deprehenduntur multo periculoſiores; in genere tamen ſi fuerint ſimplices, ſique inciderint in corpora ſana, ſique demum promte morbi initio apta remedia opponantur, in pleriſque non tam difficulter ſanantur; neglectae autem ingentes edunt ſtrages: ſi fuerint ſimplices, addidi, quod ſaepe morbi jam per ſe complicati conjunctione cum Dyſenteria ſiſtant morbum admodum complicatum, eamque ob cauſam curatu difficillimum; differt tamen etiam hoc in caſu Dyſenteriae periculum pro varia morborum inter ſe conjunctione: Huic Dyſenteriae complicationi praecipue favet conſtitutio epidemica, quum ab illa tantum non ſemper Dyſente-

(286) STOLL l. l. Cap. VII. p. 217, 218. & Cap. XI. p. 229. & ſeqq.

teriae indoles modificetur (287): ſic Dyſenteria, quae anno 1762. in Anglia epidemice fuit graſſata, erat bilioſo — inflammatoria, illa tamen, ſi ſatis cito juſta adhiberetur medela, paucis fuit funeſta (288): Dyſenteria bilioſa, quae anno 1776. Viennae regnavit, niſi cito caveretur, tranſitum in putridam amabat (289): hujus loci videtur quoque eſſe illa Dyſenteria, quae anno 1783. in Gelria, aliisque hujus Reipublicae provinciis ſaeviit, dum & iſta ad putridam diatheſim vergebat (290): Dyſenteria, quae anno 1777. in Auſtria graſſata fuit, demum erat inflammatorio — putrida, illa multis, praecipue debilibus & cachecticis, fuit lethalis, quum neque antiphlogiſtica cura, neque emeto — catharſis, neque involventia, malum ſanare, aut temperare valerent (291).

§. 215. *Quarto.* Quod autem ad Dyſenteriae medelam attinet, illa ſi fuerit ſimplex, haud raro leni diaphoretico, v. g. ex floribus ſambuci, poteſt curari, ac ejusmodi Dyſenterias ſaepe ſola aqua tepida ſanavit TISSOTUS (292), & etſi illa non ita facile ſemper mederi poſſit, tamen praemis-

(287) Conf. STOLL l. l. Cap. VII. p. 217, 218. & Cap. XI. p. 229. & ſeqq.

(288) Conf. BAKER l. l. p. 374. & ſeqq.

(289) Vid. STOLL l. l. Cap. II. p. 183. & ſeqq. & Cap. VII. p. 218.

(290) Conf. VAN GEUNS l. l. p. 12. & ſeqq.

(291) Conf. STOLL l. l. Cap. IV. p. 191. & ſeqq. nec non Cap. IX. p. 230. & ſeqq.

(292) *Raadgeeving voor de Gezondheid van den Gemeenen Man*, ex verſione Cl. BICKER, Cap. XXV. §. 335. p. 269.

miſſo emetico, aut blande alvum purgante, numquam non Opium curam Dyſenteriae ſimplicis abſolvit, & quidem tam cito, ut plerumque intra paucos dies integra ſanitas aegrotis fuerit reſtituta (293). Eſt igitur Dyſenteria, ſi per ſe absque ulla complicatione ſiſtatur, morbus benignus, ac exemplum, quod quis inde mortem contraxerit, ſi nempe morbi initio juſta medela eſſet inſtituta, quantum novi, proſtat nullum, ſed omne hujus morbi periculum pendet, aut a conſtitutione epidemica, aut a corporis diatheſi, aut a prava cura: imprimis in Dyſenteriae curatione plurimum ad conſtitutionem epidemicam eſt attendendum, memorat enim STOLLIUS, ſe anno 1778., vigente conſtitutione epidemica inflammatoria, curam habuiſſe puellae 18 annorum, in qua ob corporis habitum, & ſaporem vitioſum ſaburram primarum viarum ſuſpicabatur, ad quam eluendam adhibuit STOLLIUS emeto — catharſin, ſed infelici adeo ſucceſſu, ut omnibus in pejus ruentibus paulo poſt illa perierit (294).

Neque tamen aegrotorum temperamenta prorſus ſunt negligenda, namque ob illa nonnulli aegroti quandoque requirunt medendi methodum cum conſtitutione epidemica haud convenientem; ſic in conſtitutione epidemica, a V. S. plane abhorrente, in plethoricis tamen ob nimium ſanguinis orgasmum illa poteſt eſſe utilis, ac vice verſa, vigente licet conſtitutione inflammatoria, in nonnullis tamen ob peculia- rem

(293) Conf. RICHTER l. l. Cap. V. p. 105.

(294) Conf. *Rat. Med.* P. III. Cap. XI. p. 233.

rem corporis diatheſin ſuſpenſa manu ſanguis eſt mittendus, & ſane STOLLIUS, ſi aliqua in re reprehendi poſſit, eſt forte in eo, quod, unice ad conſtitutionem epidemicam attentus, plerumque vix ullam temperamentorum habuerit rationem.

Ex dictis apparet, quod medendi methodus in Dyſenteria diverſo tempore differre debeat, ac de illius cura nullae certae regulae ſtatui poſſint; in univerſum tamen, praemiſſis praemittendis, & Dyſenteria complicata in ſimplicem mutata, omnem curae paginam abſolvit Opium, atque tali modo feliciter terminatur morbus: attamen non ſemper tam methodice Dyſenteria laborantes curare licet; ſi igitur in quacumque Dyſenteriae complicatione, ſolis exceptis iis caſibus, ubi illa cum diatheſi inflammatoria eſt conjuncta (quando non niſi prius remota phlogoſi Opium propinari debet) morbus increſcat, ſi dolores, tormina, ac teneſmus fiant vehementiora, uno verbo, ſi omnia imminentem Gangrenam indicent, ſemper ad Opium confugere oportet; idque tunc non parca, ſed larga manu adminiſtrari debet: interim Opii uſus in Dyſenteria his ſub conditionibus ceu aliquod novi conſiderandum non eſt, quum jam diu his in caſibus Opii efficacia Practicis fuerit cognita. SYDENHAMUS v. g., de Dyſenteria agens, ſic loquitur, „ illud interim omnino obſervandum eſt, utpote quod ad „ quam plurimos ab orci faucibus liberandos pertineat, „ quod quoties ventris tormina ad Dyſenteriam confirma„ tam usque promoveantur, periculoſiſſimum eſſe mihi „ conſtet, morbum adgredi provectiore illa methodo — „ evacuandi — dein contemperandi — quum experientia „ didicerim, Dyſenteriam & certiſſime & celerrime curari,

„ ſi,

„ ſi, miſſis ambagibus, fluxus Laudano confeſtim ſiſtatur. „ Ita enim atrox & vehemens eſt hicce morbus, ut ſi Dy„ ſenteria jam confirmata adhuc purgare ſatagas, perquam „ metuendum eſt, ne Dyſenteria ſumtis inde viribus in„ praeceps lata, aegrum prae incredibili fermento, quo„ cumque te poſtea verteris, diutius excruciet, vel etiam „ vita ſpoliet. — Advocatus itaque Laud. liq. ad gtt. xxii. „ protinus exhibeo, bis intra 24 horas, vel & ſaepius ſta„ tis intervallis, ſi dicta doſis torminibus & dejectionibus „ rite compeſcendis par non fuerit (295)." Mutinenſis celebris Profeſſor Cl. RAMASSINI hac de re ſequenti modo ſuam expoſuit mentem, „ nec forſan ulla eſt effe„ ctio, in qua ſecurius & liberaliori doſi exhiberi poſſit „ hoc remedii genus, quam in hujusmodi morbo, fractis „ licet, ac pene attritis viribus. Cuidam acerrima Dy„ ſenteria laboranti pluries exhibui Laudanum opiatum ad „ 3 & 4 grana, ſed parvo levamine, vixerat hic ad plures „ dies omnino gelidus, ac ſine pulſu, vires tamen non „ erant adeo languidae, ut huc & illuc ſe jactare non pos„ ſet; verebar, ne largiori doſi exhibitum Laudanum, re„ liquum flammae vitalis, quae ſupererat, reſtingueret. „ Laudanum rurſus ad grana 5 exhibui, ex quo aeger pla„ cide dormivit & excalefactus eſt (296)," accuratiſſimus demum Opii virium perſcrutator TRALLES dicit: „ nol-

(295) Vid. l. l. *Sced. Monit. de Nov. Febr. ingreſſu*, p. 531. & 532.

(296) Conf. B. RAMASSINI, *Opera omnia*, Geneve 1717. Conſt. Epid. §. 33. p. 201 & 202.

„ nollem ego aggredi Dyſenteriae gravioris ſanationem ſine „ Opio, nec talem unquam ſine eximio hoc numinis do- „ na curatam vidi: nullum remedium huic morbo aptius „ humana cura excogitare potuit, quum veriſſimum ſit il- „ lius antidotum, appoſite ita ſcribente BONTIO (297)." Haecce Opii in Dyſenteria encomia a recentiſſimorum ob- ſervationibus omnino confirmantur, ſic in Dyſenteria, quae anno 1779. in Friſia, vicinisque provinciis ſaeviit, reme- diis a DEGNERO, PRINGLIO, TISSOTO & ZIMMER- MANNO in ea commendatis fruſtra exhibitis, ad SYDEN- HAMIANAM methodum confugerunt medici, ac ejus ope haud pauci tuto evaſerunt (298): in illa Dyſenteria Doct. STINSTRA Opium ad gr. xviii., & Expert. LEINSIUS ad grana 36 usque intra nychthemerum ſummo cum ſucces- ſu aegrotis propinarunt, imo matrona, cui extrema jam algebant, ingeſta una vice ℥j. Laud. liq. Sydenh. in priſti- nam ſanitatem fuit reſtituta (299): eodem cum eventu in Dyſenteria Laudanum purum (urgente ſcilicet neceſſitate) ad gr. xii. nychthemeri ſpatio exhibuit Cl. VAN GEUNS (300); animadvertit interim jure merito vir egre- gius, in Dyſenteria Opium crudum Laud. liq. Sydenh. eſſe anteponendum, dum ultimum ſtimulantia etiam ingrediantur, quae hic prorſus evitari debent; monet inſuper, ut, ſimu- lac,

(297) Conf. *Terr. Remed. Examin. Rig.* p. 168.

(298) Conf. *Act. Hag.* T. I. P. I. ubi Doct. STINSTRA, egregia hujus morbi deſcriptio reperitur inſerta a p. 983. ad 994.

(299) Ibidem p. 991, 995, 1007 & 1008.

(300) Conf. l. l. p. 35 & 36.

lac Dyſenteriam miteſcere incipit, Opium refracta magis doſi exhiberi debeat (301). Et ſane, hoc grave monitum ſi negligatur, aut Opium noxios exſerit effectus, aut homines ita Opio aſſueſcunt, ut reconvaleſcentes per inſigne tempus eo egeant, & non niſi ſenſim ab ejus uſu deſueſcant (302): omnibus iſtis obſervationibus demum & proprias addere poſſem, quum Opii uſu fere ducentos ex orci faucibus ereptos viderim.

§. 216. *Quinto.* Qua ratione autem Opium in Dyſenteria operetur, adhuc diſputatur: plerique volunt, Opium hic agere vi diaphoretica: ſed ſi conſideremus, multa remedia, quae quoad virtutem diaphoreticam Opio non cedunt, nihilominus tamen in Dyſenteria effectum praeſtare nullum (303); ſi inſuper perpendamus, Opium, imminente inteſtinorum Gangrena exhibitum, eam avertere, & cardiaci vices agere, memoratam ſententiam non amplecti poſſumus; verum potius ejus actio nobis videtur eſſe explicanda ex peculiari illa Opii facultate, qua avertit, vel & compeſcit, ſi ſcilicet illa jam adſit, inteſtinorum a materie catharrali inductam Gangrenam: ſaltem illa opinio aliquid roboris acquirit, ſi inteſtinorum Gangrenam a Dyſenteria ortam comparemus cum Gangrena POTTII, quanta enim inter memoratas Gangrenas non datur analogia! dolor obſervatur in utraque ſpecie admodum intenſus, calefacientia,

(301) Ibidem p. 37.
(302) Vid. *Act. Hag.* Vol. I. P. I. p. 1009.
(303) Conf. *Act. Hag.* l. l. p. 996.

tia, ſtimulantiaque utrique nocent, binae illae ſpecies C. P. ceterorumque antiſepticorum vires eludunt, ambae in aliis ſubjectis cito, in aliis e contra tarde proſerpunt; in utroque ingens & fere aequalis Opii quantitas ad curam requiritur; in ambabus demum aegroti talem Opii doſim absque ullo ſopore, vel & alia affectione morboſa ferre valent (304), quin Gangrena POTTII, etſi vir praeclarus illius cauſam haud determinaverit, videtur tamen etiam fuiſſe originis catharralis, dum Doct. VAN GENDEREN, poſt Febrim catharralem malignam variis in claſſiariis, qui ante ea laboraverunt, obſervavit Gangrenam, quoad habitum externum, quoad ſymptomata, quoad curam, uno verbo, quoad omnia cum memorata a POTTIO Gangrena plane convenientem (305).

§. 217. Ex memoratis profluunt ſequentia ſcholia.

1°. Dyſenteriam numquam per ſe mortem inferre, verum tantum per accidens fieri funeſtam.

2°. Quum cauſae, quae Dyſenteriam reddunt lethalem, ſint admodum diverſae, patet, remedium antidyſentericum, quod nimirum ubique & ſemper hunc morbum curare valet, eſſe nullum, etſi ex ſupra allatis ſatis ſuperque conſtet, plerisque in caſibus in Dyſenteria Opium ceu ſpecificum eſſe conſiderandum.

3°. Ra-

(304) Conf. POTT, *over de Lammigheid der onderſte Leedemaaten* &c. P. I. p. 65. & ſeqq quem libellum vernaculo idiomate donavit, multisque notis ornavit Celeb. DU PUI, quem in arte Chirurgica & Obſtetricia praeceptorem habuiſſe, ſemper glorior.

(305) Ibidem P. II. p. 83. & ſeqq.

3°. Rationem, cur DEGNERUS, PRINGLIUS, TISSOTUS & ZIMMERMANNUS, viri ceteroquin de arte medica maxime meriti, quoad Dyſenteriam a via aberraverint, unice eſſe in eo, quod illi ab una epidemica conſtitutione ad omnes concluſerint, & ſymptomata morbi admodum complicati, ceu totidem Dyſenteriae ſigna eſſentialia, conſideraverint: ceterum illorum virorum medendi methodus quandoque poteſt eſſe utilis; ubi autem & quando? ex iis, quae ſupra monui, facile intelligere eſt.

4°. Quum Rheuma inteſtinorum, ſive Dyſenteria maxime in Inflammationem & Gangrenam inclinet, quumque, omnia calefacientia & ſtimulantia illam propenſionem in Gangrenam promovere, fuerit obſervatum, a priore ſola ratione jam evincitur, in initio morbi uſum Rhei debere nocere; quod etiam a poſteriore practicorum obſervationibus confirmatur; ſic v. g. Rheum in hujus morbi initio ex toto rejiciendum eſſe, docet Doct. BAKERUS (306); id remedii genus potius in Dyſenteriae fine, quam in ejus initio convenire, monet Cl. VAN GEUNS (307); Rheum nullos niſi noxios effectus praeſtitiſſe, teſtatur Doct. STINSTRA (308); ac non ſolum cum iis facit Ill. RICHTERUS; ſed & in Dyſenteriae initio nullum purgans Rheo eſſe magis noxium cenſet, memoratque haud paucos ex inteſtinorum Gangrena, ſolo Rhei uſu contracta, periiſſe

(306) Conf. l. l. p. 376.
(307) Conf. l. l. p. 38.
(308) Conf. *Act. Hagan.* l. l. p. 985.

ſe (309): rejiciendus ergo in Dyſenteriae initio eſt Rhei uſus, & illud non niſi in fine morbi ad debilitata ſcilicet inteſtina roboranda convenit.

5°. Eandem ob cauſam adſtringentia quaecumque durante Dyſenteriae decurſu cane & angue pejus vitari debent, atque illa non niſi, Dyſenteria jam victa, ad inteſtina roboranda ſunt exhibenda.

6°. Quid denique tenendum de mucilaginoſis & oleoſis, quorum uſus hoc in morbo adeo fuit celebratus? mucilaginoſa, utpote ſcopo temperandi, & involvendi acre in cavo inteſtinali haerens commendata, in Rheumate inteſtinalium membranarum, ſive in Dyſenteria ſimplici, ubi omne acre in canali cibario plane deſideratur, effectum quidem praeſtant nullum, non nocent tamen, & in nonnullis Dyſenteriae complicationibus poſſunt eſſe utilia; oleoſorum e contra uſus non tantum eſt ſupervacaneus, ſed etiam haud raro noxius, nam ſaepe plicis inteſtinalibus adhaerent, ibi rancedinem contrahunt, excitantque dolorem, ſaepe, morbo jam ſuperato, per longum tempus ſuperſtitem, ac non niſi rancido oleo evacuato ceſſantem (310): hinc oleoſa, in Dyſenteria ſaltem, numquam eſſe exhibenda, aeſtimo.

§. 218. *Sexto.* Dyſenteriam eſſe morbum contagioſum vulgo putatur, ita quidem, ut plerique contagium Dyſentericum ceu probatum ponant; taedet, me rurſus a vulgari ſententia recedere debere; contagium interim Dyſen-

---

(309) Conf. l. l. p. 98.

(310) Conf. *Act. Hagan.* l. l. p. 1000.

ſentericum non niſi imaginationis foetum eſſe, ſequentia probare videntur.

1°. Modus, quo Dyſenteria operatur, prorſus differt a ratione, qua contagia ad unum omnia cum corpore animali communicantur, etenim illa vaſis lymphaticis applicita, non hauriuntur, antequam aſſimilatio inter ea, & vaſa abſorbentia habuerit locum; tunc demum intrant maſſam ſanguineam, ac noxios effectus exſerunt; longe alio modo autem agit Dyſenteria, illud nempe, quod hancce morboſam affectionem excitat, haud abſorbetur, non intrat vitalem laticem, ſed plerumque ex atmosphaera directe cum inteſtinis communicatur, ibique producit Dyſenteriam: actionis ergo modo & phaenomenis, quae exhibet, ab omnibus contagiis recedit.

2°. Veſtimenta, aliaeque res, quibus Dyſenteria defuncti uſi fuiſſent, in ſaeviſſima Harlingae Epidemia absque ulla praevia mundatione aliis vendita, noxios effectus praeſtiterunt plane nullos; in contagioſis interim morbis illa omnia contagium propagare, ex Practicis notum eſt (311).

3°. Contagia quaecumque ſe indifferenter per omne anni tempus nobis offerunt, Dyſenteria e contra fere numquam niſi aeſtatis fine, & autumni initio ſeſe manifeſtat.

4°. Aedificia civium locupletiorum raro ingreditur Dyſenteria, dum inter infimas plebis familias plurimum ſaevit, quod Dyſenteriae ſcriptores omnes confirmant (312); Dyſen-

(311) Conf. *Act. Hagan.* l. l. T. I. p. 951.

(312) Conf. BAKER l. l. p. 379. *Act. Hagan.* l. l. p. 947. VAN GEUNS l. l. p. 85. DEGNERUS *Hiſtoria Medica de Dyſenteria bilioſo – contagioſa*, p. 27.

ſenteria ergo, praetermiſſis divitibus, unice fere pauperes aggreditur: dum e contra contagia ad unum omnia aequali modo tabernas pauperum, & turres regum afficere ſolent; probat itaque & hoc, Dyſenteriam pro morbo contagioſo minime eſſe habendam.

5°. Dyſenteriam non eſſe contagioſam, ex ipſa morbi natura liquet, nam illam eſſe Rheuma ſeu Catharrum inteſtinorum ſupra probavi, Catharrales autem affectiones ſaepe quidem eſſe epidemicas, neutiquam vero contagioſas, vulgo notum eſt.

6°. Ill. ZIMMERMANNUS obſervavit, Dyſenteriam eos, quibus ob vitae genus perſpiratio ſaepe ſupprimitur, praeſertim aggredi, atque inde illum morbum ruſticis, operariis, ac ceteris ejusmodi conditionis hominibus magis eſſe familiarem (313): dein ex Doct. MÖHRLINI obſervatione refert vir egregius, illos potiſſimum Dyſenteria a ſe prohibuiſſe, qui, evitatis diaetae vitiis, potum praeſertim aquae frigidae, ſi forte corpus aeſtuaret, liberaliorem evitaſſent, & die noctuque non interruptam diaphoreſin fuisſent experti (314). Idemque ſeſe obſervaſſe, quoque aſſerit STOLLIUS (315): quomodo interim, perſpiratione impedita, Dyſenteria contrahatur, & e contra, ea rite vigente, avertatur, ſi ſcilicet illius in cauſa ſit quoddam contagium, hujus contagii fautores huc usque haud explicuerunt.

7°. Nec

(313) Vid. ZIMMERMAN, *van der Ruhr*, p. 34.
(314) Conf. l. l. p. 77.
(315) Conf. *Rat. Med.* l. l. p. 225.

7°. Nec deſunt practicae obſervationes, quae contagio Dyſenterico repugnant, ſic inter Noſtrates celebris chirurgus VAN DER HAAR docet, Dyſenteriam non, uti vulgo perhibetur, per contagium ab aegrotis cum ſanis communicari, verum ſolummodo ob epidemicam conſtitutionem, ei faventem propagatum iri (316); & eximius STOLLIUS hac de re ſic loquitur; „ contagium Dyſentericum pauci „ in dubium vocarunt, idque effluvium ex uno homine exſpirans communicari adſtantibus poſſe, plerique credunt, „ miror hercle, qui nos immunes per omnes hoſce annos „ a Dyſenteria manſerimus medici, medicorum adjutores, „ & aegrorum cuſtodes. Atqui quotidie mane ſingulorum „ foeces luſtramus, ea nocte exceptas, & vel inviti haurimus putidiſſima effluvia totis naribus (317)."

8°. Demum propria etiam experientia Dyſenteriam non eſſe contagioſam aſſerere valeo, abhinc enim triennio, regnante inter milites Hannoveranos Dyſenteria epidemica caſtrenſi, quotidie una cum illis, quibus aegrotantium cura fuerat commiſſa, Dyſentericos viſitavi, per longum tempus aërem Dyſentericorum effluviis gravidam hauſi, imo quandoque talis in cubiculis aderat foetor, ut non ſine incommodo reſpirare valerem, contraxi quidem ſemel indè tuſſim ſatis ingratam, ac non niſi celebrata phlebotomia, aliiſ-

---

(316) Vid. *Vrye gedachten en Aanmerkingen over het niet beſmettelyke van den Roodeloop*, *Algem. Vaderl. Letteroeffeningen* 1783. *Mengelw.* bladz. 577—584.

(317) Conf. *Rat. Med.* P. III. Sect. IV. Cap. VIII. p. 222 & 223.

aliisque exhibitis remediis ceſſantem, ſed a Dyſenteria manſi immunis; idem ſors contigit aeſtimatiſſimo Praeceptori Celeb. BRUGMANS, (qui Dyſentericorum etiam cadavera diſſecuit) omnibus medicis & chirurgis Hannoveranis, nec non aegrorum cuſtodibus: en ergo exemplum, Dyſenteriam caſtrenſem, quae vulgo perhibetur admodum contagioſa, contagio caruiſſe: ex quibus omnibus igitur non dubito una cum STOLLIO concludere, „ ab aëre a Dy-„ ſentericorum dejectionibus corrupto quidem diverſos „ oriri poſſe morbos, eosque malignos, neutiquam vero, „ Variolarum ceterorumque miasmatum adinſtar, per il-„ lam eundem in aliis produci morbum. "

Liquet ergo, Dyſenteriam ſimplicem omni contagio prorſus carere, ac Dyſenteriam complicatam, licet illa cauſae occaſionalis adinſtar cum adſtantibus, aliisque diverſos morbos communicare poſſit, nihiloſecius quoque haud contagio qua tali gaudere; prout enim diverſis in corporibus diverſa fuerit praedispoſitio, pro ea ratione etiam ab illa cauſa occaſionali diverſi proficiſcuntur effectus, ita ut unus Catharro, alter Angina, tertius Febri bilioſa, quartus Febri putrida, & quintus demum ipſa Dyſenteria inde afficiatur; dum ſextus, cujus in corpore apta praedispoſitio ad haſce morboſas affectiones deſideratur, cura Dyſentericorum licet gerens, ſanitate non interrupta fruatur: quum e contra contagia quaecumque, quamvis pro varia corporum diſpoſitione diverſe determinentur, in omnibus tamen numquam non eundem producant morbum.

§. 219. *Septimo.* Dyſenteriae prophylaxis pro maxima parte ex iis, quae de illius contagio monui, jam erui poteſt; illa autem tota quanta hiſce tribus abſolvitur.

1°. Ma-

1°. Matutino tempore ac veſperi ſe domi contineat homo, namque ſic impeditur, quominus potentia morboſa tunc plurimum valens in ſuum corpus agere poſſit; omni cura perſpirationis ſuppreſſio evitari debet, ac ſi iſta ſuppreſſa ſit, diaphoreticorum ope illa reſtitui debet.

2°. Utatur diaeta ſtricta, id eſt nec cibos nec potus nimium ingurgitet, ceterum non opus eſt, ut unice vegetabilibus veſcatur, quin cibum e regno animali eum quoque petere debere, putem; omnibus tamen fruatur modice.

3°. Quum atrium, per quod in Dyſenteria potentia nocens noſtrum ingreditur corpus, potiſſimum ſit canalis cibarius, primae viae muniri debent, ut advenienti potentiae morbificae reſiſtere valeant; dum autem cum organo quocumque, quo ſit irritabilius, eo facilius potentia quaedam morboſa communicetur, inteſtina ſunt roboranda, ac ſumma cum diligentia evitandum eſt omne id, quod eorumdem functionem perturbare valet, hunc in finem utilis eſt v. g. conjunctio C. P. cum nonnullis amaricantibus, & pauxillo Rhei, quae per aliquot tempus Vino albo Gallico digeſta quotidie ad binos vel tres cyathos capi debet; addidi Rheum non ſcopo purgandi, verum roborandi, & una, ut avertat, quod ſordes cavum inteſtinale repleant, atque illorum functionem impediant; has autem regulas ſi quis accurate obſervet, ſique praeterea de peculiaribus cautelis, quae aliquando, aut conſtitutionis epidemicae, aut temperamenti & corporis diatheſeos ergo ſunt inſtituendae, (de quibus hic agere nequeo) medicum conſulat, is tantum non ſemper a Dyſenteria manebit immunis.

§ 220. *Octavo.* Ratio mortis in Dyſenteria eſt admodum multiplex; potiſſimum tamen hoc ex morbo qua-

druplici modo moritur homo, perit nempe Syncope, alvi Fluxu colliquativo, Enteritide, vel & Dyſenteria chronica; de trium priorum moriendi ratione ſupra jam fuit dictum, & quod ad ultimum attinet, illa pro maxima parte convenit quidem cum Fluxu alvi colliquativo, quum & hoc in caſu, in dies magis attritis viribus, lenta morte perimatur miſer; differt tamen ab illo in eo, quod ſub dejectionibus ſemper adſit dolor, & quod in ejusmodi cadaveribus una cum inteſtinorum duritie, & rigiditate ſimul adſit eorum chronica Inflammatio (318).

GENUS TERTIUM.

VOMITUS CRUENTUS, MORBUS NIGER, FLUXUS HEPATICUS, ET HAEMORROÏDALIS.

§. 221. Omnes haſce morboſas affectiones conjungo, quum illas unicum tantum morbum conſtituere, & invicem non niſi reſpectu ſedis, aut vehementiae ſymptomatum differre ratio ſuadeat, ſymptomatum analogia probet, & practicorum obſervationes confirment; utpote qui, illas affectiones ſaepe in uno eodemque individuo ſibi ſerie non interrupta ſuccedere, docent (319).

Na-

(318) Conf. STOLL, *Rat. Med.* l. l. Cap. V. p. 199.
(319) Conf. RICHTER l. l. Cap. IX. p. 144. & ſeqq.

Natura hujus morbi ſpiſſis obfunditur tenebris: hinc ſymptomata, quae hunc morbum concomitari ſolent, una cum ejusmodi cadaverum extiſpiciis ſunt conſulenda, ac videndum, an ex illis collatis cum partium affectarum anatomica, phyſiologica, & pathologica conſideratione aliqua lux peti valeat.

§. 222. Haec autem ſi conſulamus, harum affectionum morboſarum origo videtur eſſe petenda ex venis ultra modum extenſis; id probant non tantum Haemorrhoides fluentes, quae, diverſa loci habita ratione, cum morbo nigro plane conveniunt; ſed etiam ex KEMPFII (320) TISSOTI (321) & STOLLII (322) obſervationibus patet; illas eſſe veram hujus morbi cauſam, hi enim in ejusmodi cadaveribus ſemper vaſa per varices dilatata invenerunt: unde videtur eſſe concludendum, rupturam aut dilatationem vaſorum in aliqua parte noſtri corporis ſiſtere memoratarum affectionum cauſam proximam: prout autem varia organa morboſe afficiuntur, varii quoque obſervantur effectus, hinc ille morbus diverſe fuit appellatus; nimirum ſi malum unice in inteſtino recto haereat, vel benigno Naturae molimine ad id deferatur, enaſcuntur Haemor-

(320) Vid. J. KAMPF *Abhandlung von einer neüen Methode die Hypochondrie zu heilen dritte auflage. Wien.* 1788. Cap. VIII. p. 383. & p. 450.

(321) Epiſt. ad ZIMMERMANNUM *de morbo nigro; ſchirris viſcerum* &c. Obſ I. p. 9. & Obſ. II. p. 17.

(322) *Rat. Med.* P. I. Sect. XIV. p. 154. & P. III. Sect. V. p. 253.

morrhoides: ſi e contra vaſa ventriculi, & inteſtinorum partis ſupremae, vel & ſplenis laborent, oritur vomitus cruentus; ſi in hepate, ſplene, & inteſtinorum parte inferiori fons mali haereat, oritur morbus niger, ita tamen, ut ſanguis ex ruptura vaſorum hepatis & lienis profundiore nigredine ſit notata, ac is, qui vulgo ex inteſtinorum vaſis effluit. Haec tamen regula ſemper non eſt vera (323): ſi demum aut loco Diaireſeos ſolummodo locum habeat vaſorum Diapedeſis, aut rupta vaſa iterum ſe contrahere incipiant, ſicque impediatur, quominus amplius nihil, niſi ſerum ſanguinolentum, loturam carnis referens, effluere posſit, obtinet Fluxus Hepaticus, atque hinc facile explicari poteſt, quamobrem morbus niger tam ſaepe in illum Fluxum terminetur (324).

§. 223. Cauſae vero, quae morbum nigrum, ceterasque affectiones producunt, ſunt multiplices, ac, licet omnes eundem effectum praeſtent, non omnium eadem tamen eſt agendi ratio, neque mirum, quum omnia, quae aequilibrium inter continentia & contenta turbare valent, hunc morbum generare poſſint, hinc ille, etſi plerumque principii vitalis torporem ſibi comitem habeat, quandoque tamen exceſſui vis vitalis debet natales; Ponamus v. g., aliquem temperamento ſanguineo — melancholico eſſe praeditum; utatur nunc ille vitae genere lauto & ſedentario, quid accidit? brevi generatur plethora, & deſtruitur aequilibrium inter vaſa & ſanguinem, illa nimis extenſa non debita vi in chy-

(323) Cf. TISSOT l. l. Obſ. II. p. 16.
(324) Vid. RICHTER l. l. Cap. IX. p. 147.

chylum agere, nec ſanguinem a ſordibus per urinam & per- ſpirationem mundare poſſunt; ſanguis igitur tum quantitate, tum qualitate peccans per totum vehitur corpus, &, dum vaſorum actio ſit in ratione compoſita ſtimuli applicati & facultatis reagendi a partis organica ſtructura pendentis, hinc, novo ſtimulo a ſanguine impuro cum vaſis communicato, illa ſua vice in vitalem laticem peculiarem reactionem inſtituunt, ejusque craſin ulterius peſſumdant; unde quotidie ſanguinis qualitas ſit deterior, ac ob conſenſum inter diverſas C. H. partes, nec non ob depravatum totius ſecretionis negotium etiam paulo poſt functiones omnes languent. Si nunc medicus, ad ejusmodi aegrotum vocatus, illum ſola phlebotomia, vel & unice ſic dictis reſolventibus curare velit, male de ejus ſalute conſulet, in priore caſu ipſa repetita ſanguinis miſſione malum augetur, alteram viam ſi ingrediatur, ipſa reſolventia haud raro Peripneumoniam aut Apoplexiam excitabunt; hinc praemiſſa V. S., reſolventibus cura abſolvi debet, atque hi, noſtro quidem judicio ſunt caſus, ubi in Melancholia V. S. poteſt eſſe utilis, ſicuti ſanguines miſſionem hoc in morbo quandoque profuiſſe, auctores practici referunt (325): poſſunt quidem cauſae Melancholiae etiam aliis in caſibus V. S. poſcere, ſed morbus per ſe niſi memorato in caſu illam numquam requirit.

§. 224. Sin autem quis temperamento melancholico a Natura fuit potius mulctatus, quam donatus, tunc, acceden-

(325) Cf. N. G. OOSTERDYK l. l. Cap. XIV. p. 90. & LORRY *de Melancholia* &c. T. II. P. II. Cap. III. p. 285.

dentibus cauſis occaſionalibus ex vitae genere, & diëtae vitiis, non minus quidem ſemper generabitur etiam Melancholia; Attamen illa Melancholiae ſpecies, quae jure merito frigida dici poteſt, numquam non vis vitalis torporem ſibi adſciſcit, & remediis, majori vi ſtimulandi praeditis, ſive ſic dictis reſolventibus calidis, curari debet; ſanatur autem praecedenti difficilius; in iſta vero Melancholiae ſpecie V. S. non convenire, per ſe ſatis abunde apparet.

§. 225. Quum autem non omnes ſyſtematis ſanguiferi partes eadem cum vi vitalem laticem propellere valeant, verum inter omnia vaſa imi ventris venae, valvuloſa ſtructura ne quidem donatae, minima energeia pollant, ac in iis omnium tardiſſime, vigente licet ſanitate, ſanguinis circulus abſolvatur; hinc illum morbi melancholici primum ſtadium, ſi nempe Natura aut arte non curatur, brevi in ſecundum tranſit; ater enim & denſus melancholicorum ſanguis ad memorata vaſa affluens per iſtos canales ſolito longe tardius movetur, ſin autem pari ſanguinis copia advehatur, & interim circulatio reddita fuerit multo tardior, non poteſt, quin illis in partibus inter vaſa & ſanguinem aequilibrium turbetur, extenduntur igitur a ſanguine nimia copia affluente nonnulla vaſa, atque illa intra paucos dies tono plane eſſent orbata, niſi ſanguis, ex communi fluidorum lege ſemper tendens, ubi reſiſtentia eſt omnium minima, magna pro parte adferetur ad ramos collaterales, illi tamen etiam cito inſolito oneri ſuccumbunt, id eſt maximam patiuntur dilatationem, quamobrem in ejusmodi cadaverum extiſpiciis ſaepe tota ſuperficies alicujus viſceris abdominalis quaſi rete vaſorum dilatatorum & ferme varicoſorum offert: prout autem hoc vel illud viſcus ceteris

ſit

ſit debilius, nec non pro vario vitae genere, id prae reliquis talem varicoſam vaſorum extenſionem patitur. Atque inde facile explicari poteſt, cur in uno Melancholico anxietas circa praecordia, in alio in hypochondrio dextro, in tertio in hypogaſtrica regione, & in quarto per totum abdomen habeat locum. Plerumque tamen ſenſus ponderis doloris & duritiei una cum reliquis morbi ſymptomatibus obſervatnr ad regionem epigaſtricam, & ad hypochondria, imprimis dextrum, quoniam in hepate ibi collocato in ſaniſſimis etiam hominibus tardiſſime ſanguinis circulus peragitur.

§. 226. Hocce in morbi ſtadio, vel & aliquando ante illud vires Naturae medicatrices ob multa incommoda, quibus vexatur corpus, inſolitos ſaepe excitant conatus ad materiem morboſam e corpore ejiciendam, ac ad aequilibrium inter continentia & contenta reſtituendum; oritur tunc Febris, cujus ope, ſi nempe illa nimis vehemens non eſt, haud raro Natura ſuum ferit ſcopum, ac materies morboſa per felicem criſin e corpore eliminatur; & ſane ex hoc fonte multo magis, ac vulgo aeſtimatur, originem Febrium intermittentium, nec non Synochi ſimplicis eſſe petendam, probavit Ill. KEMPFIUS (326); hinc in hiſce Febribus ad viſcerum ſtatum ſemper eſſe attendendum, jure merito monuit Cl. GRANT (327).

Sed ſi conamina illa, aut deſiderentur, aut imprudenter

(326) Cf. l. l. Cap. I. p. 15.

(327) l. l. T. I. *of the Synochus non putris* p. 151. quod totum caput hac de re legi meretur.

ter fuerint ſuppreſſa, increſcit malum, induciturque tandem varicoſis vaſis a degenerato ſanguine tardiſſime per ea fluente chronica inflammatio, hanc ob cauſam longo tempore morbum nigrum, ceterasque huc pertinentes morboſas affectiones tantum non ſemper praecedit partis affectae dolor majore vel minori gradu, ita quidem, ut juxta practicorum teſtimonium illae fere numquam absque praegreſſo partis affectae dolore ſint obſervatae (328). Illa autem chronica vaſorum Inflammatio per ſat longum tempus extendi poteſt, & niſi initio Natura vel arte reſolvatur, triplici potiſſimum modo terminatur, nimirum aut turgentia vaſa Diapedeſin patiuntur, effluitque ſerum ſanguinolentum, quo in caſu oritur Fluxus hepaticus, hic exitus raro tamen contingit: aut enaſcitur eorum ruptura, quo in caſu pro varia partis affectae ſede oritur vomitus cruentus, Morbus niger, vel & Fluxus Haemorrhoidalis, qui ultimus criſeos vice haud raro fungitur; vel denique tranſit illa chronica Inflammatio in Indurationem; ſequitur tunc tota deſtructio organicae compoſitionis vaſorum, atque ſic dicti viſcerum ſchirri pro magna parte inde natales debent (329): rationem vero, cur Inflammatio chronica viſcerum abdominalium prae ceteris amat hoſce exitus, plane ignoramus, dictorum interim veritatem practicorum obſervationes probant, idque pro noſtro ſcopo omnino ſufficit.

§. 227.

---

(328) Vid. RICHTER l. l. Cap. IX. p. 145. & TISSOTI l. l. Obſ. I. p. 5. & Obſ. II. p. 13.

(329) Cf. TISSOT l. l. Obſ. III. p. 26. & 27.

§. 227. Ex dictis patet, nos verſari in ea ſententia, quod licet per varicoſe dilatatas venas difficulter moveatur ſanguis, neutiquam tamen in corpore vivo obtineat talis vaſis cujusdam infarctus, ut illud pervium eſſe deſinat, verum e contra per illa etſi tardiſſime nihiloſecius motu non interrupto ſanguis vehatur tamdiu, donec eorumdem organicae compoſitionis plena deſtructio acceſſerit: quod autem nec obſtructiones, ſive repletiones vaſorum materie ſpiſſiori in corpore vivo obtineant umquam; nec ſic dicta reſolventia remedia reſolvendo mechanice congeſtam materiam ſpiſſiorem operentur, tum ex bene multis Naturae phaenomenis, tum ex partium affectarum ſtructura & functione, nec non ſano raticionio probari poteſt. Comparemus modo quaeſo memoratarum venarum varicoſas dilatationes cum varicibus externis, & quantum roboris inde non acquiret noſtra opinio!

1° Notum vulgo eſt, foeminas nonnullas primis graviditatis menſibus varicibus adfligi, iisque ad partum usque laborare, & tunc haud raro ſponte ab illis liberari, manifeſto indicio, ſanguinem hiſce in venis contentum ſemper cum ceteris vaſis ſanguiferis communicaſſe, atque venarum ejusmodi dilatationem minime ſtagnantis ſanguinis coagulo, ſed unice affluxui majoris ſanguinis copiae eſſe adſcribendam, id eſt obſtructionem vaſorum aliqua congeſta & ſpiſſiore materia hic locum habuiſſe nullum.

2°. Tumentes maxime varices, ſi modo venae tonum non plane amiſerint, ſaepe ſola apta faſciatione curantur, indicio, & hoc in caſu nullam ſtagnationem ſanguinis coaguli adfuiſſe.

3°. A varicibus admodum inveteratis ſaepe oriuntur co-

pioſiſſimae Haemorrhagiae, ita, ut haud raro mortis periculum cum iis ſit conjunctum (330), unde ſatis ſuperque patet, absque deſtructione organicae compoſitionis venarum illas, licet quam maxime varicoſas, tamen ſemper cum ceteris ſyſtematis ſanguiferi partibus commercium alere.

§. 228. Uti autem multa Naturae phaenomena, veram obſtructionem numquam adeſſe, probant; ſic etiam, partium affectarum ſtructuram & functionem ſi conſideremus, res adhucdum evadit clarior, ponamus v. g. hepar, viſcus omnium maxime juxta veterum ſyſtema infarctibus obnoxium, obſtructione ſyſtematis venae portarum laborare; ſanguis ergo, qui ex omnibus imi ventris venis ad venam portarum vehitur, ac bilis ſecretioni inſervit, non aſſumi poteſt, verum refluit verſus viſcera abdominalia, quantae turbae inde in toto circulationis negotio non orirentur? porro, bile deficiente, languet digeſtio, partes chyloſae a chymo non rite ſeparantur, non igitur rite praeparari chylus poteſt; uno verbo brevi languere debent functiones ad unum omnes propter requiſitorum ſtimulorum defectum; praeterea maxime turgens obſtructum hepar ob ſtagnantem vitalem laticem occupabit locum ſolito longe majorem, ventriculus itaque, aliaeque partes e ſede naturali dimota ab enormi illo hepate maximam patientur compreſſionem; quantam vero tenſionem, quam ingentes dolores omnes illae mutationes neceſſario ſequi deberent, ex ſitu & conne-

(330) Cf. RICHTER *Elem. Chirurg.* T. I. Cap. XX. §. *569.* p. 408.

nexione illarum partium inter ſe ſatis liquet; ac inſuper ex ſymptomatibus, quae venarum hepatis Indurationem ſequi ſolent, probatur; refert Celeb. TISSOTUS luculentiſſimum hujus rei exemplum de viro, ſchirro hepatis laborante, qui tot tantisque paſſus fuit cruciatibus, ut TISSOTUS, aliter Opiatorum inimiciſſimus, nihilominus illo in caſu prae doloris vehementia Opiata larga manu propinaverit, eo ſcopo (ut ipſe ait) ut modo enormes & intolerabiles dolores Opii uſu paululum ſedarentur: quum autem iis in caſibus, ubi obſtructiones adeſſe perhibentur, illa ſymptomata tantum non omnia deſiderentur; hinc novo argumento conſtat, obſtructiones veri nominis in corpore vivo non dari (331). Ne objiciatur, non omnia ſyſtematis venae portarum vaſa infarciri, ſed tantum eorumdem nonnulla, quippe hoc effugium nil valet, nam impactus ille ſanguis continuo ſtimularet illa vaſa, cujus ſtimuli effectus nil aliud poſſet eſſe, niſi validiſſima illorum contractio, qua mox illa obſtructio tolleretur. Ut ut igitur omnia, obſtructiones in corpore vivo non dari, docent, ſic & in cadaveribus eorum, quos obſtructione e medio fuiſſe ſublatos, ajunt, illae numquam non deſiderantur; & nemo huc usque cujusdam cadaveris diſſectione eorum exiſtentiam probavit.

§. 229. Quid autem dicam de ſic dictis reſolventibus? inter ea primas partes tenet, ſaltem eſt inter maxime valen-

(331) Cf. TISSOT l. l. Obſ. III. p. 24.

lentia Mercurius dulcis, an vero quis ſibi facile poterit perſuadere, quod pauciſſima illius pharmaci grana in primis viis, & in ſyſtemate lymphatico varias adhuc paſſa mutationes, nihiloſecius in ſyſtemate ſanguifero impactam ſpiſſiorem materiam, ſeu vaſis alicujus obſtructionem adhuc reſolvere valeant? An antimonialia, refracta admodum doſi exhibita, agunt ſpiſſam materiem reſolvendo? nonne e contra haecce omnia abunde demonſtrant, reſolventia haud immediate in fluida operari, ſed potius agere in ſolida, iisque imprimere certum & determinatum motum, cujus effectus eſt, ut ſanguis a materie morboſa mundetur, ac illa motibus Naturae haud explicandis ad varia corporis colatoria deferatur, & e corpore eliminetur? confirmatur dein illa ſententia reſolventium calidorum agendi ratione, quae in ſolida operari, extra dubium eſt poſitum; quin illa ob inſignem vim, qua ſolida ad actionem incitare ſolent, non niſi temperamentis frigidioribus, aut aetate provectis propinentur — ſed in viam redeamus.

§. 230. Oritur itaque Morbus niger a vaſorum ruptura, plerumque ex praegreſſa chronica Inflammatione nata; illa interim ad hujus morbi eſſentiam non requiritur, dum venarum per varices dilatatarum ruptura aliquando etiam ſine ulla praegreſſa Inflammatione ſola nimia extenſione oriri poſſit, ac illo in caſu non minus quam in praecedenti eaedem oriantur morboſae affectiones: longe aliter interim res ſeſe habet, quando aut in provectiori Scorbuti gradu a ſanguinis ſumma in diſſolutionem propenſione, aut ab Aneuriſmate oritur vaſorum ruptura; naſcitur tunc quidem quoque fluxus ſanguinis, verum a morbo nigro, qui

qui ſemper Melancholiae eſt progenies, toto coelo differt ille: hinc non omnem ſanguinis fluxum pro morbo nigro eſſe habendum, jam obſervaverat HIPPOCRATES, qui jure merito monuit, illum ſemper ab atra bile, id eſt, a conſtitutione Melancholica eſſe repetendum (332.).

§. 231. Illae vero nigrae alvi dejectiones, illi vomitus ejusdem materiei, niſi Natura arte adjuta inhibeantur, niſi vaſa iterum ſeſe contrahentia ſanguinis exitum impediant, ſicque fluxum ſiſtant, brevi conclamatum eſt; nimirum ex vaſis ruptis de novo effluens continuo ſanguis excitat copioſiſſimas, nigerrimas, creberrimasque alvi dejectiones; effuſus ille morboſus ſanguis ſtimulat inteſtina, eorum actionem turbat, nec raro Enteritidem producit; medicamenta ore ingeſta ſaepe mox per anum rurſus ejiciuntur; ob ſummam ſanguinis amiſſi copiam, qua maxime debilitantur miſeri, Syncope ſyncopem preſſo pede ſequitur; ac omnia illa ſymptomata continuantur, donec organis ob deficientem plane ſanguinis ſtimulum penitus proſtratis, miſeri demum incidant in lethalem leipothymiam, qua tragoedia clauditur: de Fluxu autem hepatico, niſi ſit Morbi nigri ſequela, quantum novi, moritur nemo.

G E-

(332) *Aphoriſ.* Sect. IV. *Aphoriſ.* XXI.ad XXV.

GENUS QUARTUM.

LIENTERIA, CHOLERA ET FLUXUS COELIACUS.

§. 232. De his morbis breves eſſe poſſumus, quum prior eorum, ſi non inhibeatur, quidem in alias, & ſaepe lethales tranſeat morbos, neutiquam vero immediate mortem inferat. Idem valet quoque de fluxu coeliaco. Ex Cholera demum ſi homines pereant, ſemper illorum vitam ſyncope ſeu ſpasmi exſtinguunt (333); de utraque autem moriendi ratione ſupra jam fuit dictum.

ORDO SECUNDUS.

SANGUINIS PROFLUVIA.

§. 233. Haemorrhagiae, ex quacumque C. H. parte natae, quoad cauſas, quoad prognoſin, quoad curam, quoad rationem, qua ex illis homines moriuntur, uno verbo quoad omnia phaenomena, magnam invicem habent analogiam, hinc non opus eſt, ut de omnibus ſingulatim agamus, ſed ſufficit

(333) Cf. MACBRIDE l. l. T. II. Lib. III. Cap. II. p. 197.

cit generale eorum examen, ſola excepta Hoemoptyſi, quae ob loci affecti momentum & ob nonnulla ſymptomata, quae ſibi priva habet, peculiarem meretur conſiderationem, agam itaque hoc in ordine primum de Haemorrhagiis in univerſum, ſecundo ſpeciatim de Hoemoptyſi.

§. 234. *Quoad Primum.* Quoties ex aliqua corporis parte copioſus & celer ſanguinis effluxus locum habet, ſive ille ſit ſpontaneus, ſive a vi externa excitatus toties dicitur Haemorrhagia.

Omnia ergo, quae oſtia vaſorum dilatare, aut eorum ſolutionem continui producere poſſunt, ceu totidem cauſae, Haemorrhagiam certis ſub conditionibus inducentes, habenda ſunt; potiſſimum tamen illa natales debet perturbationi actionis ſyſtematis ſanguiferi, cujus effectus eſt, quod ſanguis non aequabiliter per totum corpus diſtribuatur, ſed majori quantitate celerique curſu nonnulla petat organa. Extenduntur ſic cito praeter modum a magna affluentis ſanguinis copia eorum organorum vaſa, illius vero extenſionis oſtiorum dilatatio, aut ipſorum vaſorum ruptura haud infrequens eſt ſequela, praecipue ſi vel ob debilem aegri corporis univerſi conditionem, vel ob peculiarem cujusdam organi debilitatem infirma vaſa reſiſtentiae ſunt imparia.

Illa cauſa, licet ſola quandoque Haemorrhagiam producere poſſit, plerumque tamen ad inaequalem illam ſanguinis diſtributionem accedit adhuc alia cauſa, nempe vaſorum vitalium reactio; ſimulac enim vaſa a nimis affluente ſanguinis copia ſe ultra ſolitum diſtenta eſſe, ſentiant, illa ex vi, omnibus C. H. partibus a Natura innata, ad incommoda quaecumque avertenda, mox omnes intendunt vires, ut ſu-

ſuperabundans vitalis latex ulterius propellatur, oritur itaque ſumma vaſorum contractio, cujus violentia ſaepe enaſcitur vaſorum dilatatio, aut ruptura.

Rationem vero, cur ſanguinis profluvia periodice recurrant, & ſemper eadem petant organa, egregie explicuit CULLENUS ex eo, quod, etſi per Haemorrhagiam ſuperabundans ſanguis in affecto organo fuerit ſublatus, nihiloſecius tamen maneant cauſae, quae congeſtionem ſanguinis verſus illud organum generarunt; illae vero remanentes nunc facilius adhuc quam antea novam congeſtionem producunt, quippe vaſa iſtius organi, quod ante Haemorrhagiam fuit paſſum, ob relaxatum tonum irruenti ſanguini minorem offerunt reſiſtentiam (324).

Aliquando etiam peculiaris ſyſtematis ſanguiferi degeneratio eſt in Haemorrhagiae cauſa, etenim in ſummo gradu Scorbuti, Luis venereae, aliorumque morborum, tali modo quandoque degenerantur vaſa, ut per totam eorundem longitudinem quaſi per cribrum effluat ſanguis; hic igitur nec inaequalis ſanguinis diſtributio, nec nimia vis vitalis reactio poteſt accuſari; ſed e contra peccat vaſorum conditio, atque illorum ſummo torpori debetur, ut, a morboſe affecto ſanguine ſtimulata, mox aut rimas contrahant, aut & ipſam patiantur rupturam.

Denique in corpore optima fruente ſanitate, & in quo perfecta cum harmonia omnes functiones peraguntur, a cauſa quadam mechanica extrorſum inlata Haemorrhagia naſci-

(334) CULLEN *Firſt lines of the Practice of Phyſic.* Vol. II. Book IV. Chap. I. Sect. II. §. 1246. p. 265.

naſcitur ſaepe; ſtricto tamen ſenſu in utroque ultimo caſu ſanguinis profluvium non ſiſtit morbum, ſed eſt tantum cujusdam morbi ſymptoma, ſatis periculoſum.

§. 235. Haemorrhagiae prognoſis differt pro aegrotantis habitu, temperamento, vitae genere, ſanguinis amiſſi copia, & qualitate; nec non pro majori vel minori affectorum vaſorum diametro. Hinc Haemorrhagia, quae a vaſorum degeneratione naſcitur, ob principii vitalis torporem, qui illam numquam non comitatur, ſemper eſt ominoſa, & ſaepe aegrotis adfert perniciem: eandem ob cauſam ſanguinis effluxum, ab atonia pendentem, plurimum quoque timere oportet; niſi enim brevi illa atonia tollatur, ſanguinis profluvium ſiſti nequit, actumque eſt de vita; probat hoc ingens foeminarum numerus, quae, partu enixo, ob Haemorrhagiam, ex uteri atonia natam, moriuntur (335): quae autem ex plethora oritur, in univerſum facilius curatur, imo ſaepe ſponte ceſſat; poteſt tamen & illa eſſe lethalis, ſaltem refert HILDANUS, virum quemdam juvenem, robuſtum, ac a multis annis Haemorrhagiae narium obnoxium, demum vernali tempore tantam narium Hoemorrhagiam fuiſſe paſſum, ut non diu poſt animam efflaverit (336). Si denique a vi externe adplicata, v. g. a vulnere, ortum duxerit Haemorrhagia, a varia vaſis laeſi magnitudine prognoſis deſumi debet; ſi arteria nempe maxima fuerit, & cordi vicina, plerumque illius laeſionem prae

(335) L. BAUDELOCQUE *Art. Obſ. ex verſione expert.* SOEK Vol. I. Cap. II. Sect. II. p. 184. & ſeqq.

(336) Vid. G. F. HILDANUS *Opera Omnia Obſ. Chirurg.* Cent. VI. Obſ. LXXII. p. 606. Frankfurti ad Moenum 1646. folio.

prae amiſſa ſanguinis copia cito ſequitur mors: exemplum tamen ruſtici cujusdam, cui arteria axillaris cultro diſcindebatur, & qui nihiloſecius feliciter evaſit, adfert SWIETENUS, indeque jure merito concluſit vir eximius, etiam in periculoſiſſimis arteriarum vulneribus non facile eſſe deſperandum (337).

§.. 236. Sanguinis profluvium, ſeu potius cauſae illud inducentes, diverſimode variis in caſibus curantur; in plethoricis V. S., refrigerantium uſus, diaeta tenuis, ſtricta, ac corporis exercitium omnem abſolvunt curam: ſi a ſpasmo oritur, vel & hinc diutius perduret, Opium, refractae Ipecacuanhae doſes ob vim antiſpasmodicam & ſedativam, nec non Veſicatoria ſe commendant; ſi a vaſorum degeneratione ortum duxerit malum, ſanguinis profluvium non eſt niſi alius morbi ſymptoma, quod vario morbo diverſo etiam modo curari debet: ſi a vi quadam externa natales traxerit, ſique ergo ſimul adſit vulnus, pro re nata variis encheireſibus ſanguinis fluxus inhibet chirurgus: ſi demum Haemorrhagia, a cauſa interna nata duratione & copia ſanguinis effuſi modum excedat, & indicatio vitalis urgeat, adſtringentia in uſum ſunt vocanda: inter haec cetera virtute ſuperant martialia, & Alumen, quod ultimum omnium eſſe praeſtantiſſimum cenſet CULLENUS (338): communicavit quoque mecum Celeb. OOSTERDYK, ſe uteri Haemorrhagiam martialibus, ipſoque liquore ſtiptico LOFII h. e. Muriate ferri, fruſtra tentatis, Aluminis uſu fe-

(337) Conf. l. l. T. I. §. 161. p. 235.
(338) Conf. l. l. §. 1298.

feliciter cohibuiſſe. Cum adſtringentium uſu interno eorum uſum externum jungere quandoque convenit, interque illa aqua frigida numerari meretur: extremitatum autem ligaturis, utpote incertis & ambiguis remediis, non multum eſſe fidendum, autumo; extrema variis in Haemorrhagiis non raro incaſſum fuiſſe ligata, monet Cl. BENNETUS; dum e contra blanda frictione ſanguinem verſus extrema ſollicitare, fere ſemper proficuum invenit vir egregius (339): unde ſpes affulget, fore, ut aegrotorum cum fructu ligaturae in locum frictio ſubſtituatur.

§. 237. Quomodo vero ex ſanguinis profluviis diem obeat ſupremum homo, id potiſſimum ex ſymptomatibus, quae talem moriendi rationem concomitantur, peti debet. Ex his patet, quod, ingenti ſanguinis copia adeo cito amiſſa, parietes vaſorum ob ſtimuli defectum collabantur; hinc debiliſſimus fiat aeger, facies, labia, ungues, imo totum corporus palleſcant, pulſus vacillant, & evaneſcant, frigeant extrema, irrepaut ſomnus, & ipſe deficiat animas: Tali ſub conditione vires vitales ad perturbatum aequilibrium reſtituendum ultima vice irritos exſerunt conatus, oriuntur leves membrorum convulſiones, ſicque plerumque ipſa ſub reactione exſtinguitur vita.

§. 238. *Quoad Secundum.* Quoties ſanguis e pulmonibus fluens per aſperam arteriam in os derivatur, toties illa morboſa conditio dicitur Hoemoptoë.

Inter Haemorrhagias morbus hic non eſt infrequens, quod

(339) C. BENNET *Theatrum Tabidorum* Cap. XXV. p. 67. L. B. 1742. 8vo.

quod, habita ratione ingentis vaſorum pulmonalium copiae, eorumque tenerrimae ſtructurae, nemini mirum videbitur. Apud Noſologos variae Hoemoptoës notantur ſpecies; ſed, uti mihi videtur, facile reduci poſſunt ad ſex, *Habitualem* nempe, *Cacochymicam*, *Periodicam*, *Accidentalem*, *Traumaticam*, & *Metaſtaticam*: memoratas vero illius ſpecies diſtinguendas eſſe, neceſſario duxi, non ſolum, quia eae diſtinctiones in Naturae obſervatione ſunt fundatae, ſed etiam, quod curationes diverſas requirant.

§. 239. 1°. HABITUALIS. Noſcitur illa ex mala pectores conformatione, thorace anguſto, collo longo tenui, ſcapulis alarum in modum extenſis, habitu corporis gracili, gratioſo, & agili, facie nitidiſſime candida, genisque roſeis, aſpectu oculorum vivido, ingenii acumine, animique hilaritate, fibra delicata ac valde irritabili, diſpoſitione haereditaria. Tales homines ad annum decimum octavum nunc ocius nunc ſerius data cauſa, vel & quandoque absque ulla cauſa cognita in Hoemoptoën incidunt, praeſertim ſi memoratis diſpoſitio hereditaria acceſſerit.

2°. CACOCHYMICA. Dicitur ſic Hoemoptoë, quando illa naſcitur a diatheſi quadam morboſa ſanguinis, cum principii vitalis torpore juncta: huc ergo pertinent diatheſis Scrofuloſa, Scorbutica, Venerea, Scabioſa; nec non iſta, quae Muriatis oxygenati Hydrargyri abuſum ſequi ſolet, uno verbo, omnes illae ſanguinis affectiones, quae vis vitalis torporem ſibi adſciſcunt; ponitur itaque in Hoemoptoë cacochymica ſemper majori aut minori gradu ſyſtematis ſanguiferi degeneratio.

3°. ACCIDENTALIS eſt illa, quae neque a labe pulmonum haereditaria, aut a vaſorum degeneratione pendens, abs-

abſque ulla vi externa a ſolis cauſis accidentalibus, haud raro a temperamento, vitae genere, aut immoderata exercitatione derivandis, oritur.

4°. PERIODICA. Quae adeſt, ubi Menſium vel Haemorrhoidum ſubſiſtentium vices excipit evacuatio ſanguinis e pulmonibus, poſt temporis intervalla redeuns.

5°. TRAUMATICA. Quae ab injuria extrorſum applicata proficſcitur.

6°. METASTATICA. Quae a materiae rheumatica, bilioſa; aliave quacumque, pulmones petente, ortum trahit.

§. 240. Hoemoptoës periculum haud a ſola ejecti ſanguinis copia, ſed etiam a varia illius cauſa & ſpecie deſumendum eſt. Hinc Habitualis prognoſis ſemper eſt ominoſa, accedit illa plerumque ab anno decimo octavo ad trigeſimum ſectum usque, ſaepe hocce temporis intervallo redit, deinde autem frequenter ad immedicabilem ducit Phthyſin. Nec multo melioris ominis eſt Cacochymica, utpote ſemper depravatam ſolidorum actionem, indeque ortam depravatam ſanguinis craſim, ſibi comitem habens; inde & haec, juſta etſi adhibita medela, nihilominus ſaepe recurrit, ſaepiſſimeque Phthyſin pulmonalem inducit; e contra Accidentalis & Periodica, imprimis quando a plethora & a ſuppreſſis conſuetis Haemorrhagiis in corpore ceterum ſano oriuntur, minus portendunt periculum, & haud raro ſatis facile curantur, quamvis non negandum ſit, iſtas etiam Hoemoptoës ſpecies tum quantitate ſanguinis in pulmonum tela celluloſa effuſi, tum metu novae Hoemoptyſeos ex debilitate, vaſis pulmonalibus inducta, ſemper ſumma cum attentione, maximaque cum cautela eſſe tractandas, ac ſaepenumero etiam inferre perniciem; è

Traumatica, etſi illa in univerſum Periodica & Accidentali videatur periculoſior, ſaepe tamen, juſta inſtituta curatione, aegroti evadunt; Metaſtatica demum, ſi in corpus ſatis adhuc robuſtum, nec ad Hoemoptoën praediſpoſitum incidat, ſique ſatis prompte cura, genio morbi adaptata, inſtituatur, etiam ſaepe fuit ſanata: ſed ſi aut corpus, praegreſſo morbo jam jam valde debilitatum, aggreditur, aut ſi corpore, licet robuſto, ei prava fuerit inſtituta curatio, tantum non ſemper illa reperitur funeſta.

§. 241. Indicationes generales in curatione hujus morbi formari non poſſunt, quippe variae illius ſpecies varias requirunt curationes; de ſingulis ergo earum nonnulla ſunt annotanda. In *Habituali*, ubi ſemper diatheſis phlogiſtica adeſt (340), nec Cortex nec Martialia, nec aquae minerales conveniunt, quid amabo illa medicamenta efficient? quomodo Hoemoptyſin cohibebunt? oritur enim ille memorato in caſu a topica pulmonum plethora, ex mala pectoris conformatione nata, quae a memoratis medicamentis ſemper augetur; tantum ergo abeſt, ut roborantia vel adſtringentia hic indicentur, & ut illa pulmones roborando imminentem Hoemoptyſin avertant, ut e contra diatheſin inflammatoriam augendo Hoemoptyſin potius de novo excitent, ac brevi inſanabilem producant Phthyſin; damnanda ergo haec remedia, & e contra parca, ſed frequenter repetita phlebotomia, regimine antiphlogiſtico, diaeta ſtricta &

(340) Conf. CULLEN l. l. Vol. II. T. IV. Cap. III. Sect. II. §. 1349. p. 352. & STOLL, *Rat. Med.* P. I. p. 76. & P. III. p. 9. & ſeqq.

& tenui malum hoc, quod curare tantum non ſemper extra artis eſt poteſtatem, ſaltem mitigari debet, ac impediri, quominus in Phthyſin pulmonalem tranſeat Hoemoptoë. Tali modo hanc Hoemoptoës ſpeciem per plures annos a jam imminente Phthyſi pulmonali ſe prohibuiſſe, docet STOLLIUS; donec alius adveniret, qui rerum minus peritus, quum corroborandos eſſe pulmones aſſereret, aegrum irreparabili tabe non multo poſt conſumtum vidit (341).

§. 242. De *Cacochymica* nullae generales regulae poſſunt ſtatui, curant illam communia ceterarum Hoemorrhagiarum adjumenta, & auxilia ſpecialia, cuivis ſanguinis ſpecificae diatheſi dicata; in genere tamen larga & iterata V. S. minus prodeſt, & ſaepe ſanguinis miſſio eſt plane omittenda; ac e contra indicantur mucilaginoſa, praecipue gummi arabicum, tragacanthae, radixque Salab, quae remedia quandoque ſummo cum ſucceſſu ſunt exhibita; imo refert Cl. BURSERIUS, adoleſcentem quemdam, ab acritate ſanguinis Hoemoptyſim paſſum, ſolo, ſed liberaliori & diuturno, pulveris gummi Arabici uſu convaluiſſe, atque ad ſummam ſenectutem perveniſſe (342).

§. 243. In *Accidentali* autem pro varia cauſa morboſa variis remediis Hoemoptoë curari debet; ſi a plethora naſcitur, V. S., emulſiones cum nitro, ſerum lactis, blande alvi ducentia, indicantur, uno verbo tota cura antiphlogiſtica convenit; ſi ab affectione ſpasmodica, uti in hy-

(341) Conf. l. l. P. III. p. 10 & 11.
(342) Conf. l. l. T. IV. Cap. II. p. 29.

hyſtericis & hypochondriacis aliquando fit, ſanguinis ſputum eſt derivandum, pro re nata praemiſſa aut neglecta V. S., Opium, refractae Ipecacuanhae doſes, nec non veſicatorium inter Scapulas vel & pectori applicatum optime conveniunt; ſi ſtimulus bilioſus in cauſa eſt, tunc omiſſa ſanguinis miſſione, quam hic noxiam imo nonnunquam funeſtam deprehendit STOLLIUS (343), emeticum aegro eſt propinandum, quo, ac reliqua cura antibilioſa, Hoemoptyſis tollitur: ſi naſcitur a vermibus, nam & illi Hoemoptoën producere valent (344), tunc praemiſſa phlebotomia, ſi nimirum ita fert aegroti conditio, ad anthelmintica eſt confugiendum; uno verbo in hac Hoemoptoës ſpecie, praemiſſis praemittendis, cura genio ſtimuli irritantis accommodari debet.

§. 244. *Periodica* vero Hoemoptoë laborantes, ſi ceterum bene ſe habent, nil moliendum eſt, quod QUARINI (345) quoad foeminas effatum etiam quoad viros pronunciari poteſt, nam longe abeſt, ut hirudines ad anum appliciti ſemper revocent haemorrhoïdes, ſicque ſedent Hoemoptyſin (346); inſuper Natura ſaepe aſſueſcit ſenſim, ſenſimque tali evacuationi, illa fit minori cum moleſtia, perque multos protrahitur annos absque ulla inſequentis Phthy-

(343) Conf. *Rat. Med.* P. II. p. 73. & ſeqq.
(344) Conf. *Act. Haſn.* Vol. III. Cap. XXII. p. 315.
(345) Conf. QUARIN, *Animadv. Pract. in diverſos morbos Chronicos*, Cap. IV. p. 54.
(346) Conf. *Act. Haſn.* l. l. p. 311.

Phthyſeos labe (347). Atqui ſi Hoemoptoë aggreditur virgines, nulla adhuc catamenia paſſas, tunc plerumque Phthyſeos eſt prodromus, quod ſequentibus verbis docuit accuratiſſimus Phthyſeos obſervator BENNETUS: „ ſi vir-„ ginibus maturioribus, quibus ſanguis menſtruus non flu-„ xerit, contigerit Phthyſis, ejusque in pectoralia ſit „ αναδρομη (recurſus), degeneratio peſſima, depeculatio „ repentina, 'eventus funeſtus (348)," refert tamen Cl. MEZA, virginem nondum menſtrua paſſam, bis Hoemoptoë fuiſſe affectam, ſed matrimonio inito cum ſtrenuo juvene menſes rite profluxiſſe, illamque dein optima fruitam fuiſſe ſanitate (349); ſin autem periodica Hoemoptoë malis ſymptomatibus eſt ſtipata pro varia rerum circumſtantia varia remedia ſunt tentanda.

Traumatica largam & repetitam V. S., ceteramque curam antiphlogiſticam requirit, praeterea in illâ remedia cauſae morboſae adaptata ſunt exhibenda.

Metaſtatica demum Hoemoptoë, pro diverſa materiae morboſae natura diverſam poſcit curationem: Rheumatica omnium frequentiſſime occurrit, quae bis vel ter ſecta vena, Opio interne adhibito, & Veſicatorio inter ſcapulas, vel & ad ipſum pectus admoto plerumque feliciter ſanatur (350).

§. 245.

(347) Conf. BENNET l. l. Cap. IV. p. 13. SWIETENUS l. l. T. IV. §. 1198. p. 21. *Act. Hafn.* l. l. p. 308 & 309.

(348) Conf. l. l. p. 100.

(349) Conf. *Act. Hafn.* l. l. p. 307 & 308.

(350) Conf. STOLL, *Rat. Med.* P. III. p. 17. & *Act. Hafn.* l. l. p. 316 & 317.

§. 245. Quod ſi in quacumque Hoemoptoës ſpecie nimia ſanguinis copia fuerit ejecta, ſique ob periculi magnitudinem indicationi vitali ſit proſpiciendum, fluxus ille ſanguinis eſt cohibendus, quo in caſu ad adſtringentia confugere debet medicus, hiſce etiam irritis, ad aquae frigidae uſum eſt pergendum, quae ſub ſummo vitae diſcrimine juxta BURSERII monitum omni ſemihorio ad uncias octo vel decem ingeri debet. Novi quidem, BENNETUM aquae frigidae uſum damnaſſe, dicentem: „ Frigido lavacro immergatur Hoemoptoïcus, aut narium „ haemorrhagia correptus, & exinde malum incrementum ſumſiſſe deprehendes: a calore vero ſuperficie —— „ tenus, vel extremorum extenſo remedium (351). " — Attamen, quum hodie ex Phyſicis certo conſtet, ab uſu frigidae aquae tam interno quam externo calorem nativum augeri, patet illius uſu id obtineri, quod in ſedanda Hoemoptoë deſideraret vir egregius; ſed largiamur, aquae gelidae uſum periculis minime carere, quoniam tantum non omnes, quibus gelida propinabatur, Phthyſi periiſſe monuit Ill. QUARIN (352), quid inde ſequitur? certe nil aliud, niſi quod, ubi vitae diſcrimen non eſt adeo magnum, caute cum aquae gelidae uſu ſit mercandum, neutiquam vero, illam numquam eſſe adhibendam, nam in extremis morbis extrema etiam tentanda ſunt remedia, & melius eſt in ancipiti caſu anceps experiri remedium, quam nullum, eoque magis ejus periculum eſt faciendum, quod vi-

(351) Conf. l. l. Cap. XXV. p. 67.
(352) Conf. l. l. Cap. IV. p. 62.

viri in arte medica quam maxime verſati, eam ſaepe optimo cum ſucceſſu exhibitam fuiſſe, teſtentur (353).

Ex his itaque abunde liquet, de Hoemoptoë aeque minus ac de aliis morbis canones practicos generales poſſe tradi; nec dari remedium, quod ubique & ſemper huic morbo obviam it; quam erronea igitur eſt opinio illorum, qui numquam non Hoemoptoën, aut in totum aut pro parte ſaltem C. P. martialibus, ceterisque roborantibus curandam eſſe putant; dum in omni caſu, ubi diathеſis inflammatoria vel plethora adeſt, roborantia vi ſtimulante plurimum debere nocere, ſponte pateat.

§. 246. Si autem denique quaeratur, quid in Hoemoptoë & Phthyſi tenendum ſit de equitatione, a SYDENHAMO adeo commendata. Reſpondeo, id remedii genus in affectionibus hypochondriacis, ſic dicta glandularum obſtructione, Tabe, Phthyſi ſpuria &c. egregie convenire, ac augendo vim vitalem, incitandoque omnes functiones haud parum ad illorum morborum ſanationem conferre; imo hanc ob facultatem aliquando in ipſa Hoemoptoë *Accidentali* & *Cacochymica* plurimum conducere poſſe, ſi ſcilicet illa oriatur a talibus cauſis, quae augendo ſanguinis motum & excitando vitam totius corporis tolli poſſunt, hoc eſt, ſi v. g., uti non raro fit, Hoemoptoë naſcatur ex ſpasmis imi ventris, affectionibus hypochondriacis, diatheſi ſcrofuloſa &c. In ceteris vero Hoemoptoës ſpeciebus non tantum non profice-

(353) Conf. SWIETENUS l. l. T. IV. §. 1200. p. 40. & ſeqq. BURSERIUS l. l. T. IV. Cap. II. §. 39. p. 33 & 34. nec non de MEZA l. l. p. 314.

ficere, ſed etiam incitando ſanguinis orgasmum verſus pulmones ſaepe novam producere Hoemoptyſin, Phthyſicorumque accelerare mortem.

Conſentiunt mecum MORGAGNIUS (354), STOLLIUS (355) & QUARINUS (356), qui SYDENHAMI mentem male intellectam ſaepenumero aegrotis perniciem attuliſſe multis probant exemplis. Quin ipſe SYDENHAMUS videatur non ubique ſed tantum in memoratis caſibus equitationem commendaſſe (357). Quidquid ſit, ſi illius monitum de Hoemoptyſi in univerſum & de vera Phthyſi etiam ſit intelligendum, a viro egregie diſſentiendum eſt, multiplex enim experientia docuit, his in caſibus equitationem aeque parum convenire, ac in ceteris morbis cum diatheſi phlogiſtica junctis.

§. 247. Homo vero, ſi ex hoc morbo perimitur, interit aut ex copioſo ſanguinis e pulmonibus profluvio, quo cor debito ſanguinis affluxu orbatum ab actione ceſſat; aut prae nimia ſanguinis copia intra pulmonum veſiculas, eorumque textum celluloſum congeſta ſuffocatur; vel & denique effuſus ille ſanguis ſimul cordis functionem impedit, ac tunc ſubito ſequitur lethalis Aſphyxia, moritur itaque miſer vel Syncope, vel Suffocatione, vel, quando ſimul cordis & pulmonum functio laeditur, Aſphyxia; de horum morborum moriendi ratione ſupra jam fuit dictum.

---

(354) Conf. l. l. T. I. Lib. II. Epiſt. XXII. Art. 13.
(355) Conf. *Rat. Med.* P. I. Sect. IX. p. 130 & 131.
(356) Conf. *Animadv. Pract.* Cap. V. p. 103 & 104.
(357) Conf. *Opera omnia Diſſ. Epiſt.* ad W. COLE p. 414. & ſeqq.

CLAS-

CLASSIS DECIMA.

MORS EX CACHEXIIS.

§. 248. Hacce in Claſſe habitus totius corporis, vel magnae illius partis obſervatur depravatus, aut ob topicam unius, alteriusve organi labem, aut ob morboſam cujusdam ſyſtematis affectionem absque ulla pyrexia idiopathica, vel ſenſus aut motus laeſione. Haec quum ſemper hacce in Claſſe, & numquam niſi in illa occurrant, ceu hujus ſigna pathognomica habenda ſunt, ac poſſunt inſervire ad Cachexias a ceteris morbis diſtinguendas. Iſta autem topica alicujus organi labes, illa morboſa cujusdam ſyſtematis affectio praecipue triplici ratione noſtrum corpus afficiunt, ulceribus nempe, atrophiis; absque ulceribus, debilitatibus & privationibus, ex qua agendi ratione haecce Claſſis in tres dividitur ordines. Antequam tamen ad illorum examen tranſeamus, nonnulla ſunt annotanda de Febre hectica, quae haud raro concomitari ſolet morbos uniuscujusque ordinis hujus Claſſis.

§. 249. Inter varia Medicinae capita, quorum notio eſt vaga indeterminataque, ac de quibus maxime fuit diſputatum, certe & Febris Hectica pertinet, illa Febris, quae non niſi ſymptomatica occurrit, variis in caſibus diverſis ſymptomatibus erat ſtipata, ad quod auctores non attendentes ex ea totidem finxerunt varietates, hinc apud practicos ejus diverſiſſimae occurrunt de-

ſcriptiones. Ad noſtram usque aetatem medici omnes, utpote ſemper de acritate humorum ſolliciti, ſic etiam hic acrimoniam peſſimae notae numquam non adeſſe contenderunt, imo viri in arte medica praeclari de natura hujus acrimoniae magnis animis certarunt, nonnullis enim alcalinam, aliis rancidam vel putridam, aliis iterum ammoniacalem humorum acritatem, ac forſan omnibus aequali cum jure accuſantibus. Sed, omiſſa illa acritatum theoria, unice monebo, in Febre Hectica, aeque ac in aliis ſic dictis humorum acritatibus, fere ſemper humores noſtri corporis nullas nec acidi, nec alcalini exhibere dotes; illam numquam ab acritate qua tali oriri, atque morboſam hacce in Febre humorum craſim pro varia potentia nocente admodum differre. Hoc, enumeratis recentiorum quorumdam de Hectica ſententiis, probare conabor.

Inter recentiores CULLENUS, qui omnium optime hac de Febre egit, eam ſic deſcripſit, „ eſt Febris quotidie „ revertens, acceſſionibus meridianis & veſpertinis; remis- „ ſione, rarius apyrexia, matutina; plerumque ſudoribus „ nocturnis & urina ſedimentum ſurfuraceo — lateritium „ deponente (358):" illam autem ex abſorptione materiae ichoroſae ſemper eſſe derivandam credidit (359), MACBRIDIUS etiam: „ Hecticam peculiaris acritatis eſſe „ progeniem aſſerit," ac cenſet, eam a ceteris Febribus, „ dif-

(358) Conf. *Synopſis Noſolog. Method.* Edit. III. p. 80 & 81. Edinb. 1780. 8vo.

(359) Conf. *Firſt Lines of the Practice of Phyſic.* Vol. II. T. IV. Cap. IV. Sect. I. §. 861. p. 369.

„ differre in eo, quod in reliquis materies morboſa aut „ ſubigatur, aut e corpore eliminetur per vires Naturae „ medicatrices, dum in Hectica ab illarum actione num„ quam tam ſalutaris eventus ſit exſpectandus, ait porro, „ quandoquidem parum, aut nil opus vires Naturae hoc „ in morbo polliceantur, omnis curatio ab artis auxiliis „ petenda eſt (360)."

§. 250. Requirunt ergo CULLENUS & MACBRIDIUS ad Hecticae exiſtentiam humorum diathesin morboſam; interim videtur elici poſſe ex potentiis nocentibus a quibus ille morbus naſcitur, illam absque ulla humorum acritate ſaepe oriri, atque eorumdem morboſam craſin plerumque ſaltem potius eſſe habendam pro Hecticae effectu, quam pro ejus cauſa. Etenim oritur Febris Hectica aut a morboſa affectione cujusdam ſyſtematis, uti v. g. in Hectica Syphilitica, Scorbutica, Scrofuloſa &c., res ſeſe habet. Verum quidem eſt, quod hiſce in caſibus humorum craſis reperiatur morboſe affecta, attamen etiam tunc Hecticae originem non eſſe petendam ex acritate qua tali patet ex eo, quod ſcilicet, teſte ipſo CULLENO (361), acritate Scrofuloſa, Scorbutica, imo ipſa Cancroſa, omnium certe peſſima, ſaepe per ſat longum tempus in corpore adeſſe poſſit absque ullo Febris Hecticae indicio; idem contingit in Lue Venerea, ubi, uti vulgo notum eſt, virus venereum jam per ſat longum tempus fuit abſorptum, antequam illa Febris apparet, unde

(360) Conf. l. l. Cap. XVIII. p. 115 & 116.

(361) Vid. l. l. §. 861.

de manifeſte liquet, haud a materie morboſa abſorpta, ſed ab ipſis ſolidis, ob morboſum ſtimulum degenerationem paſſis, Hecticam induci; aut, ut plerumque fit, naſcitur Hectica ex topica cujusdam organi affectione, vel & ab illius degeneratione, id eſt, natales ducit ab iis cauſis, ubi nullá acritate humorum accuſari poteſt, quin ubi ne minima illius detur ſuſpicio, nam nonnunquam originem ducit a ſtimulis variis, in corpus ceterum ſanum nimis vehementer operantibus; ſic v. g. oritur illa non raro a tuberculis pulmonum, a degeneratione glandularum meſenterii, a viſcerum ſchirris, a vermibus, calculis &c. Unde quaeſo in viſcerum ſchirris, in quibus haud raro tota organica compoſitio reperitur deſtructa, humor ichoroſus poteſt abſorberi? quomodo amabo ab iis, a vermibus, a calculis, humorum acritas poteſt oriri? niſi unice ex eo, quod aut defectu cujusdam functionis, aut & in utroque ultimo caſu ſtimulis morboſis nimia cum violentia operantibus ſolidis talis imprimatur actio, cujus numquam non morboſa humorum degeneratio ſit effectus. Hoc a priore jam ſatis certum, a poſteriore practicorum obſervatis egregie quoque confirmatur; non tantum enim quando Febris Hectica a memoratis cauſis oritur ſed etiam ubi ipſius Phthyſeos eſt ſequela, in initio morbi ſanguis detractus ſaepe eſt naturalis, ne minima quidem humorum obſervatur diſcraſia, & non niſi in fine morbi, omnibus in pejus ruentibus, conditio eorum reperitur morboſa, indicio, humorum acritates unice eſſe effectus depravatae ſolidorum agendi rationis; hinc, ubi Hectica a vermibus, vel a calculis ortum ducit, ſi in illius initio ſtimulus morboſus feliciter removeatur, mox priſtina redit ſanitas, nullaque apparet humorum acri-

acrimonia quid ergo? quid aliud ex his omnibus concludi poteſt, quam quod Febris Hectica a ſtimulo morboſo quocumque certo & determinato motu in ſolida agente naſcatur, atque ad illius exiſtentiam nulla humorum acrimonia requiratur; nam potentia nocens quaecumque, ſi violenter & continuo corpus ſtimulat, non poteſt, quin ſolidis inducat debilitatem & certam degenerationem, quibus conditionibus mox ſe adjungit motus febrilis, qui Febris Hectica appellatur.

§. 251. Ex his ergo liquet, Febrim Hecticam, non niſi gradu a ceteris Febribus eſſe diverſam, ac rationem, cur illa, reliquarum adinſtar, numquam felici criſi terminetur, eſſe petendam ex eo, quod ad Hecticae exiſtentiam requiratur principii vitalis torpor, qui efficit, ut ab ejusmodi fractis viribus neutiquam cauſa morboſa depelli poſſit. Hinc reliquae Febres omnes in Hecticam tranſeunt, ſimul ac modo huc neceſſaria in ſolida agendi ratio acceſſerit; ceterum Hectica, aeque ac ceterae Febres, non eſt niſi conamen ſalutiferum Naturae, ſed quod aut ob organi cujusdam degenerationem, aut ob ſolidorum debilitatem, juſtum effectum ſortiri nequit; ſolida tamen continuo a potentia nocente ſtimulata ruunt in irregulares & inordinatos motus, talique modo morbi cauſam tollere tentant, at fruſtra, dum illius cauſa aut removeri plane neſciat, aut ſaltem ejus ſublatio ſit adeo difficilis; ut huic ſcopo ſuperſtites vires haud ſufficiant, quin ipſa virium vitalium reactione, remanente nimirum ſtimulo morboſo, organa in dies magis & magis debilitentur, omniaque ruant in pejus.

Ne objiciatur, hanc Febrim, ceu conamen ſalutiferum conſiderari non poſſe, dum illius ſymptomata eo magis ſeſe

manifeſtent, quo magis ad vitae finem vergunt miſeri; idem enim in aliis bene multis morbis etiam haud raro obſervatur, ſic v. g. in Febre lenta nervoſa, cujus praeſertim in fine ſummus principii vitalis obtinet languor, ſaepe analoga naſcuntur ſymptomata, ac ubi, uti aliquoties evenit, hac in Febre mediis ſub convulſionibus efflatur anima, ſunt tunc illi motus irregulares virium vitalium exceſſui tribuendi? num quaeſo diriſſimae illae convulſiones, quibus Hydrophobia correpti continuo tentantur, miſerorum principii vitalis vigori ſunt adſcribendae? nonne absque omni dubio haecce omnia ex immoderata & abnormi organorum reactione ad ſtimulum morboſum ſunt repetenda? nil valet igitur propoſita objectio, nititur enim ea falſae illi hypotheſi, quod motus abnormes & irregulares ſemper ab exceſſu principii vitalis proficiſcantur, dum e contra illi, uti ex allatis exemplis patet, ſaepe etiam, naſci ſolent a vehementer irritante ſtimulo morboſo, languente licet principio vitali.

Haec autem de Hecticae natura generatim monuiſſe ad cognitionem morborum, quibuscum ſaepe jungitur, omnino ſufficit, nec ultra quid certi de ea ſtatui poteſt, nam, quum illa non ſit niſi alius morbi ſymptoma, pro varia indole iſtius morbi, quocum jungitur, ipſa etiam differt.

O R-

ORDO PRIMUS.

ULCERA.

GENUS PRIMUM.

PHTHYSIS.

§. 252. Quoties corporis conſumtio ulcere in parte ſolida non dura haerente locum habeat, toties illud malum dicitur Phthyſis; eſt igitur Phthyſis non niſi nomen generale omnibus conſumtionibus communis, ſi modo ex ulcere in quadam corporis parte haerente hominibus contingunt. Quum autem, docente experientia, in omnibus fere organis internis ulcera oriri poſſint, tot dantur Phthyſeos ſpecies, quot ſunt organa, quorum ulcera totius corporis emaciationem & debilitatem efficere valent, hinc naſcuntur Phthyſis cerebri (362), trachealis, pulmonalis, pleuritidis ſive empyema, Phthyſis cordis (363), omenti, peritonei & meſenterii (364), ventriculi (365), inteſtino-

(362) Conf. S. G. VOGEL l. l. T. IV. Cap. I. p. 14 & 15.

(363) Conf. l. l. Cap. IX. p. 258. & ſeqq. nec non Ill. STORCK, *Ann. Med. Sec.* p. 151 & 153.

(364) Conf. l. l. Cap. II. p. 278 & 279.

(365) Conf. VOGEL l. l. Cap. XII. p. 288. & ſeqq.

norum (366), hepatis, veſiculae felleae, lienis (367), pancreatis (368), renum, veſicae (369), uteri (370), &c., uno verbo omnes partes poſſunt pati Phthyſin, quarum exulcerationem corporis conſumtio ſequitur. De hiſce omnibus Phthyſeos ſpeciebus ſeparatim agere noſtrum non eſt, nobisque ſufficit generalem Phthyſeos exhibere deſcriptionem, cui ſcopo ut ſatisfaciamus, ſpeciminis loco elegi Phthyſin pulmonalem, quum illa ceteris frequentius occurrat, de cujus ergo varietatibus, prognoſi, medela, complicatione, indeque ſequente moriendi ratione nonnulla ſum dicturus.

Si practicorum evolvamus libros, mox patet, illos fere omnes, Phthyſin pertractantes, ſub ejus nomine comprehendiſſe etiam bene multas affectiones morboſas, in quibus pulmonum exulceratio obtinet plane nulla, quae igitur proprie ad hunc morbum haud pertinent, ſed potius inter Tabis ſpecies enumerari merentur. Id enim annotandum eſſe credidi, quia ex hoc fonte pro magna parte videtur eſſe componendum, quomodo a viris in arte medica ſummis talia potuerint praeſcribi remedia hocce in morbo, quae ſi in vera Phthyſi (de qua unice hic agitur) applica-

(366) Conf. R. VOGEL l. l. §. 213. p. 165.

(367) Conf. SELLE, *Rudiment. Pyretol.* p. 297.

(368) Conf. TULPIUS, *Obſ. Med.* Lib. IV. Cap. XXXIII. p. 328. & ſeqq.

(369) Conf. R. VOGEL l. l. §. 234. p. 183.

(370) Conf. S. G. VOGEL l. l. Cap. XXIII. p. 423. & ſeqq.

carentur, non ſolum non proficerent, ſed etiam aegrotorum mortem accelerarent.

§. 253. In Phthyſi autem vera noſtro ex judicio potiſſimum tres ſunt diſtinguendae varietates.

1°. *Phthyſis ab Hoemoptoë*, quae praecipue oritur ab Hoemoptyſi habituali & cacochymica, ceterae enim ſpecies non niſi certis ſub circumſtantiis in Phthyſin transeunt.

2°. *Phthyſis ab Inflammatione acuta.* Sic apello illam ſpeciem, quae Peripneumoniam quandoque ſequitur.

3°. *Phthyſis ab Inflammatione chronica.* Haecce ſpecies, quae vulgo tuberculoſa dicitur, omnium frequentiſſime occurrit; illa plerumque ortum ducit ab affectione Scrofuloſa glandularum pulmonum. Probant hoc, docente CULLENO, aegrorum habitus, tumor glandularum conglobatarum aliarum partium, quae una ſaepe cum illa Phthyſi obſervatur, & complicatio hujus Phthyſeos cum Tabe meſenterica, quae manifeſte eſt originis Scrofuloſae (371): cum illo facit MEADIUS, „ qui, poſtquam „ adnotaſſet, illos maxime pulmonum exulcerationibus eſſe „ obnoxios, qui aetate juvenili Strumis fuerant vexati, „ ſic pergit, expert. medicus RADCLIVIUS dicere ſolebat, Phthyſes in noſtris & frigidioribus regionibus eſſe „ plerumque ſtrumoſas, ſaepiſſime itaque videmus in tabidis „ poſt mortem pulmonem tuberculis ſeu glandulis induratis „ obſitum, quae ſuppurantia pus exſpuerant (372)," ni- „ hi-

(371) Cf. CULLENO §. 859. p. 385.
(372) Vid. *Monit. & Praec. Med.* p. 46.

hiloſecius tamen quandoque pulmonum vaſis, degenerationem paſſis, illa Phthyſis originem debet, ſi ſcilicet vel a Peripneumonia non perfecte reſoluta, aut ab Hoemoptoë praegreſſa aliqua pulmonum pars in indurationem, abiit, idem in hoc viſcere contingit, quod in partibus N. C. externis, in furunculis non rite ſuppuratis, fieri quotidie fere obſervamus; nimirum pars illa furunculi, quae ſuppurationem non fuit paſſa, etſi ſaepe per longum tempus indurata maneat, ſemper tamen ad novam Inflammationem magnam retineat propenſionem, ita ut poſt longum tempus, ſuborta cauſa quadam occaſionali, de novo ab illa corripiatur, tumque abeat in ſuppurationem; ſimili autem modo in pulmonum tuberculis res ſeſe habet; in initio nempe iſta tubercula etiam nullum excitant doloris ſenſum, poſtea tamen, praeſertim ſi iis aliquis ſtimulus acceſſerit, corripiuntur Inflammatione chronica, quae lento procedens gradu demum ſuppuratione terminatur, exhibetque bene multas parvas vomicas (373).

§. 254. Phthyſeos prognoſis in univerſum eſt ominoſa, nam plerumque ex hoc morbo ocius vel ſerius ad plures abeunt miſeri: hujus eventus ratio tamen non, uti vulgo ſolet, ex flaccida pulmonum ſtructura, motu eorum perpetuo & expoſitione ulceris aëri atmoſphaerico videtur eſſe petenda, haec licet revera ſanationi obſtent, minime tamen ad funeſti eventus explicationem ſufficiunt, nonne enim

(373) Cf. CULLENUS l. l. §. 856. p. 383. STOLL *Rat. Med.* P. I. de *pleuritide occulta ſive latente* p. 71. & ſeqq. BURSERIUS l. l. T. IV. Cap. III. p. 48. in nota & p. 51.

enim illa omnia in ulcere pulmonali ſemper adſunt? & cur quaeſo nihilominus, docente CULLENO (374), Phthyſis a Peripneumonia noſtris in regionibus ceteris rarius occurrit, ac etſi in ſuppurationem tranſeat pulmonum Inflammatio, tamen, vomica rupta, ſaepe laudabile evacuatur pus, brevique coaleſcit ulcus? cur amabo, Hoemoptoës ſequela, licet ſit vera pulmonum exulceratio, aliquando tamen illud ulcus brevi felicem ſanationem admittit (375)? cur denique, ſi corpus ſit ſanum, ac aegrotus ad Phthyſin nullam habeat praediſpoſitionem, a Peripneumonia in ſuppurationem terminata ſaepe non, & ab Hoemoptyſi accidentali periodica & Traumatica fore numquam enaſcitur Phthyſis (376)? nonne ex hiſce omnibus liquet, memoratas rationes non ſolum eſſe in cauſa funeſti hujus morbi eventus?

Noſtra ex ſententia Phthyſeos prognoſis potius eſt deſumenda ex varia Phthyſeos varietate, nec non ex cauſa, quae illam induxit: etſi inſuper in prognoſi omnino ſit attendendum ad ſtadium Phthyſeos, in quo verſatur aegrotus, quidquid enim refertur de curatione hominum, qui jam per plures, imo per 20. annos, Phthyſi laboraverant, omnes illi caſus abſque dubio pertinuerunt ad quemdam Tabis ſpeciem, neutiquam vero ad veram pulmonum exulcerationem; quis quaeſo pulmonibus pro maxima parte ſuppu-

(374) l. l §. 898. p. 400. & ſeqq.
(375) l. l. §. 864. p. 371. & ſeqq.
(376) VOGEL *Prael. Acad.* §. 271. p. 210. & CULLEN §. 864. p. 272.

puratis, adhuc foveret ſanationis ſpem? ſane quamdiu medici artem non calleant naturam inducendi in tales motus, quibus niſu quodam formativo loco portionis corruptae nova generatur pulmonis portio, tamdiu ex conſummata Phthyſi numquam ullus relevabitur aeger; quin, licet medici hanc callerent artem, nihiloſecius conſummati Phthyſici ad unum omnes perirent: etenim Corporis Humani organa tantum ad certum gradum absque inevitabili vitae jactura motus abnormes pati valent; hinc ſi ultra illum gradum motus abnormes extendantur, actum eſt de vita, nec ulla ſanationis ſpes amplius ſupereſt, id non ſolum verum eſt quoad Phthyſin, ſed etiam quoad morbos ceteros omnes; ſic memini, me in elementis phyſiologicis ſummi HALLERI legiſſe, virum eximium nullum eorum, in quibus in Febre quacumque intra ſpatium unius minuti pulſus 140. abſolverentur, vidiſſe ſanatum, ſed illos ſemper periiſſe. Aſſentimur itaque CULLENO (377), monenti, ut in Phthyſi a quacumque cauſa etiam nata a certo conſumtionis gradu cum ſudoribus profuſis, & diarrhoea ſtipata nemo unquam reconvaleſcat.

In ultimo igitur Phthyſeos pulmonalis ſtadio curatio extra artis poemeria eſt; ceterum pro diverſa ejus varietate & pro varia cauſa major aut minor ſanationis affulget ſpes, ſic v. g. Phthyſis a Peripneumonia nata, ſi in corpus ſatis vegetum inciderit, ſique in illius initio juſta adhibeatur medela, ceteris faciliorem admittit ſanationem, uti probant haud pauca aegrotorum exempla, qui

(377) l. l. §. 898. p. 401.

qui ex hac Phthyſeos ſpecie reconvaluerunt (378): idem dicendum eſt de Phthyſi ab Hoemoptoë orta, ſi modo Hoemoptoë habitualis aut cacochymica ejus in cauſa non fuerit; ſin autem Phthyſis ab habituali Hoemoptyſi ſit nata, non adeo fauſta eſt prognoſis, hoc enim in caſu plerumque Phthyſis eſt inſanabilis, quum malam pectoris conformationem, quae hujus Phthyſeos eſt cauſa, medicus tollere haud valeat; attamen etiam tunc de ſalute aegrotorum non prorſus eſt deſperandum, aliquando enim bona medendi ratione, imminuta vaſorum pulmonalium plethora, & vaſis eorum redditis aetate firmioribus, ſicque ſublata Phthyſeos cauſa, ipſa Phthyſis fuit curata, ut accuratiſſimus hujus morbi auctor BENNETUS ſequentibus verbis teſtatur, „ quibus ab uſu remediorum, aut plagarum mutationibus pectus anguſtum dilatatur, gliſcit „ corpus, robur augetur, & color evadit floridior, ſalu„ tis ſpes affulget, denuo per totum corpus relucente ca„ loris vitalis εχλαμψει (ſplendore") (379); ſed ſi habituali Hoemoptyſi hereditaria in Phthyſin praediſpoſitio acceſſerit, malum immedicabile declarat vir egregius, dicens, „ qui Phthyſis indelebilem impreſſionem a parenti„ bus ſuſceperint, licet irreſtituibiles, ſunt tamen diutur„ niores" (380): habet tamen etiam illa BENNETI regula ſuas exceptiones, nam refert SWIETENUS, juvenem

(378) Cf. SWIETENUS l. l. T. IV. §. 1206. p. 63. BURSERIUS l. l. T. IV. Cap. III. p. 61. & CULLENUS §. 898. p. 401.
(379) l. l. p. 101.
(380) l. l. p. 99.

nem, qui ex Hoemoptoë habituali in Phthyſin inciderat, atque in quo hereditarium hoc malum fuit, ſummi BOERHAVII cura ſuiſſe ſanatum. Adfert adhuc nonnulla alia exempla in rei probationem memoratus auctor, ac inde concludit, ſpem eſſe, ipſam hereditariam labem ſuperari poſſe (381); ſi denique Phthyſis ab Hoemoptoë cacochymica oriatur, plerumque ob totius corporis debilitatem illa Phthyſis infert mortem, prognoſis tamen pro vario morbo, quocum hoc in caſu Phthyſis jungitur, eſt diverſa.

§. 255. Sed in Phthyſi ab Inflammatione chronica ſive in tuberculoſa longe aliter res ſeſe habet, periculoſiſſima illa Phthyſis tantum non ſemper omnem eludit medelam, & non niſi morte terminantur aegrotorum mala, nec latet ratio, cur Phthyſis tuberculoſa plerumque reperiatur funeſta, nam illa Phthyſis numquam non, uti ſupra vidimus, a quadam glandularum aut vaſorum degeneratione ducit natales. Quam difficile autem ſit illam degenerationem tollere, quis non videt? inſuper illa tubercula non omnia uno eodemque tempore, ſed unum poſt alterum Inflammatione corripiuntur, ſicque eodem tempore Inflammatio, & ſuppuratio in pulmonibus obtinent, utriusque vero indicationi non adeo facile ſimul proſpicitur. Praeter haſce rationes adeſt adhuc tertia, ceteris non minus valens, quod ſcilicet in illis induratis glandulis, aut vaſis, ſenſim ſenſimque compoſitio organica plane deſtruatur, ita ut referant corpuſcula craſſa, cartilaginis duritie do-

(381) l. l. T. IV. §. 1207. p. 80.

donata, intus materiem quaſi cretaceam continentia, quae verus eſt phosphas calcis, malum vero cujus cauſa in deſtructione organicae compoſitionis cujusdam organi haeret, quis emendare ſperabit?

Sicuti itaque ex ſano raticiocinio a priore jam conſtat, Phthyſin tuberculoſam ob illius cauſae naturam fere ſemper debere eſſe lethalem, ſic etiam a poſteriore practicorum obſervationes illius funeſtum eventum confirmant. Omnes recenſere nimis longum foret, adferam ergo tantum unum alterum exemplum. BENNETUS, qui ubique adeo graphice de Phthyſi egit, tuberculoſam pertractans dicit: „ Phthyſici, quibus pulmones ob lapidum & oſſium „ inaequalium innaſcentiam lacerati fuerint, deploratiſ- „ ſimi (382)" de tuberculis ſic loquitur Celeb. MEAD, „ is morbus, etſi gravis ſit (loquitur de vomica pulmo- „ nali) & in Tabem ſaepe deſinat, haud tantum periculi „ adfert, quam minores illae exulcerationes (383)." CULLENUS illam periculoſiſſimam, & ſi labes hereditaria cum illa ſit juncta, fere ſemper lethalem declarat (384): BURSERIUS demum turberculoſam omnium deploratiſſimam cenſet (385); & ſi quis hoc effatum pluribus adhuc obſervationibus confirmatum videre cupit, inſpiciat quaeſo SWIETENUM, qui non ſolum hac de re cum ceteris in eadem verſatur ſententia, ſed ubi ſimul bene multae aliorum

(382) l. l. p. 99.
(383) *Monit & Praec. Med.* p. 53.
(384) l. l. §. 898. p. 401.
(385) l. l. T. IV. Cap. III. p. 61.

rum obſervationes reperiuntur, nec deſiderantur, ejusmodi cadaverum extiſpicia, e quibus pulcherrime, ea, quae de Phthyſi tubercula retuli, probantur (386).

§. 256. Indicationes, quae in quacumque Phthyſeos varietate occurrunt, ſunt.

1°. Inflammationem tollere.

2°. Avertere omnes cauſas, quae pulmones irritare poſſit.

3°. Ulcerationem pulmonum mutare in ulcus ſimplex, ſicque efficere, ut, remotis obſtaculis, viribus Naturae medicatricibus ulcus coaleſcat. Hae ſunt indicationes, quae licet in omni Phthyſi dentur, haud tamen in omni ejus varietate uno eodemque modo, ac iisdem remediis abſolvuntur, quamobrem de unaquaque Phthyſeos varietate ſeparatim agere erit neceſſe.

§. 257. *Phthyſis Hoemoptoica.* Phthyſis ab Hoemoptoe habituali, ſive illa ſit hereditaria, ſive minus, iisdem remediis curanda eſt, quibus hujus in Phthyſin tranſitum prohiberi, ſupra diximus; nimirum adeſt hac in Phthyſi ſemper ſanguinis ad phlogoſin propenſio cum quadam ſpecie plethorae ex mala pectoris conformatione, ſi igitur a ratione conſilium petatur, certe omnia, quae ſanguinis orgasmum, & Inflammationem incitant, ſumma cum cautela evitari debent; ejicienda ergo hoc in caſu ſunt Alumen, Elixir Vitrioli, Oxymel Squilliticum, Lichen Islandicum, ac aquae medicatae, nec magis conveniunt Cortex peruvianus, Polygala amara, radix Senegae, & cura lactea; quid

(386) l. l. T. IV. §. 1205. p. 59. & ſeqq.

quid quaeſo hic ſtimulantia, adſtringentia, & roborantia efficerent? & cui ſcopo illud lac aegro propinaretur? certe haec omnia ſanguinis copiam & orgasmum augendo, ac Inflammationem & Febrim incitando, de novo excitabunt Hoemoptyſin, ac brevi Phthyſin hanc lethiferam efficient. Neque ullius reperiuntur utilitatis emollientia, mucilaginoſa, becchica, mellita, &c. nam praeſcribebantur haec a veteribus ad acritatem humorum involvendam, quae hic plane deſideratur; quin etiam in aliis Phthyſeos varietatibus cum illis remediis caute ſit mercandum, ſedant illa quidem tuſſim, minime tamen agunt in illius cauſam, imo ſaepe e contra pulmones nimium relaxando malum augent, praeterea primarum viarum actionem inſigniter infringunt, ita ut, dum pectori conſulas, haud raro fractus canalis cibarii tonus poſcat auxilium: nobiſcum facit Cl. BENNETUS dicens; „ inveteravit ſane conſuetudo tuſſim ſedandi per medicamenta & alimenta impenſe dulcia, nec „ iſtiusmodi remediorum uſus omnino improbandus, ſi alia „ defuerint, & tuſſis acriter preſſerit; ea tamen cautela, „ ut inter ramorum defalcationem radix ipſa non ſuc„ creſcat, tuſſis enim pectoris infenſiſſima ſuffuſionis alicu„ jus e ſanguine adulterato ſemper ſuboles, quaecumque „ vero ejus χυμᾶειν (Ebullitionem) incitant, eaque de „ cauſa plus damni quam emolumenti importantia, ut „ mellita & ſaccharata plane omnia, in cenſu ſaluberimo„ rum neutiquam reputanda; multo minus jugi remedio„ rum ſerie permiſcenda, — ac paulo poſt addit, bene „ multos morbos ex illorum abuſu ſe obſervaſſe (387)."

E

(387) l. l. Cap. XXVII. p. 69. & ſeq.

E contra valde proficiunt parca ſed repetita ſanguinis miſſio, uſus ſucci cucumeris (388), diaeta fere vegetabilis, ac regimen antiphlogiſticum, quibus aut aeger ſanatur, aut ſaltem fere ſemper auxilium experitur, ac in multos conſervatur annos — Eodem modo Phthyſis ex omni alia Hoemoptoës ſpecie curari debet, ſola excepta Cacochymica, de qua nullae generales regulae condi poſſunt, quum illa numquam non ſit ſymptomatica, attamen in his quandoque evenit, ut in fine morbi, omni plane remota phlogoſi, ad pulmones roborandos. Cortice Peruviano, aliisque tonicis egeant, quae interim remedia in Habituali, ſive illa ſanandi ſive roborandi ſcopo exhibeantur, aegrotis ſemper nocent.

§. 258. *Phthyſis* a *Peripneumonia.* In illius primo ſtadio omnia, quae in Hoemoptoica praeſcripſi, egregie etiam valent; quum tamen in illa varietate Inflammatio partium ulceri vicinarum vulgo ſit praecedente longe minor, illud ſtadium primum citius ſaepe decurrit, ac partium vicinarum Inflammatione plane ſublata, ſaepe pulſus reperitur debilis mollis, deficiunt vires, ac aegri magnam ſputorum copiam ejiciunt, quae teterrimum ſpirant odorem; tali ſub rerum conditione decoctum Corticis Peruviani eſt exhibendum, cui pro re nata elixir vitrioli & varia alia remedia poſſunt addi. Horum uſu ſaepe tonus partium reſtauratur, exſpectoratio intra certos limites continetur, ac ulcus mundatur: poſſunt hic quoque utilitatem praeſtare Polygala amara, Senega, & Lichen Islandicum, quamvis,

(388) MURRAY l. l. T. I. p. 582. & 583.

vis, ſi verum velimus fateri, illa remedia in vera Phthyſi raro conveniant, & rarius adhuc, ſi unquam malo profligando ſint paria, etſi illa in Phthyſi pituitoſa ſive ſpuria multa bona praeſtare & ſaepe omnem curationis paginam abſolvere, omni dubio careat. Praeterea in hac Phthyſeos varietate aliquoties occurrunt caſus, in quibus a morbi initio, praemiſſa V. S., ad roborantia confugere oportet medicum: quando nempe pulmonis abſceſſus & exulceratio aut ab Inflammatione ſpuria fuerint orta, aut in ſubjecta debilia laxiora nec per ſe ad phlogoſin propenſa inciderint, ſaepe mox aegrorum vires ſunt admodum proſtratae, debiliſſimus tangitur pulſus, ac loco boni puris ſecernitur ichor: ſi illo in caſu curam antiphlogiſticam adhuc inſtituere velles, eſſet metuendum, ne eo ipſo tempore, quo phlebotomia inſtituitur, deſereret anima corpus. Hic itaque, ubi torpore peccant vires vitales, indicantur roborantia, & leniter ſtimulantia ſcopo augendi vaſorum tonum, convertendique illum ichorem in pus blandum & inodorum. Quandoque etiam his in caſibus ſputa ſupprimuntur: tali in caſu, ubi ſcilicet a torpore vis vitalis ſputa ſupprimuntur, praecipue in temperamentis frigidis, laxaque fibra donatis, ad exſpectorationem promovendam requiruntur ſtimulantia fortiora, v. g. Sulphur Auratum Antimonii, Kermes Minerale &c.; hunc in finem valde quoque commendatur Oxymel Squilliticum rite in mixtura dilutum, atque hic unicus eſt caſus, ubi talia remedia conveniunt, quae ceterum in omni alio caſu ob calidam & ſtimulantem indolem peſſime nocerent.

§. 259. *Phthyſis tuberculoſa.* Hac in varietate partium inflammatarum reſolutionem tentare debet medicus ſanguinis

nis miſſione, uſu remediorum antiphlogiſticorum, & leniter reſolventium, eoque magis reſolutionis tentamen ſuſcipere debet, quum CULLENUS, nonnullos hac Phthyſi laborantes poſtea perfecte ſanatos fuiſſe, afferat (389): dolendum interim, CULLENUM non adjeciſſe, quibus remediis illis in caſibus curatio fuerit abſoluta. Phlogoſi remota, ſicque Phthyſeos cauſa ſublata ſaepe egent aegroti tonicis, non tamen ſemper illa indicantur, quin haud raro noceant, hinc pro variis rerum conditionibus ut variis remediis utatur medicus, requiritur. Sin vero partium inflammatarum degeneratio reſolutionem non amplius admittat, atque adeo omnia noſtra conamina, ut fere ſemper evenit, reperiantur fruſtranea, non tamen ejusmodi aegroti ſuae ſorti ſunt committendi, nam etſi hoc in caſu malum curari neſciat, gaudet tamen ars bene multis praeſidiis, quorum uſu malum tolerabilius reddi, ac mors adhuc per longum tempus arceri poteſt. Quaenam autem ſunt illa remedia? certe non C. P. ceteraque roborantia, quae brevi tempore Phthyſin hanc conſummatam & funeſtam efficerent: an cura lactea? minime gentium, nam ejusmodi Phthyſeos varietate laborantes lac, uti optime monet BURSERIUS (390), haud tolerare valent, ab illius uſu morbus increſcit, peſſimeque inde ſeſe habent aegrotantes. Quaenam ergo indicantur? certe omnia illa, quae Inflammationem, ſanguinis orgasmum tollere, & Febrim avertere valent, hoc eſt, requiritur parca at frequens phlebotomia, re-

(389) Conf. l. l. §. 898. p. 401.
(390) Conf. l. l. T. IV. Cap. III. p. 77 & 78.

regimen antiphlogiſticum, diaeta tenuis pro maxima parte e regno vegetabili deſumta, & ſerum lactis, quod vi ſua leviter nutriente, reſolvente ac refrigerante egregie conducit: quum vero omnis pulmonum irritatio cane & angue pejus ſit evitanda, ſumma cum cautela illud omne averti debet, quo aliqua corporis functio impediri valet, imprimis ſi per illam quaedam materies, corpori noxia, eliminatur, dum debiles pulmones mox petit illa retenta materies, ibique cauſae mali novam cauſam addit, atque in iis non raro novam excitat Inflammationem; hinc prae omnibus curandum, ut modicam perſpirationem non interruptam die noctuque experiantur tales aegroti, & ut copia ſanguinis ad pulmones adfluentis imminuatur ſollicitando ejus fluxum verſus corporis ſuperficiem, quod optime veſtimentis, caloricum non admodum transmittentibus, v. g. laneis, & moderato corporis motu fieri, putat CULLENUS (391).

§. 260. In recenſione remediorum, quae huic morbo ſunt dicata, de lacte nullam feci mentionem, nec deſunt rationes, cur in Phthyſi ejus uſum commendare nequeam; lac enim in omni caſu, ubi diatheſis phlogiſtica adeſt, ob illius partem caſeoſam prohibetur. In Phthyſi tuberculoſa, probante BURSERIO, haud convenit, quin viderim, malum inde incrementum cepiſſe; in ceteris autem remota nempe omni phlogoſi, fere ſemper debilia digeſtionis organa illud rite ſubigere non valent, degeneratur ita-

(391) Conf. l. l. §. 903 & 904. p. 414 & 415.

itaque in ventriculo lac, ſicque non ſolum non optatum ferit ſcopum, ſed etiam inſuper ſaepe acidum in primis viis generat. Hinc etſi facile largiamur, lac quandoque ad Phthyſin impediendam, & illa jam curata, ad corpus roborandum egregie conferre, in ipſa tamen Phthyſi potius ejus ſerum exhibendum eſſe puto; quin lac in vera Phthyſi non convenire, jam perſpexiſſet ſapientiſſimus ſenex, „ hinc quidem lac tabidis eſſe dandum jubet, verum addit, „ dummodo non valde febricitent, nec a capite doleant; „ nec hypochondria elevata, aut a flatibus diſtenta habeant, „ nec admodum ſitiant. Arcendos pariter a lactis uſu monet HIPPOCRATES, qui febre acuta torrentur; qui biliosa dejiciunt, aut ob ſanguinis egeſtionem in ſummo „ omnium virium torpore verſantur, ita ut ſit metuendum, „ ne rite digeri queat (392)," quod ſi ergo juxta propoſitos a venerando Medicinae Parente canones lac tabidis ſit propinandum; certe in Phthyſi germana illud exhibendi nullus plane erit locus, non facile enim ſe obſeret Phthyſicus, in quo non unum vel alterum ex recenſitis ab HIPPOCRATE ſignis obſervabitur. Improbavit itaque jam ſuo tempore in vera Phthyſi lactis uſum HIPPOCRATES, cujus ſententia tanto pluris eſt aeſtimanda, quanto certius conſtat, divum ſenem numquam ultra obſervationes proceſſiſſe. Nec aliter hac de re fuit opinatus BENNETUS, qui dicit: „ quamvis eminus jam pateſcente prima ſymptomatum Phthyſi dicatorum φασει (ſtadio) lac exhibere ac- „ com-

(392) Conf. *Aphorism.* Sect. V. Aphor. 64.

„ commodatum arbitror, ejus tamen uſum vere Phthyſicis „ prorſus interdixiſſe neceſſe duxi, ſero lactis, aquis & „ potulentis medicatis, pro re nata alteratis vicem ejus „ implere tutiſſimum adjudicavi (393)," ſic igitur & ſua experientia noſtram ſententiam confirmat accuratiſſimus ille auctor.

§. 261. Quod autem ad fonticulorum uſum in Phthyſi attinet; fonticuli egregie conveniunt, quando Phthyſis a metaſtaſi cujusdam materiae morboſae, aut a ſuppreſſione morbi alicujus cutanei, vel denique ab ulcerum conſolidatione fuerit contracta: his in caſibus fonticulos, proficere debere & ratio ſuadet, & Ill. FOTHERGILLII obſervationes extra dubium ponunt: e contra ubi Phthyſis ex memoratis cauſis non fuerit orta, eorum uſu aegrotis certum inferre dolorem ſpe incerti, & ambigui remedii cenſet vir egregius (394), & ſane vidi Phthyſicam, cui juſſu medici fonticulus applicabatur, verum ſiniſtro cum eventu. Ex applicato fonticulo quidem effundebatur ſatis magna puris copia, ſed aegrota inde inſigniter fuit emaciata debilitataque, ac non ita diu poſt mors tragoediam clauſit: quo ex caſu ſaltem id elici poteſt, quod in Phthyſi a memoratis cauſis non orta caute cum fonticulis ſit mercandum.

§. 262. De aëris ſpecie, quae Phthyſicis maxime conducit, admodum differunt auctores, alii enim aërem puriorem,

(393) Conf. l. l. Cap. XXVII. p. 67 & 68.

(394) Vid. *Medical Obſervations and Inquiries*, T. V. Art. 33. p. 373 & 374.

rem, alii e contra impuriorem commendant: quae interim controverſia ex ante dictis facile componi poteſt, quum certo certius dentur caſus, ubi aër ſolito purior conducit, ut & absque dubio exſtant alii, ubi ille peſſime noceret. Etenim in omni Phthyſeos caſu, ubi exceſſus virium vitalium habet locum, aër parca admodum quantitate Gas Oxygenii continens conducit, dum e contra, ubi principii vitalis obtinet torpor, aër, quo ſit purior, eo aegrotis reperitur ſalubrior: ex qua regula ubi itinera maritima & peregrinationes verſus Luſitaniam, Hiſpaniam & Galliae partem meridionalem conducant, ac quando e contra noceant, facile percipi poteſt.

§. 263. De *Balſamis* demum lubens STOLLII ſententiae ſubſcribo, erroneam eſſe opinionem, atque in aegrorum perniciem natam, quae ſtimulantium Balſamorum interno uſu conſolidare disrupta vaſa intendit (395). Sic affuſo oleo incendium reſtinguere velle eum, qui calida & ſtimulantia illa remedia in pulmonum exulceratione propinat, quis non perſpicit? attamen ſi dentur adhuc nonnulli, qui eorum uſum hoc in morbo ratum eſſe autumant, adeant ii pulcherrimam diſſertationem, quam de Balſamorum noxa, & de malis, quae eorum uſum internum concomitari ſolent, ex induſtria conſcripſit Celeb. FOTHERGILL (396) nec dubito, quin ullus eorum unquam amplius balſama interne aegrotis ſit exhibiturus.

§. 264. Morbus ille jam per ſe adeo periculoſus adhuc ſae-

---

(395) Conf. *Rat. Med.* P. III. p. 12.
(396) Conf. l. l. T. IV. Art. XVIII. p. 231. & ſeqq.

ſaepe cum aliis morbis jungitur: verum quidem eſt, quod ceteris paribus Phthyſi correpti ad conſtitutionem epidemicam minus propenſi ſunt, quam ſani, exſtant tamen exempla, etiam Phthyſi laborantes a regnante epidemia fuiſſe affectos; ſic memorat v. g. STOLLIUS, pictorem quemdam, qui a tribus annis Phthyſi jam laboraverat, tandem valde emaciatum anno 1779, regnante conſtitutione epidemica admodum inflammatoria, ad ſe veniſſe. Ob pulſum ejus plenum & durum aliquot, ſed parca quantitate ſunt inſtitutae V. S., poſt ſex hebdomadum ſpatium, ex inopinato mortuus fuit. Aperto autem cadavere inveniebatur pulmo uterque ponderoſus, ac dira Inflammatione correptus: praeterea pulmo dexter hinc inde exiguos abſceſſus continuit, puris, quum viveret, ſcaturigines; conſtitit ergo cadaveris diſſectione, hoc in caſu Phthyſin diuturnam cum pulmonum Inflammatione fuiſſe junctam: hinc patet, conſtitutionem epidemicam cum Phthyſicis poſſe communicari, ſi nempe inter hanc & illam juſta detur affinitas (397).

De Phthyſeos cum Tabe, aliorumque morborum frequenti complicatione nunc nil dicam, haec omnia brevitatis gratia ſicco pede praetermittam, unice adhuc moniturus, ut non ſolum eodem in corpore diverſarum partium Phthyſes aliquando una obtineant, ſed etiam haud raro una alteri debeat originem, exſtant enim caſus, ubi in Phthyſi uterina materies purulenta metaſtatice ad pulmones fuit dela-

(397) Vid. STOLL l. l. P. IV. p. 38 & 39.

lata, ibique excitavit veram Phthyſin pulmonalem (398).
Tali in caſu morbum eſſe prorſus immedicabilem, atque utramque illam Phthyſin brevi eſſe funeſtam, ſponte patet, eoque magis quum iſtae metaſtaſes praeſertim fiant iis in foeminis, quibus aut juvenili aetate Haemoptyſis accidit, aut quarum pulmones ſunt juſto debiliores.

§. 265. Quum non tantum ſcopus noſter ſit ſimpliciter enarrare, qua ratione ex unoquoque morbo aegri moriantur, verum imprimis exponere pro virium noſtrarum modulo, quomodo moriendi ratio cohaereat cum unicujusque morbi indole, in Phthyſeos pertractatione copioſior eſſe debui, quoniam Phthyſeos etiam pulmonalis natura pro diverſitate ſua, durante morbi decurſu, diverſa admodum excitat ſymptomata, unde poteſt conſtare, ſymptomatum diverſitatem non indicare quaſi Naturae in hoc morbo inconſtantiam, qualem illi forte ſtatuunt, qui hujus morbi omnes formas minus perſpiciunt. —— Cur autem hic & alibi plura, quae proprie ad curam pertinent, adjecerim, factum eſſe, perſpicit B. L., quum effectus remediorum veluti a poſteriori confirment ea, quae aliunde de indole alicujus morbi colliguntur. Si ergo haecce omnia, quae de Phthyſeos varietatibus monui, inter ſe conferamus, conſtabit, diverſas Phthyſeos varietates, licet illae diverſa admodum exhibeant ſymptomata, omnes tamen in eo convenire, quod vita illorum, qui ex quacumque Phthyſeos varietate diem obeunt ſupremum, numquam non lampadis adinſtar ſenſim ſenſimque exſtinguatur. Cauſa vero, cur omnes

(398) Conf. VOGEL l. l. T. IV. Cap. XXIII. p. 424.

nes Phthyſici tali modo moriantur, videtur eſſe duplex; nimirum vi ulceris conſumitur quoddam organum, ad vitam neceſſarium, cujus ergo tota conſumtione vitam totius corporis demum quoque ceſſare, neceſſario ſequitur; accedit inſuper, quod a potentia morbifica, continuo in totum corpus vehementer agente, ſolida in dies magis magisque debilitentur degenerenturque, atque hinc totius corporis tonus ob perpetuum & diuturnum ſtimulum morboſum tandem penitus deſtruatur. Tali autem modo Phthyſicorum moriendi rationem revera ſeſe habere, imprimis liquet, ſi ad phoenomena attendamus, quae in univerſum, morbo ad finem vergente, Phthyſicis ex quacumque varietate ſunt communia; erumpunt tunc enim aphthae in ore palato, & faucibus, dolorem, ardoremque in deglutionis nixu excitantes; vox fit rauca, imo interdum perit; foetor non modo ex ore, verum a toto corpore emanat, puſtulae quandoque metacarpos deturpant; oriuntur pedum & manuum oedema, nec non diarrhoea; tempora collabuntur; oculi ſubſident; nares gracileſcunt; ſola ferme cuti teguntur oſſa; defluunt capilli; incurvantur ungues; ſupprimuntur ſputa; interdum delirant; tuſſis conquieſcit; ſed ſpiritus difficillime, anxieque trahitur, pulſus languent, vacillant, deficiunt, ſicque tandem mors pedetentim obrepit, ac quaſi clanculum ſuperveniens plerumque ex improviſo miſerrimae vitae imponit finem (399).

G E-

(399) Conf. Cl. OOSTERDYK l. l. Cap. XCVI. §. 11. p. 161 & 162. & BURSERIUS l. l. T. IV. Cap. III. §. 41. p. 57.

GENUS SECUNDUM.

OSSIUM CARIES.

§. 266. Quoties aliquam ob cauſam ſive externam, ſive internam oſſa patiuntur Inflammationem, eaque Inflammatio non reſolvatur, ſed abeat in ſolutionem continui cum effluxu cujusdam vitioſae materiei & majore vel minori deperditione ipſius oſſeae ſubſtantiae, toties illud malum ulcus oſſis, ſeu caries, appellatur (400).

Omnes itaque cauſae, quae oſſa in Inflammationem inducunt, etiam certis ſub conditionibus cariem generant: conditiones vero, quae ad cariem requiruntur, in diverſis ſubjectis videntur differre; videmus enim ſic ablato peroſtio, &, oſſe denudato aëris atmosphaerici actioni expoſito, in uno individuo ſequi cariem; dum in altero illa perioſtii laeſio nullos plane edat effectus (401).

Prognoſis hujus morbi pendet ab indole cauſae, quae cariem produxit; à ſede mali; à ſitu partium affectarum; ab illarum ſtructura; ab ambitu ulceris; ac demum ab aetate, viribus & habitu aegroti. Quae a cauſa externa na-

(400) Conf. WEIDMANN, *de Oſſium necroſi*, p. 6. & CALLISEN l. l. T. I. p. 422.

(401) Conf. B. BELL, *a Treatiſe on the Theory and Menagement of Ulcers*, Sect. VII. p. 274 & 275.

natales trahit ceteris paribus multo facilius curatur, quam quae a labe aliqua humorum fuerit nata; illa, quae occupat mediam oſſis partem, ubi ſubſtantia eorum reperitur magis compacta, longe facilius medetur, quam quae oſſium extrema, textura magis ſpongioſa praedita aggreditur, praecipue ſi ulcus verſus articulos haereat; quo altius caries ad oſſis ſubſtantiam penetravit, eo quoque eſt periculoſior; quo propius ad partes nobiles illud ulcus acceſſerit, eo certius & citius mortem infert; quo ambitus ulceris fuerit major, eo difficilius etiam illius parietes coaleſcunt, in prognoſi demum ad aegroti aetatem, vires & habitum plurimum eſt attendendum, ſi enim aegrotus antea non fuerit vegetus & robuſtus, effluxum materiae morboſae ſufferendo tantum non ſemper eſt impar.

§. 267. De cariei cura non niſi paucae regulae generales tradi poſſunt: ante omnia ſemper accuratiſſime in illius cauſam eſt inveſtigandum, niſi enim illa fuerit ablata, caries omnem ſanationem reſpuit: in univerſum tamen ſi cauſa fuerit externa, aut Scrofuloſa, vel &, ſi ſublata licet cauſa, nihilominus perſtet caries, Aſſa foetida ſumma cum ſanationis ſpe ſatis larga doſi exhiberi poteſt, ſaltem huc usque nullum cognitum eſt remedium, quod hoc in morbo majus praeſtat auxilium, illius ope Expert. BLOCK (402), inveteratas admodum caries ſanavit. Semel tractavi puellam ex metaſtaſi materiae Scrofuloſae carie

(402) Vid. J. L. SCHMUCKER, *Heelkundige Mengelſchriften*, ex verſione Expert. J. DAAMS. T. I. p. 151. & ſeqq.

rie femoris ſatis inveterata laborantem, eamque uſu Aſſae foetidae feliciter curavi; minime tamen ea in opinione verſor, hoc remedium ubique in carie convenire, nocet certe ejus uſus, quando os carioſum non adhuc ab omni Inflammatione eſt liberum, ubi aegrotus temperamento ſanguineo praeditus eſt, aut vitali latice abundat, quibus in caſibus vel ab illius uſu prorſus eſt abſtinendum, aut ſaltem in anteceſſum V. S. ceteraque cura antiphlogiſtica ad uſum illius medicamenti praeparari debet aeger; ſi e contra ab excretione materiae morboſae vis vitalis langueat, aut aeger juſto fuerit debilior, larga manu C. P. exhiberi debet; ſi denique dolor nimis urgeat, ad Opiata confugere medicum oportet, poteſt tamen in utroque ultimo caſu ſimul Aſſa foetida aegrotis propinari: pro uſu autem externo ulcus prius decocto C. P., aqua calcis; aqua picis liquidae &c. rite mundatum, dein unguentis leniter digeſtivis tractare, plurimum conducere docuit celebris anglus Chirurgus BELL (403).

§. 268. Quod ſi caries ſanari neſciat, ac os ea correptum ſine vitae jactura a reliquo corpore ſeparari haud valeat, ocius vel ſerius cetera organa in conſenſum rapiuntur, ſtimulo morboſo continuo in ea agente illa debilitantur, & eorum mutatur compoſitio, oriuntur corporis macies, debilitas, ac Febris hectica cum ſolitis hanc comitantibus ſymptomatibus. Obtinet ergo vera Phthyſis partis cujusdam durae; ſecreta materies fit admodum acris ac colo-

(403) Conf. l. l. p. 289. & ſeqq.

loris nigricantis, tandem illa ſecretio plane ſupprimitur; quae ſuppreſſio fere ſemper mortem imminere indicat, illa autem eodem modo, iisdem ſub phaenomenis, ac in Phthyſi partium mollium accidere ſolet.

GENUS TERTIUM.

LUES VENEREA.

§. 269. Hujus morbi prognoſin & curam ſilentio praetermittam, dum nuperrime GIRTANNERUS, in opere de morbis venereis ſatis abunde hanc materiem pertractavit; non poſſum tamen, quin in tranſitu tribus verbis notem, me de ratione, qui Mercurius Luem renercam ſanet, haud cum GIRTANNERO (404) facere poſſe, ſtatuit nempe memoratus auctor.

1°. Virus venereum in imminuta ſenſilitate, ſyſtematis abſorbentis conſiſtere.

2°. Mercurium vi quadam ſtimulante operari; quod nempe calx Mercurii in corpore humano decomponatur, Mercurius vivus per emunctoria e corpore exit, dum Oxygenium liberum redditum vaſis lymphaticis debitum reddat tonum; conſiſtit ergo juxta memoratum auctorem tota Luis Venereae curatio in eo, ut defectui Oxygenii ſuppeditando novam illius quantitatem occurratur. Sin autem hancce

(404) Conf. *Journal der Erfindungen, Theorien &c. Achtzehntes Stuck*, p. 126. & ſeqq.

ce ſententiam paulo accuratius perpendamus parum firmo talo illam niti, nobis patebit. An quaeſo gonorrhoea virulenta, cancri & bubones venerei nec non oculorum Inflammatio venerea imminutae ſenſilitatis ſunt indicia? nonne oſſium tenuiorum conſumtio, eorumdemque dolor, caries & fragilitas, quae totidem Luis confirmatae ſunt ſymptomata, e contra aperte demonſtrant, lymphatici ſyſtematis ſenſilitatem morboſe eſſe auctam? cur ſi Lues Venerea in imminutione vis vitalis conſiſtat, numquam ullum hujus morbi obſervatur ſymptoma in Febre putrida, ubi certe maxime languet principium vitale? cur ſi Mercurius ſuppeditando Oxygenium vim vitalem erigat, illius uſus in Febre putrida, ſimilibusque morbis ab omnibus practicis rejicitur? an Mercurius in Tetano, Hydrophobia, & Inflammationibus operatur incitando vim vitalem, ſeu vi quadam ſtimulante? an in iis, qui per longum tempus Mercurialibus uſi ſunt, vis vitalis deprehenditur aucta? an Hemoptoë abuſum Hydrargyri haud raro ſequens vis vitalis exceſſui debetur? taceo, quod in corpus animale, in quo ut ſupra vidimus, durante vita ſtricto ſenſu nulla actio chemica obtineat, aliquod pharmacum reſolutione mere chemica principiorum operari, vix videatur veroſimile: vides ergo, quantis difficultatibus prematur illa GIRTANNERI opinio; hinc ego potius putarem, ut aeque ac C. P. Febrim intermittentem imminentem non avertat, verum, illa jam jam praeſente, characterem febrilem tollat, ſic & Mercurius imminentem Luem non praecaveat, at, morbo venereo orto, deleat e glandulis conglobatis impreſſum a viro venereo characterem materiem analogam continuo ſecernendi. Sed in viam redeamus.

§. 270.

§. 270. Si vero venenum venereum topice haerens non enervatur, & e corpore eliminatur, tandem aſſimilatione inter virus venereum & partem abſorbentem degeneratam orta ab abſorbentibus id hauritur, & ad maſſam ſanguineam defertur, cum vitali latice per totum vehitur corpus, ac omnes partes eo inquinantur, imprimis ſyſtema abſorbens & ſecernens afficiuntur, convertuntur glandulae conglobatae quaſi in totidem organa virus venereum ſecernentia; ſyſtema tam abſorbens quam ſecernens a praeternaturali ſtimulo ad actionem concitata patitur motus abnormes, hinc materies morboſa metaſtatice ad varias corporis partes defertur, & oriuntur ulcera faucium, quae ſaniem ſtillant, proſerpunt, ac partes vicinas depaſcuntur, varia oſſa, imprimis tenuiora palati, oculorum, naſi, carie conſumuntur, unde viſus, olfactus ac loquelae naſcitur difficultas, aut defectus; cutis interſtinguitur maculis lividis dein rubeſcentibus, tandem cruſtoſis, ſcabie, ulceribus variis, naſcuntur dolor capitis intolerabilis & rheumatismus venereus, oſſium adeſt dolor, noctu exacerbatus, tument oſſa, oriuntur tophi nodi, gummata; demum ipſam firmitatem amittunt oſſa, fiuntque fragilia (405); de die in diem exacerbantur illa ſymptomata, & oritur denique Febris hectica, non, uti optime probavit GIRTANNERUS (406) ex reſorpto viro venereo, nam illud virus jam per longum tempus cum maſſa ſanguinea fuit commixtum, ſed ex ſtimulo morboſo

(405) Cf. CALLISEN l. l. T. I. P. II. p. 347. & OOSTERDYK l. l. Cap. LXXXI. §. 53. p. 256. & 257.

(406) Cf. l. l. Vol. I. T. IV. p. 203. & ſeqq.

boſo continuo ſolida irritante, cujus ſtimuli effectus eſt, ut ſolida plurimum debilitentur, illorum fabrica ingentem ſubeat mutationem, atque illa tandem tantam patiantur degenerationem, ut hujus ſequela numquam non ſit mors; quae ſimili modo ac in Phthyſi pedetentim vitam exſtinguit. Quin aliqnando, qui Lue venerea pereunt, ex vera Phthyſi moriantur, ubi nimirum aut Mercurialia, ac imprimis murias Oxygenatus Hydrargyri imprudenter ſunt exhibita, aut aegrotorum pulmones fuerunt jam antea ſolito debiliores; hi tamen caſus non ita frequenter occurrunt, & bis tantum eos obſervaverat BENNETUS, ut ex ejus ſcriptis patet: „ bis morbi indici virus in thoracis capacitatem refluum „ animadverti, conquieſcente ſignorum flagellantium ca- „ terva, quibus Lues ſtipata venit, immaniter vero ſaevien- „ te Phthyſi, unde anhelitus foetor nequiſſimus, ac pul- „ monum fere totalis per putredinem devaſtatio, quod ex „ aperto utriusque patuit cadavere (407)" Unde liquet, Phthyſin veneream rariſſime accidere ſed ſi contingat, eam magis ſaevire, omnique alia Phthyſi citius inferre mortem.

GENUS QUARTUM.

LEPRA.

§. 271. Forte minus recte in hoc ordine ille morbus eſt poſitus, ſed quum ſemper ulcera Febrim hecticam hunc mor-

(407) Cf. l. l. Cap. X. p. 34.

morbum concomitantem praecedant, nec aptiorem invenire potuerim locum, Lepram hic retuli. Leprae natura ſpiſſis obfunditur tenebris, ac parum certi de hoc morbo, tantum non apud nos obſoleto, novimus; deſcribam tamen breviter hunc morbum, prout apud optimos ejus commentatores invenerim, ac illius rationem agendi, quantum potero, addam. Prima Leprae ſymptomata ſunt mutatus cutis color in corporis parte, in qua malum erumpit cum partis affectae inſenſilitate, occupat promiſcue quidem omnes partes, ſed in nulla parte ſe prodit, quin ſequentes tres regiones ſimul infeſtet, nempe plagas pilis obſitas ſub axillis, regionem pubis, & omnium maxime nates, ubi muſculi glutei multa pinguedine tecta jacent (408): macula coloris eſt pallidi aut albi ad colorem flavum lividum, aut rubrum tendens; illa macula ſenſim increſcit, prodit nunc ſeſe etiam in aliis partibus malum, oritur deformitas faciei horrenda; genae rubrae, quae pedetentim coeruleum & lividum aſſumunt colorem, rugae frontis leoninae; viſus fixus, oculi rotundi; nares foetidae craſſae, intus obſtructae, cutis fit elephantina, dura, unctuoſa, aſpera, ſquamoſa, rugoſa, rimoſa, pilis deſtituta; maculae leproſae a facie per univerſum corpus ad plantae pedes usque erumpunt, quae in nodos & tubercula ſurgentes habitum mirifice deformant; univerſum corporis tegumentum turgeſcit, induratur, atque perſpiratio inſenſibilis fere penitus ſiſtitur, aegroti fiunt melancholici, viti

(408) Vid. G. G. SCHILLINGII de *Lepra Commentationes*, quem libellum edidit & cum praefatione donavit Celeb. J. D. HAHN, p. 10.

vitae pertaeſi, admodum ſalaces, dein tubercula abeunt in ulcera profunda putrida proſerpentia, oſſa naſi imprimis & digitorum redduntur carioſa, decidua, oriuntur nonnunquam tumores glanduloſi; ſanguis e vena detractus apparet diſſolutus, putridumque ſpirat halitum, naſcitur vox rauca naſalis, dyſpnoea, Febris hectica, quibus horrendis malis denique exoptata mors finem imponit (409).

§. 272. Morbus hic eſt contagioſus, & a parente ad filios tranſit, imo ad quartam generationem propagari poſſe perhibent (410). In praediſpoſitis prava diaetae, carnes ſemiputridae imprimis piſcinae, uſus aquae impurae &c. malum excitant, aut jam praeſens augent.

Leprae prognoſis eſt admodum ominoſa, imo Celeb. viri CALLISEN & JOANNIS (411) malum immedicabile cenſent, memorat tamen SCHILLINGIUS malum in initio curari poſſe, inveterato autem morbo debellando nullum remedium eſſe par (412) curationem praecipue per laxantia, purgantia, balnea tepida, ſudorifera, amaraque abſolvit vir egregius; omnia vero Mercurii praeparata hocce in morbo peſſime nocere, obſervavit (413).

§. 373.

(409) Cf. SHILLING l. l. CALLISEN l. l. T. I. p. 368. & *Medical Obſervations and Inquiries*, Vol. I. Art. XVIII. p. 201.

(410) Cf. SCHILLING l. l. §. XXXV. & ſeqq. *Medical. Obſervations and Inquiries* l. l. p. 204.

(411) Cf. *Med. Obſ. and Inq.* Vol. I. l. l. p. 206. & CALLISEN l. l. Vol. I. p 369.

(412) l. l. p. 36. & ſeqq.

(413) l. l. p. 41. & ſeqq.

§. 273. Cauſam autem hujus morbi proximam nimiam lymphae viſciditatem e craſſo ſanguine natam, & perſpirationis inde pendentem defectum eſſe, cenſet Cl. SCHILLINGIUS (414); per ſe patet, illam opinionem tum morbi ſymptomatibus, tum ipſis viri egregii obſervationibus contrariam in calculum venire haud poſſe; non interim ita facile fit in re obſcura in locum incongruae hypotheſeos aliam rei Naturae magis accommodatam ſubſtituere: in quantum tamen ex morbi ſymptomatibus concludere licet, veroſimile videtur, quod a parentibus character ille Leproſus infantibus imprimatur, id eſt, quod cum tenerrimis eorum corpuſculis communicetur talis ſolidorum diſpoſitio, qua apta fiunt ad Lepram producendam, ſi potentia quaedam morboſa acceſſerit; & ſane noſtra opinio confirmatur ex eo, quod teſte SCHILLINGIO (415) infantes a parentibus leproſis nati ſaepe nullam patiantur labem, alacres & vegeti creſcant ad pubertatem usque, quando cito lepra cum ſolitis phaenomenis ſeſe prodit, manifeſto, ſi quid video, indicio, neutiquam morbum qua talem, ſed tantum illius induci praediſpoſitionem, quin alio loco ipſe SCHILLINGIUS noſtram opinionem amplecti videatur, dicens „ infantibus, quorum parentes „ morbo hoc laborant, ſi ſanis nutricibus traduntur, ac „ in ſalubrem frigidioremque aërem transferuntur, ſaepe „ ab hoc morbo immunes manent etiamſi ejus ſeminium „ in ſe gerant, quod interdum poſt plures annos, cum „ eſſent

(414) Cf. l. l. p. 29.
(415) Cf. l. l. p. 29.

„ eſſent in calidam patriam reverſi, propullaſſe demum „ vidi (416)."

§. 274. Simili modo res ſeſe habet, quando morbus per contagium cnm ſano communicatur; tunc nempe etiam haud communicatur Lepra qua talis, verum unice illius imprimitur praediſpoſitio, atque ex hoc fonte videtur eſſe petendum, cur, non obſtante hujus morbi contagio, nihilo-ſecius foeminae ſi ſanae ſint, & juſta vitae, victusque regimine utantur, non tantum teſte SCHILLINGIO (417) diu ſaepe absque manifeſtis ſuſcepti veneni indiciis cum leproſis maritis vivere poſſint, ſed etiam obſervante JOANNIS (418): haud raro numquam Lepra afficiantur, quum ſcilicet, etiamſi a maritis cum conjugibus character leproſus ſit communicatus, tamen juſta illarum vivendi ratione impediatur, quominus illa praediſpoſita ſolida Lepram producere valeant.

§. 275. Quod ſi autem potentia quaedam morboſa acceſſerit, praediſpoſita ſolida in tales inducantur motus, quorum ſequela eſt ſecretio cujusdam peculiaris materiae indolis admodum venenatae, quam Leproſam dicimus; ſi nunc aegroti ſunt admodum robuſti, & vegeti, tunc quandoque ipſa Natura nulla arte adjuta morbum vincit, quo in caſu ſecreta illa mateties per vires Naturae medicatrices plane ſubacta e maſſa humorum ſeparatur, ab interioribus ad corporis ſuperficiem defertur, atque ibi in cruſtas

(416) Cf. l. l. p. 38.
(417) Cf. l. l. p. 34.
(418) Cf. l. l. p. 204.

ſtas commutatum ſquamarum ſpecie decidit. —— Atque hoc Judaeorum legislatori MOYSI jam ſuo tempore innotuerat, poſtquam enim (juſſu *Divino*) ISRAELITIS tales interdixiſſet cibos, quorum uſus ſub climate calidiori ſeminium Leproſum in actum ducere valebat, dein de ipſa Lepra, ſi ſcilicet per infortunium jam eſſet contracta, leges ſtatuens ſic loquitur: „ ſin autem illa Le„pra omnino in ejus cute efflореſcit, tenetque illa Lepra „ totam cutim affecti a capite usque ad pedes ejus, „ quocumque inſpicient oculi ſacerdotis. Si viderit, ſacer„dos, quod texit Lepra illa totam carnem ejus, tum „ mundum declarabit ille affectum, tota plaga mutata eſt „ in album, mundus eſt igitur (419)." Perſpexerat nempe vir callidiſſimus, hoc in caſu materiem Leproſam felici criſi ad ſummam cutim deponi, ibique a vaſis ſecernentibus in cruſtas efformari, quae paulatim deciduae morbum ſolvebant.

§. 276. Sed plerumque vires Naturae atrociſſimo illi veneno debellando haud ſunt pares, opponit tamen aſſidue ſe ei Natura, ac ejus reactione magna pars materiei morboſae metaſtatice ad aliquam corporis partem defertur, quae ſtimulo Leproſo brevi plane degenerata ſolita Leprae phaenomena exhibet, manente interim ad aſpectum ſatis ſano reliquo corpore, quod probatur non tantum ex corporis ſecretionibus, quae in principio morbi ſatis naturaliter peraguntur (420), ſola excepta urina, illa enim ſolet ab initio eſſe pallida, atque odore ſuae muriam, in qua hale-

(419) Cf. *Biblia Sacra Leviticus* Cap. XIII. vs. 12. & 13.

(420) Cf. SCHILLINGIUS l. l. p. 16.

leces conſervantur, exprimit (421); ſed etiam ex eo, quod, ſi membri affecti amputatio ad notabilem a parte corrupta diſtantiam inſtituatur, appareat, ceteras partes ſatis ſecundum naturam ſe habere; neque mirum, quum relicta veneni portio ſit adeo parva, ut illius effectus in reliquum corpus ſub noſtris ſenſibus non cadant; hinc tales aegri, ſi modo adhucdum juſto vitae victusque regimine uti velint, ſaepe per viginti annos ſatis commode vivere poſſunt; ſin e contra genio ſuo indulgentes regulas diaeteticas prorſus negligant, materies illa relicta acceſſu potentiae nocentis de novo quaſi animata nunc multo majore cum vi in ſolida agit, quae priori congreſſu jam debilitata novo inſultu reſiſtendo ſunt imparia, atque continuo ſtimulo morboſo incitata penitus degenerant; nunc demum depravati deprehenduntur ſecreti humores, ac intolerabilem ſpargunt foetorem (422); naſcitur porro Febris hectica & mors.

Quod autem Leproſorum moriendi ratio perfecte cum Tabidis & Phthyſicis conveniat, hoc aſſerere non auſim, memorat enim Cl. JOANNIS, foeminam cujus conjux ex Lepra perierat, ſibi retuliſſe, ejus maritum poſt labem contractam multo magis ad Venerem fuiſſe propenſum quam vigente illius ſanitate; quin viginti horas, antequam animam efflaret, ſe nolente, cum ipſa ſummo impetu plus quem ſemel coitum celebraſſe (423): an interim Tabe vel Phthyſi con-

(421) Cf. SCHILLINGIUS ibidem p. 19.
(422) Cf. SCHILLINGIUS l. l. p. 16.
(423) *Medical. Obſ. and Inq.* l. l. p. 208.

confecti nychthemeri ſpatio ante mortem coitum iterata vice inſtituere valerent, plurimum dubito.

ORDO SECUNDUS.

ATROPHIAE.

GENUS PRIMUM.

TABES.

§. 277. Si aliquam ob cauſam, ſolis ulceribus exceptis, nutritio minus rite procedat, ac corpus macie & debilitate conficiatur, hicce corporis ſtatus dicitur Tabes.

Ex hacce definitione apparet, omnia organa, quae corporis nutritioni inſerviunt, illius in cauſa eſſe poſſe: quidquid igitur deglutitionis nixum impedire, deglutitorum in ventriculum deſcenſum prohibere, actionem ventriculi & inteſtinorum in ingeſta infringere, ſyſtema abſorbens, ſanguiferum, & ſecernens morboſe afficere, viſcerum degenerationem producere, aut denique corpus noſtrum praeternaturaliter ſtimulare valet, id omne Tabem generare poteſt: poſſunt tamen Tabis cauſae, ſi ad illarum agendi rationem reſpiciamus, ad quatuor ſequentes reduci.

1°. Ad eas, quae Tabem inducunt tali depravata ſolidorum agendi ratione, cujus effectus ſunt ſic dictae humorum acritates. Huc pertinent omnes, quae vulgo ſub nomine Phthyſeos ſecundariae occurrunt, uti v. g. Scrofuloſae, Rha-

chiticae, Scorbuticae, Leproſae, Venereae &c., Tabes illa numquam non alius morbi eſt effectus ſeu ſymptoma, hinc jure merito ſymptomatica dici poteſt.

2°. Ad illas, quae a depravata actione cujusdam organi pendent. Hujus loci ſunt omnium viſcerum morboſae affectiones varicoſae (obſtructiones), depravatae ſecretiones, primarum viarum languor &c.

3°. Ad degenerationem ipſius organicae compoſitionis cujusdam corporis partis, cujus functio ad vitam ſuſtentandam eſt neceſſaria. Huc ſpectant organorum affectiones ſchirroſae, quae non ita raro occurrere, ex ſequentibus ſpeciminibus concludere eſt: Sic e. c., obſervante TULPIO, tumor durus inter oeſophagum & aſperam arteriam aliquando ſe inſerens primum coarctat & dein penitus occudat gulam, ita ut, denegato alimentis omni tranſitu, certo certius peſſumdet hominem (424) Similes caſus bene multos memorant Cl. VAN GEUNS & Cl. NAHUYS (425). Refert Cl. PRINGLE caſum viri cujusdam, Tabe defuncti, cujus in cadavere inveniebatur tumor durus glanduloſus, qui a medio oeſophagi ad cardiam usque adeo exacte replebat totum cavum, ut ſpecillum vix in ventriculum protrudi poſſet (426) Tumorem ſchirroſum partem ſuperiorem ventriculi occupantem obſervavit Cl. TAYLOR (427). Cl. SIMPSON in foemina, ob de

---

(424) Cf. Il. Lib. I. Cap. XLIV. p. 28. & duabus ſeq.
(425) *Act. Haërlemenſia* Vol. II. ab initio ad p. 323. usque.
(426) *Medical. Eſſays and Obſ.* T. II. Art. XXIV. p. 277.
(427) Ibidem p. 278. & ſeqq.

denegatum cibo & potui in ventriculum tranſitum vita orbata, invenit oeſophagum per totam fere ejus longitudinem a clavicularum regione ad ventriculum usque cartilagineum & adeo auguſtum, ut vix ac ne vix quidem ſetam porcinam transmitteret (428); lethalem fanam ex calloſa oris ventriculi anguſtia vidit Cl. TRILLERUS (429). Ventriculum ſchirro affectum conſpexerunt HALLERUS (430) & RUYSCHIUS (431) Pylorum anguſtum, ſolitoque duriorem, quive calamum ſcriptorium vix admittebat, in cadavere alicujus foeminae repperit STOLLIUS (432). Hepar totum quantum ſchirroſum invenit TISSOTUS (433). De omenti ſchirro meminit HALLERUS (434). Demum MORGAGNIUS (435) & WALTTHERUS (436), meſenterii glandulas induratas fere oſſeas,

(428) *Memoire de l'Academie Royale de Chirurgie* T. I. p. 489. edit. in 4to.

(429) Cf. l. l. Vol. I. Diſſ. I.

(430) *Obſ. Pathol.* Obſ. XXI. p. 44. & ſeqq.

(431) Cf. *Oper. Omn. Anato-Medico Chirurg.* Vol. I. Obſ. XXXIX. p. 38. Amſtelodami 1737. 4to.

(432) *Rat. Med.* P. III. Sect. V. Obſ. XVII. p. 276.

(433) Cf. *ejus Epiſtol.* ad ZIMMERMANNUM *de Morbo Nigro* &c. Obſ. III. p. 26.

(434) Cf. l. l. Obſ. XXV. p. 49.

(435) *De Sedibus & Cauſ. Morb.* Vol. II. Lib. III. Epiſt. XXXIX. Art. VI. p. 317. & 318.

(436) *Von der Einſauging und der durchkreuſing der Sehnerven* §. 51. Berlin 1794. 8vo.

ſeas, ac intus ſubſtantia quaſi calcarea refertas ſeſe inveniſſe, memorant.

4°. Ad potentias nocentes, quae continuo ſtimulando in corpore ceterum ſano Febrim Hecticam & Tabem producunt. Huc referri debent vermes & calculi.

§. 278. Tabis prognoſis in univerſum eſt ominoſa: in prima ſpecie ſive Tabe ſymptomatica pro vario morbo, cujus conſtituit ſymptoma, ac pro vario illius gradu majus vel minus vitae imminet periculum, in ſecunda ſpecie, ſi a viſcerum affectionibus varicoſis (obſtructionibus) aut a primarum viarum languore fuit orta Tabes, ſique in initio juſta inſtituitur curatio, plerumque illa medelam admittit; aliquando tamen praeſertim ſi corporibus Baccho vel Venere exhauſtis iſta mala contingant, illa reperiuntur lethalia: ſin e contra a depravatis ſecretionibus Tabes fuerit nata, plerumque obſervatur lethalis, ſaepe tamen, ſi aegroti artis praeceptis accurate obediunt, & morbus non admodum fuerit provectus, etiam ſanitas priſtina redit; tertia ſpecies eſt plane immedicabilis, ac ſemper ocius vel ſerius miſeros necat. Probant hoc ſupra allatae obſervationes, quarum eventus numquam non fuit lethalis; quin adeo atrox ſit illa tabis ſpecies, ut ſaepe ne quidem curam palliativam inſtituere valeat medicus, imprimis ubi ob oeſophagi aut ventriculi degenerationem tranſitus aſſumtorum verſus inteſtina occludatur: miſerandum ſane eſt ſpectaculum, qui cibos, hauſtus, & omnia vitae oblectamenta imperioſa fames ſimul faſtidiat & poſcat; & ad vitam ſuſtentandam ne minimam quidem panis buccellam ingerere amplius valeant miſeri, qui itaque tandem, per longa jeju-

junia, fractis & confectis prorſus viribus, ſummo gradu tabide pereunt.

§. 279. Moriuntur itaque Tabe confecti, quorum primae viae ſunt imperviae; an autem, ſi ſano homini omnis cibus & potus denegaretur, ille etiam ſemper tabidus moriretur? hoc non facile aſſeruerim, e contra nobis videtur memorato in caſu moriendi ratio non eſſe certa, ſed diverſis in ſubjectis diverſa, ita tamen, ut plerique eorum, quibus omnis cibus & potus denegantur, ſatis adhuc obeſi motibus convulſivis e medio tollantur (437); attamen ſi aetate fuerint provectiores, aut ſi unice cibus iis ſubducatur, ſaepe per longum tempus adhuc protrahitur vita, & demum tabidi ſuccumbunt (438) quin referat Cl. VOLTELEN caſum foeminae, quae per ſeptem annos ſatis vegeta ſolo potu vixit, ac certe diutius adhuc vitam protraxiſſet, niſi morbo fuiſſet peremta (439), hi caſus interim rariſſime occurrunt.

Rationem vero moriendi illorum, qui convulſionibus ſuccumbunt, non determinare auſim, eoque minus quum & illa diverſis in temperamentis forte non ſit eadem; praeſtat igitur, dum ſufficiens obſervationum copia hac in re de-

(437) Vid. MORGAGNE l. l. T. II. Lib. III. Epiſt. XXVIII. Art. V. & VI. HALLER *Obſ. Pathol.* Obſ. XXIV. p. 48. & 49.

(438) RUYSCHIUS l. l. T. I. Obſ. LXVIII. p. 64. BONNETUS *Sepulchret. Anat.* T. II. Lib. III. Sect. II. Obſ. XVIII. p. 21. J. F. VOLTELEN *Diatribe Medica memorabilem ſeptennis apoſitiae Hiſtoriam exhibens* Cap. VI. p. 118.

(439) Ibidem capita quinque priora.

deſideretur, nihil certi pronunciare, ſed potius rem in medium relinquere.

In quarta demum ſpecie; ſi vermes in ejus fuerint cauſa, iis expulſis, ſatis cito priſtina redit ſanitas; quod ſi e contra Tabes a calculo naſcatur, prognoſis eſt ominoſa, ac plerumque ejusmodi Tabes morte terminatur; pro aegroti tamen habitu, ac pro calculi ſede & mole de vita magis vel minus periclitantur aegroti.

GENUS SECUNDUM.

ICTERUS.

§. 280. Quotiescumque vel a bile per vaſa lymphatica hepatis ad ſanguinem delata, vel a ſtimulo alio quocumque ſolida ita afficiuntur, ut naturalis Corporis Humani color in flavum, bilis colori ſimillimum, viridem ſubinde, aliquando & ſubnigrum mutetur, toties illa morboſa affectio dicitur Icterus.

Quemadmodum omnium fere morborum theoriae huc usque aut acritatibus, aut obſtructionibus nituntur, ſic etiam practici in determinanda Icteri cauſa proxima de obſtructionibus cogitaverunt, aſſumſeruntque, eam eſſe impeditum effluxum bilis ex veſicula fellea in inteſtinum duodenum, imprimis obſtructione ortum; CULLENUS interim, quum in Ictericis haud raro alvum naturaliter bile tinctam, imo aliquando vomitum materiae bilioſae obſervaſſet, pro acri, quo pollebat, ingenio, optime perſpicie-

ciebat, impeditam bilis in duodenum evacuationem non ſemper in Icteri eſſe cauſa, attamen ut ad ſtabilitam theoriam Naturae operationes accommodaret, ſtatuit, Icterum duplici modo oriri poſſe aut nempe impedito bilis in canalem cibarium tranſitu, aut illius abſorptione in cavo inteſtinali, quando ſcilicet in illud bilis ſolito majori copia evacuabatur, addidit tamen, ultimam cauſam raro accidere (440).

§. 281. Hanc autem opinionem cum Naturae phoenomenis haud congruere, niſi fallor, ſequentia demonſtrant.

1°. Si vaſa abſorbentia veſiculae felleae bilem qua talem aſſumere valeant, cur non ſemper illam hauriant, quum in ſtatu ſano numquam non inſignis bilis copia in cyſtide contineatur.

2°. Dum ergo, uti ex allato argumento liquet, vaſa abſorbentia id non efficiant, ac nihilominus juxta vulgarem opinionem impeditus bilis cyſticae in duodenum effluxus plerumque Icteri ſit cauſa, neceſſario ſequi debet, ut cyſtis in Ictericis ſemper inſignis bilis copia praeternaturaliter repleta inveniretur, contrarium autem ſaepiſſime accidit

3°. Quod ſi ab impedita bilis evacuatione, & ab ingente ejus in veſicula fellea collectione Icteri origo praecipue eſſet petenda, hydrope veſiculae felleae laborantes, ubi cyſtis maximopere reperitur diſtenta, etiam Ictero ſummo gradu afficerentur, interim obſervationes docent, in iis ſaepiſſime ne minima Icteri indicia adeſſe (441).

4°. In

(440) Cf. l. l. Vol. IV. P. III. Cap. IV. §. 1817.

(441) Debeo haecce argumenta Celeb. RICHTERO, qui ſaltem

 pro

4°. In Cyſtide ſaepe ingens quantitas calculorum poſt mortem fuit reperta, absque ut unquam vel minimum Icteri indicium apparuerit (442).

5°. Veſiculam felleam, ductumque cyſticum obſtructa & plane impervia fuiſſe absque Ictero, multis exemplis probavit Ill. MORGAGNIUS (443).

6°. Quin RICHTERUS ſummum Icteri gradum in foemina obſervaverit, color ejus accedebat ad nigrum, urina erat fuſco flava, foeces alvinae bile tinctae, imo aderat vomitus bilioſus, inciſo interim cadavere patuit; veſiculam felleam hoc in corpore prorſus deſiderari (444).

7°. Nec deeſt caſus, qui extra dubium ponit, tum vaſa lymphatica cyſtidis bilem ex cyſtide non abſorbere, tum ductu cyſtico licet penitus obſtructo, haud Icterum inde oriri: refert enim Cl. GIBSON caſum de puero duodecim annorum, qui delapſus ex alto in hypochondrio dextro gravem acceperat contuſionem, & tandem poſt varia mala perpeſſa Hydrope perierat. „ Aperto cada-„ vere

---

pro parte nobiſcum facere videtur. — Mediciniſche und Chirurgiſche bemerkungen — ſeite LIX. & LX. Mir iſt eſt wahrſcheinlich, das die gewönhlichſte urſache der gelbſucht ein Reitz iſt, der auf das Gallenſyſtem wirkt, und den zuflus, die abſonderung, und die Auſſonderung der Gallenfeuchtigkeiten hinderd, daſs ſie nicht nach den Geſetzen der Gezundheit an den Ort irher Beſtimming gelangen, ſondern der Maſſe der ſäfte wieder beigemiſcht werden.

(442) Cf. MORGAGNE l. l. T. II. Lib. III. Epiſt. XXXVII. Art. 18, 19. & 20. HALLERUS *Opuſc. Pathol.* Obſ. XXXIII. Hiſt. VII. & XI.

(443) Ibid. No. 31, 32, 33, 34. & 37.

(444) Cf. l. l, Cap. XI, p. 54, 55. & 61.

„ vere inventa fuit veſicula fellea molis prodigioſae, „ octo libras bilis ſolito ſpiſſioris continens; ex qua jam „ varii ſacci concentrici formati fuerant, quorum unus „ alterum excipiebat, omnes cyſtidis figura interna erant „ donati, ac unice invicem differebant, quod nimirum eſ„ ſent tanto firmioris conſiſtentiae, quanto magis propin„ qui erant cyſtidis lateribus; iſti autem, qui verſus cen„ trum cyſtidis haerebant, erant teneriores, & minus opaci, „ ductus communis choledochus ſolito amplior erat, re„ pletus parvis & ſpongioſis calculis coloris flaveſcentis, „ qui aquae immiſſi innatabant; dum interea, durante toto „ morbi decurſu, nullus color ictericus in cute fuit obſer„ vatus (445). Non dubito itaque ex his omnibus una cum MORGAGNIO concludere, obturato collo veſicae felleae, non ſequi Icterum, niſi ſimul quoque ductus communis obſtruatur (446), quod tamen non ita ſaepe accidit: ſunt ergo calculi in veſicula fellea haerentes eatenus tantum ceu Icteri cauſae conſiderandi, quatenus cyſtidem irritando, aliquando ſtimuli adinſtar in organa bilem ſecernentia agunt, ulteriorem ſecretionem inhibent, eorum oſtia ſpaſtice contrahunt, bilis effluxum ex iis impediunt, ac vaſa abſorbentia, quae teſte SOEMMERINGIO (447) in ipſa hepatis ſubſtantia admodum numeroſa dantur, ita dis-

---

(445) Cf *Medical Eſſays and Obſervat.* Vol. II. Art. XXX. a p. 299. ad 304.

(446) Ibidem Art. 10.

(447) Cf. *de Morbis vaſorum abſorbentium Corporis Humani Part. Pathol.* §. 44. p. 120.

diſponunt, ut jam a ſanguine ſecretam, & in ductibus biliferis remorantem bilem hauriant, atque per ductum thoracicum ſanguini reddant.

§. 282. Nec ad Naturae phaenomena explicanda ſufficit CULLENIANA Hypotheſis, fore, ut ſcilicet aliquando bilis, majori copia ad cavum inteſtinale allata, ibique ab abſorbentibus hauſta, Icterum excitaret: praeterquam enim quod illa non eſt niſi mera aſſumtio, quaeque nullis plane nititur obſervatis, in ſtatu ſano numquam non magna bilis quantitas in inteſtinis adeſt, poſſunt ergo ſemper bilem attrahere vaſa lymphatica, ſi nempe bilem qua talem aſſumere ſunt paria, ſed quamvis ponamus, bilem ex cavo inteſtinali a lymphaticis auferri, minime tamen inde oriretur Icterus, quum illa vaſa per multas glandulas adhuc tranſire debeant, antequam ſe ductui thoracico inſerant, ſicque ergo ob vim aſſimilandi, qua iſtae pollent, una cum ceteris liquidis in humorem homogeneum mutaretur abſorpta illa bilis, ac impediretur, quominus noxios effectus praeſtare poſſet.

§. 283. Conſtat igitur non, ſicuti vulgo putatur, bilem cyſticam ſed ſolam bilem hepaticam Icterum producere: illa vero operatur vi ſtimulante, qua ſolida in certos motus inducit, quorum effectus eſt, ut ſecernatur materies peculiaris, Icterica dicta, quae pro varia agendi ratione aut totius corporis peripheriam, aut tantum illius partem colore flavo, viridi vel & nigro induit; hinc non tantum a bile, ſed etiam a bene multis aliis ſtimulis absque ullo bilis in ſanguinem refluxu vaſa ita poſſint diſponi, ut totum ſyſtema ſanguiferum quaſi in organum bilem praeparans mutetur, quod ex ſequentibus videtur elici poſſe.

1°. Ut

1°. Ut Icterus a bilis refluxu naſci poſſit, requiritur ſufficiens tempus, ut ea copia in maſſa humorum occurrat, quae ſufficit ad inquinandum corpus univerſum; quum reſorpta bilis ſolitam viam per ductum thoracicum legens, guttatim & bene multis aliis liquoribus mixta ſanguini admiſceatur, hinc etiam per aliquot dies ante obortum Icterum nonnulla incommoda jam perſentit aegrotus. Quum autem a terrore, ira, morſu ſerpentum, venenis, variisque morbis uno quaſi momento oriatur Icterus, certe hujus cauſa a bile in ſanguinem refluente non facile admitti poteſt.

2°. Symptomata, quae aliis in caſibus futurum Icterum praeſagire ſolent, uti anxietas ad praecordia, dolor & tumor hypochondrii dextri, appetitus proſtratus, doloresque colici, his in caſibus ut plurimum plane deſiderantur, optimeque ſe habent hypochondria, indicio, hic nullam labem hepatis vel ductuum biliferorum in Icteri eſſe cauſam.

3°. Nec minus differunt ſymptomata, quae durante morbi decurſu obſervantur, etenim nullus ad hepatis regionem doloris aut ponderis eſt ſenſus, haud albicant excrementa, alvus non eſt conſtipata, facile & saepe plus ſolito fluit, libera ex hepate, & veſicula fellea ad duodenum eſt via; imo non raro ipſi vomitus bilioſi obſervantur, nihil igitur impedit, quominus bilis ad duodenum tranſire posſit (448).

4°. Re-

(448) Conf. STOLL l. l. P. III. Sect. V. Obſ. III. p. 248. & ſeqq. nec p. 256. & BURSERIUS l. l. Vol. IV. Cap. XIII. §. 161.

4°. Requirunt etiam tales Icterici longe alia remedia, ac vulgo hoc in morbo commendari ſolent, ponamus v. g. morſum ſerpentis Icterum produxiſſe, incidentia ſaponacea, antiſpasmodica, opiata tunc nihil efficient, dum e contra pharmaca, quibus venenum enervatur, ac illius noxii effectus in corpus humanum inhibentur, hic egregie conducunt; indicio, Icterum his in caſibus eſſe derivandum, non a ſtimulo organorum biliferorum actionem turbante, ſed ab alio directe in ſyſtema ſanguiferum agente.

5°. In cadavere foeminae, quae ex morbo regio cum hydrope juncta mortem fuerat paſſa, „ invenit TUL„ PIUS hepar aridum, atrum, exſuccum, & inſtar cor„ rugati corii ita in ſe contractum, ut vix aequaret genui„ num pugnum (449): " talia exſucca, & arida jecinora aliquoties in cadaveribus Ictericorum etiam ſe obſervasſe, teſtatur SWIETENUS (450), unde manifeſte patet, illos homines morbo regio laboraſſe, non ex refluxu bilis in ſanguinem, ſed ex alio ſtimulo morboſe ſolida afficiente.

6°. Icterum absque bilis refluxu oriri poſſe, veteribus jam cognitum erat, etſi illius cauſam minus rite perſpexerint, quum citra hepatis aut bilis culpam univerſam cutem, ſalivam, aliosque corporis ſuccos flaveſcere poſſe, ſcripſerint non tantum, ſed etiam ſymptomata, quorum ope binae hae Icteri ſpecies a ſe invicem dignoſci poterant, accuratiſſime delineaverint, manifeſto indicio, illam Icteri di-

(449) Conf. l. l. T. II. Cap. XXXVI. p. 151.
(450) Conf. l. l. T. III. §. 950. p. 143.

diſtinctionem revera in Naturae obſervatione eſſe fundatam (451).

§. 284. Syſtema vero ſanguiferum ſive a bile, ſive ab alio ſtimulo certo & determinato modo affectum, ruit in inordinatos motus, quorum ſequela eſt, ut per totum ſyſtema ſanguiferum humor biliformis ſecernatur. Quod autem tali modo res ſeſe habeant, & color ille flavus cutis non ſit ex reſorpta bile hepatica, ſed ex humore biliformi, depravata ſolidorum actione ſecreto, evincitur non tantum ex iis caſibus, quos ſupra ex TULPIO & SWIETENO retuli, in quibus, jecinore arido & exſucco, omnes C. H. partes ſaturatiſſimo bilis colore eſſent tinctae; ſed imprimis hoc pateat ex illis, ubi ductus cyſticus, hepaticus, & choledochus impervii fuerunt per totam longitudinem, atque occluſi materia ſolida, calculoſae duritiei, ac nihilominus alvus pigra flava vel & aeruginoſa fuit (452). Nulla bilis hic ad canalem cibarium pervenire potuit, via ſcilicet penitus occluſa, quod & inſuper alvi pigritia probat; nil ergo reſtat, niſi quod aſſumamus, per degeneratam ſolidorum ſtructuram ſuccum entericum biliformem fuiſſe ſecretum, cujus ope memorato colore foeces ſunt imbutae; & ſane illa explicatio videtur confirmari ex eo, quod in Ictero

(451) Conf. BONNETUS, *Theſ. Med. Pract.* T. II. Lib. IV. Cap. XLIX. p. 855. nec non R. VOGEL l. l. §. 633. & BURSERIUS l. l. T. IV. §. 157. ubi multi citati inveniuntur auctores; quorum ex ſcriptis res probari poteſt.

(452) Conf. STOLL l. l. P. III. Sect. V. Obſ. V. p. 153. & ſeqq.

ro provectiore, uti in poſterum viſuri ſumus, omnes ſecreti humores flavo colore inquinentur.

§. 285. Quum vero effectus ſemper obſervantur ratione compoſita ſtimuli applicati & organorum ſtructurae, facile explicari poteſt, cur ſaepe non totum corpus, ſed ſola facies, & imprimis tunica albuginea oculorum flavo colore ſit perfuſa; cur aliquando Icterus ſolummodo dimidium latus occupet; hinc demum explicandum videtur ſingulare illud phaenomenon, quod ex N. C. ephemeridibus refert BURSERIUS, de Icterico nempe quadragenario, cui facies tota usque ad guttur virebat; dextra autem corporis pars nigreſcebat, & ſiniſtra flaveſcebat; dum ſcilicet idem ſtimulus a diverſa organorum reactione varios poſſit edere effectus; dum unus idemque ſtimulus, partibus eadem ſtructura gaudentibus inaequali vi applicitus, in illis ſymptomata aliquatenus diverſa producere valeat; dum tandem omnes Icteri ſpecies invicem ſolum gradu differant. Ex eodem fonte quoque peti debet, quare, ſola excepta urina, in Icteri initio ceteri ſecreti humores aeque ac in ſtatu naturali ſeſe habeant, ſaltem in iis non notabilis cernatur differentia, ac matris aut nutricis lac, Ictero licet laborantis, absque damno tenellus haurire queat, dum nempe reliquorum organorum ſecretoriorum compoſitio impedit, quominus aeque facile ac ſyſtema uropoïeticum a potentia nocente affici poſſint; accedit inſuper, quod ſemper viribus Naturae medicatricibus materies morboſa pro parte e corpore eliminetur, ac quod illius excretio plerumque fiat per urinam (453). Quod ſi vero morbus regius aut per lon-

(453) Conf. *Act. Serv. Civib. Dicat.* T. XII. P. I. §. 20. p. 13.

longum tempus perſiſtat, aut juſto fuerit gravior, tunc ſaliva, ſudor, adeps, uno verbo omnes ſecreti humores colorem flavum aſſumunt, muſculi, viſcera, cartilagines, imo ipſa oſſa reperiuntur flava (454), quin ipſe vitalis latex totus quantus mutetur quandoque in humorem quaſi bilioſum: tales caſus, ubi nimirum ſanguis fellis adinſtar in liquorem flavum biliformem erat converſus, memorat MORGAGNIUS (455), illos autem omnes fuiſſe lethales per ſe ſatis intelligitur.

§. 286. Orto itaque Ictero, materies illa biliformis ſtimulat continuo ſolida, hinc vires Naturae medicatrices mox illius expulſionem experiuntur, unde urinae turbidae, croceae, aut ex fulvo flaveſcentes; ſi autem cauſa Icteri fuerit remotu facilis, hac remota, ſaepe ſponte quaſi ejus effectus, ſive Icterus evaneſcit; e contra aliquando Icterus per vices accedit, ac licet videatur ſanatus, tamen per paroxysmos recurrit; quod ſingulare ſane phaenomenon videtur eſſe explicandum partim ex eo, quod ſtimulus ille, qui ſolida ad ſecretionem humoris biliformis diſponit, non ſemper, ſed per intervalla agat, partim & praecipue exinde, quod ſi morbus regius iterata vice hominem infeſtet, illius ſolidis imprimatur quaſi character ſolita periodo humorem biliformem praeparandi.

§. 287.

(454) Conf. VOGELIUS, *Praelect. Acad.* §. 632. p. 528. BURSERIUS l. l. Vol. IV. Cap. XIII. §. 160. in nota, & STOLL l. l. P. III. Sect. V. Obſ. VII. p. 259 & 260.

(455) Conf. MORGAGNE l. l. T. II. Lib. III. Epiſt. XXXVII. N. 7. & VOGEL l. l.

§. 287. Icteri prognoſis pro varia cauſa quidem differt, in univerſum tamen, ſi a refluxu bilis in ſanguinem fuerit ortus, ſi fuerit ſimplex, ſique corpus ſatis ſanum aggrediatur, is numquam mortem infert, ſolo excepto illo caſu, ubi ab obſtructione ductus choledochi morbus oritur, quo in caſu niſi Naturae viribus, vel calculus expellitur, vel ductus ita dilatatur, ut juxta calculum bilis ad canalem cibarium libere tranſire poſſit, actum eſt de vita, ac morbus non niſi morte ſolvitur; ſin e contra absque bilis refluxu producitur morbus regius, nil certi de illius exitu determinari poteſt; eſt enim tunc ſemper Icterus non niſi alicujus morbi ſymptoma, differt igitur & ille pro vario morbo, & pro vario ſubjecto, quod affligit ille morbus; generatim tamen Icterus ſymptomaticus morbo regio a refluxu bilis nato reperitur periculoſior; imprimis Febris ad hunc Icterum plerumque accedens ſemper male ominatur, ita quidem, ut Icteros febriles aut pernicioſos, aut perquam periculoſos viderit STOLLIUS (456), cujus ſententiam BURSERIUS (457) & GRAEUWEN (458), ſuis obſervationibus confirmant. Notandum tamen, non omnes Icteros, qui Febribus ſuperveniunt, eſſe ſymptomaticos, ſed illos etiam aliquoties ex perturbata criſeos actione oriri; hinc dicit HIPPOCRATES: „ quibus per Febres morbus „ regius ante diem ſeptimum obortus fuerit, malum

(456) Conf. l. l. P. III. Sect. V. Obſ. II. p. 244. & ſeqq.
(457) Conf. l. l. Vol. IV. Cap. XIII. §. 159. p. 458.
(458) Conf. *Act. Serv. Civib. Dicat.* l. l. p. 127.

„ lum (459)" quum ſcilicet criſis die illo accedere ſoleret. Hanc vero fuiſſe mentem venerandi Medicinae Parentis patet imprimis; ſi allatum locum cum alio comparemus, ubi ſapientiſſimus ſenex ſic loquitur: „ in bilioſa „ Febre morbus regius ante diem ſeptimum cum vigore „ accedens febrim ſolvit, citra rigorem vero intempeſtive „ obortus, lethalis (460)," rigores enim accedentes indicant perturbationem aliquam criticam: jure ſuo igitur dicit magnus HIPPOCRATIS interpres DURETUS: „ at ſane Ictericis bene eſt ab Icterico critico, qui attulit finem „ Febris, a ſymptomatico autem male: quoniam nulla „ επιγενεσις vel συμπαθεία, deducit cauſam morbificam, „ ſed multo majorem ſubeſſe teſtatur (461)."

§. 288. Icterus autem tum primarius, tum ſymptomaticus ſolvitur urina turbida craſſa & copioſa; ſudore craſſo foetido flavo, diarrhoea, fluxu haemorrhoïdali, metaſtaſi materiae morboſae verſus alium locum (462), eſſloreſcentiis ſcarlatinis aut miliaribus (463), eruptione materiae ſingularis gruti quaſi aut milii calculoſi, quem ſane mirabilem eventum, a Cl. VOLTELEN obſervatum, publici juris fe-

(459) Conf. *Aphoriſ.* Sect. IV. p. 64.
(460) Conf. *Opera omnia*, ex Edit. VOESII, *de Vict. Rat. in Morb. Acut.* N. 54.
(461) Vid. DURETUS, *Comment. in Coacas Praenot.* p. 369.
(462) Conf. STOLL, *Rat. Med.* Obſ. XVIII. p. 276.
(463) Ibidem Obſ. II. p. 267.

ſecit inclytus Haganus Medicus GROEN (464), caſus erat ſequens: foemina quaedam nobilis varia paſſa mala tandem in Icterum periodicum incidit, cui emollientia, carminantia, antiſpasmodica, & anodyna fruſtra ſunt oppoſita, ad omnia rebellis erat Icterus, ac aegra de die in diem magis debilitabatur. Tali ſub rerum conditione vocatus Cl. VOLTELEN ſuſpicatus fuit, calculum in cyſtide latitantem in cauſam eſſe hujus Icteri, hinc, aegra in anteceſſum aliquantulum roborata, illi celebre DURANDE remedium, ex Aetheris & olei Therebinthinae ad partes aequales conſtans, fuit propinatum tali quidem cum eventu, ut poſt dolores in variis corporis partibus, praecipue in extremis ad articulos ortos ad illa loca tandem materies quaedam calculoſa fuerit depoſita cum inſigni aegrotantis levamine: — „ docuit autem diligens obſervatio (ſic loquitur Cl. VOLTELEN) poſt novum quemlibet Icteri „ acceſſum ejusmodi fieri depoſitionem; hanc autem conſtanter praecedere pruritum moleſtum iis in locis, ubi „ futura eſſet, conſpici tandem puſtulam perexiguam flavicantem, mox magnitudine & duritie augendam, quae „ ſi forte ſub ortu aperiatur, priusquam conſiſtentiam nacta fuerit, humorem fundit lentum, tenacem, flavicantem, acrem, qui cutem circumjacentem rodit, denique ad iſta potiſſimum loca fieri ſolet, ubi preſſio quaedam partes conſtrinxit: ſic e. c. digitus annulo cinctus „ circulum oſtendit flavo primum humore notatum, dein „ qua-

(464) Conf. ejus egregiam Diſſertationem *de Calculorum Geneſi* &c. publice defenſam, L. B. 1788. p. 60. & ſeqq. 4to.

„ quadam quaſi incruſtatione circumdatum. Inter haec uri„ na, copioſo, aerenoſo, flavicante, ſedimento foeta, per „ plures dies excernitur — praeventi paroxysmus potuit „ aliquoties forti equitatione, excitato largiori lotii flu„ xu craſſi, turbidi per aliquot dies, cutanea quoque erup„ tione eodem tempore — nullo in foecibus aut nunc aut „ olim calculo detecto, ſub continuato remedii uſu erup„ tio plane deſiit. Urina autem continuo emiſſa flavican„ te, craſſo & aerenoſo ſedimento gravida."

§. 289. Jam vero ex hacce hiſtoria concludit Doct. ille vir, calculum biliarium revera hic adfuiſſe, ac illum, per memoratum remedium ſolutum, benigno Naturae molimine ad corporis ſuperficiem fuiſſe delatum, illudque ergo remedium vi calculum biliarium ſolvendi gaudere. Etſi vero ſymptomata tantum non omnia, quibus vulgo calculi fellei dignoſci ſolent, hoc in caſu adfuiſſe, haud negemus; ſunt tamen bene multa, quae impediunt, quominus cum Doct. viro facere poſſim, certum enim calculi biliarii ſignum proh dolor huc usque deſideratur, poſſuntque omnia, ipſo viro egregio teſte, falli (465). Inſuper, ſi morbi hiſtoriam exacte perpendamus, in Icteri cauſa calculum biliarium fuiſſe, non facile aſſerere vellem, ex allatis nimirum conſtat, quod calculi fellei, quamvis ductum cyſticum plane impervium reddant, tamen per ſe Icterum numquam producant, eumque morbum non niſi perturbando ductuum biliferorum actionem excitent; ſi autem ab illius ir-

(465) Conf. l. l. p. 65. & ſeqq.

irritatione naſcatur bilis refluxus, certe quidem oritur Icte-rus, ſed tunc ſemper Icterico habitu plus minus perfuſi deprehenduntur aegroti, dum cauſa irritans hoc in caſu numquam ceſſat. Novi quidem, practicos memoriae prodidiſſe, periodicos Icteros a calculo felleo ſeſe obſervaſſe, ſed ut videtur, ſola hypotheſi ductos; calculos enim felleos ſaepiſſime absque Ictero adfuiſſe, dubio caret omni; quanto igitur cum jure iis in caſibus, ubi calculi cyſtici morbum regium concomitantur, illi pro Icteri cauſa haberi ſemper poſſint, id ſane non perſpicio, nec ullam vidi rationem, cur non aeque in hominibus calculo felleo laborantibus, ac in ſanis a ſtimulo toto coelo a calculo felleo diverſo etiam poſſit oriri Icterus; e contra videtur maxime veroſimile, his in caſibus periodicum Icterum a calculis biliariis haud duxiſſe originem; verum ab alia cauſa fuiſſe natum, quum calculus felleus qua talis morbum regium numquam generet; quumque inſuper, ubi Icterum producit, morbus regius ſanari neſciat, at continuo perſiſtat. — Requiritur itaque ad Icterum a calculo felleo ortum, ut numquam non a morbi initio ad finem usque majori vel minori gradu malo Icterico detineantur miſeri, ſaltem caſus, quo conſtat, contrarium quoque locum habere poſſe, exſtat adhuc nullus; interim noſtro in caſu, deſinente paroxysmo, & ipſe Icterus evaneſcere ſolebat. Haec tamen non eſt unica ratio, cur putem, Icterum hunc a calculo non fuiſſe natum. Lego inſuper, imminentem paroxysmum forti equitatione etiam poſſe praeverti; equitationem interea gaudere facultate impediendi, quominus calculus felleus irritet, eaque irritatione Icterum producat, certe non facile quis aſſeret. Porro conſtat ex tota morbi hiſtoria

aegro-

aegrotam variis morbis jam debilitatam in Icterum incidiſſe, videtur itaque admodum probabile, noſtro in caſu morbum regium, una vel altera vice a cauſis accidentalibus generatum, tandem debilitatis ſolidis impreſſiſſe characterem certa & determinata periodo humorem biliformem praeparandi, quod ſaepe fieri, practici auctores norunt omnes. Hinc ſi quis plus ſemel Ictero laboravit, illi Icterus quaſi habitualis fit. Si demum ad ipſam eruptionem paulo accuratius attendamus, quantam convenientiam inter illam, & ceteras eruptiones exanthematicas non invenimus! ita quidem, ut inter illas nulla plane intercedat differentia niſi quoad ſecretam materiem. Jam vero ſupra de morbis exanthematicis agens, niſi fallor, probavi, materiem morboſam e maſſa ſanguinea viribus Naturae medicatricibus ſeparatam & ad corporis ſuperficiem delatam, a vaſis ſecernentibus ulterius ſubigi, deinde ex ea humorem peculiarem praeparari; ſymptomata autem plane ſibi ſimillima ſunt: quid ergo? quid aliud ex his concludi poteſt? niſi quod & hoc in caſu materies illa bilioſa per debitam ſolidorum actionem, praeſcripto remedio incitatam, etiam e vitali latice fuerit ſeparata, ſicque denique ſub forma puſtularum, liquore flavicante acri turgidarum, ſeſe ad ſummam cutim manifeſtaverit. Quod vero materies illa mox in cryſtallos ſeu in concrementa biliaria abiret, nihil aliud demonſtrat, niſi quod ſolidorum actio jam adeo eſſet depravata, ut non amplius ſecerneretur bilis bonae notae, ſed ejus loco bilis depravatae indolis, ac mox cryſtalliſationem ineuntis.

§. 290. Ne objiciatur, ſucceſſum, quocum celebre DURANDI remedium exhibitum fuit, rem probare, ne

hilum quidem illius remedii ſucceſſus, levamenque, quod inde aegrota accepit, pro calculo felleo militat; licet enim facile largiamur, in Ictero periodico nonnullis ſub cautelis hoc pharmaco nil praeſtantius aegrotis exhiberi poſſe, illud tamen aeque minus ac cetera facultate reſolvendi calculum felleum pollere, aſſerere non eſt, quod dubitemus; verum quidem eſt, quandoque ſub ejus uſu concrementa biliaria per alvum ejici, ſed & idem poſt vomitoria haud raro fieri, aſſerit CULLENUS (466), atque hoc egregio exemplo confirmavit Doct. VAN DEN WYNPERSSE (467); imo SWIETENUS refert „ſe curaſſe mu„lierem ſexagenariam, quae per duodecim annos labora„verat Ictero, initio quidem periodice recurrente, ſed ul„timo anno continuo perſiſtente, pertinaci uſu reſolven„tium imprimis ſucci graminis, ſeri lactis & ſaponis ve„neti, quo (ſic enim pergit) tandem incepit ſolvi im„pacta illa hepatis materies, & ſequutus fuit alvi fluxus „per integros ſex menſes durans, & cum levamine omnium „ſymptomatum, evacuabatur autem materia argillacea, „olidiſſima, granulis aſperis parvis, calculoſis undique „reſperſa (468)" non ergo ſi nimirum hac in re ab effectibus ad cauſas ſit concludendum, vis calculos felleos ſolvendi unice competit aetheri Vitrioli, verum illi cum emeticis, imo cum reſolventibus mitiſſimis iſta facultas eſt communis. Interim emetica vi calculos felleos ſolvendi

(466) Cf. l. l. §. 1825. p. 445.
(467) Cf. Act. *Serv. Civib. Dic.* T. XII. P. I. p. 284. in nota.
(468) Cf. l. l. T. III. §. 950. p. 130.

di gaudere, quis dixerit? quis affirmare vellet, ſuccum Graminis, Taraxaci, ſerum lactis, ſaponemque venetum tanta vi gaudere, ut per totum corpus vecta, inſignemque paſſa mutationem nihilominus adhuc concrementa biliaria admodum inveterata ſolvere poſſint? nonne ad haecce omnia attendens quisque mecum conſentiet, calculorum expulſionem potius eſſe adſcribendam benigno Naturae molimini; ejusmodi remediis rite ſtimulatae? Attamen, ut hac de re nullum plane ſuperſit dubium, directe probabimus, plane fieri non poſſe, ut a remedio quocumque calculus fellenis jam formatus reſolvatur: etenim, ingeſto remedio quocumque, hoc defertur ad ventriculum, illius actionem experitur, dein tendit ad inteſtina, ibique de novo a bile aliisque ſuccis tentatum, mutatumque tandem a vaſis obſorbentibus hauritur, abſorpto illo remedio, antequam ad ductum thoracicum pervenire poſſit; adhuc bene multas glandulas ſalutare debet; ac in iis inſignem ſubit mutationem; quod ſapientiſſime ita ordinavit Natura, ut ſi forte ſenſus ille, qui in abſorbentium oſtiis viget, fuit deceptus, tamen impediretur, quominus cruda, abſorpta licet; absque praevia aſſimilatione cum ſanguine commiſceri posſent; tunc demum cum bene multis aliis liquoribus mixtum intrat ductum thoracicum, guttatim vitali latici admiſcetur; ſicque tandem una cum ſanguine per totum corpus oberrans quoque ad veſiculam felleam pervenit. Etſi autem lubenter demus, pharmaca partim modo mutari; ac a vi vitali prorſus ſubigi non poſſe, eſtne tamen credendum, remedium, quod tantas, ac tam longas vias legere, quodque ingentem adeo vaſculorum copiam; quae ad unum omnia gaudent facultate mutandi indolem contentorum; pervadere

dere debet prius, quam ad locum deſtinatum pervenire valeat, adhucdum pollere ſufficienti vi, ut ipſum calculum chemice ſolvere poſſit? id certe non ita videtur; ſed ab altera parte licet ponamus, re vera dari remedium adeo forte, ut noſtrorum organorum actionem eludere prorſus valeret: quid ergo? illud medicamentum intraret igitur non mutatum maſſam ſanguineam; verum quales effectus amabo remedium, quod chemice compagem calculoſam ſolvit, in ipſa vaſa ſanguifera, quorum ſtructura calculis biliariis certe multo eſt tenerior, editurum eſſe, putatis? nonne multo facilius adhuc ipſa vaſa, quae in tranſitu ſalutare debet, chemice corroderet, eorumque Organicam compoſitionem prorſus deſtrueret; quid autem? quid aliud ab ejusmodi pharmaco exſpectandum eſſet, niſi inter terribilia ſymptomata horrendasque convulſiones ipſa mors? quin ipſi a Cl. DURANDE relati caſus doceant, hoc remedium haud ceu menſtruum chemicum, ſed longe alio modo operari; ſcilicet in quibusdam calculi fragmenta per alvum receſſerunt, in aliis non (469); Interim in utroque caſu eventus pariter fuit felix, manifeſto indicio, hoc remedium in ipſum morbum regium agere, neutiquam vero calculos felleos reſolvere. Quod tandem ad calculi fragmenta attinet, dubito maxime, an non potius illa fragmenta pro totidem diverſis calculis ſint habenda; facile tunc temporis analoga omnium ſtructura Cl. DURANDE in errorem inducere potuit, hodie autem induſtria Cel. SOEMMERIN-

(469) Cf. MURRAY *Apparat. Medic.* Vol. I. p. 28. 29. & 30. editione altera. Gottingae 1793.

RINGII conſtat, calculos felleos in uno eodemque individuo ſemper ejusdem eſſe ſtructurae (470).

Concludo igitur, ex hisce omnibus.

1°. Memorato in caſu Icterum haud a calculo felleo fuiſſe ortum.

2°. Nec ab aethere Vitrioli, nec ab alio remedio quocumque calculum in cyſtide jam formatum reſolvi poſſe.

3°. Nihiloſecius tamen aetherem Vitrioli in morbi regio bene multis in caſibus ſumma cum ſucceſſus ſpe poſſe exhiberi, immo quandoque vi egregia antiſpasmodica, tollendo ſcilicet ſpasmum ductus biliarii ipſius, calculi tranſitum promovere.

§. 291. Indicationes generales Icteri ſunt tres.

1°. Stimulus, qui Icterum inducit, eſt tollendus, aut ſi removeri neſciat, ad minimum illius actio eſt impedienda.

2°. Solida ita diſponi debent, ut eorum actione materies bilioſa e maſſa ſanguinis ſeparetur, eaque per varias e vias corpore eliminetur, & ſi character certa periodo illum humorem ſecernendi ſolidis jam jam ſit inpreſſus, is deleri debet.

3°. Ad impediendum, quominus poſtea adeo facile ſolidorum actio turbetur, roborantia ſunt exhibenda.

Hae vero ſunt indicationes, quae in omni Ictero occurrunt, etſi remedia, quibus prima indicatio abſolvitur, pro varia cauſa morbifica admodum differant: ſi v. g. morbus

(470) Cf. ejus Diſſertat. *de concrementis biliaris Corpus Humani*, §. 17. p. 35.

bus regius ſine ulla alia manifeſta cauſa fuerit orta, tunc plerumque illius cauſa eſt materies ſaburralis in primis vîis haerens, quo in caſu vomitoria, & purgantia omnem curationis paginam abſolvunt; ſi a nimia Irritabilitate fuerit natus Icterus, Opium, refractae Ipecacuanhae doces, extractum Belladonnae &c. conveniunt; ſin autem a conſtrictione ſpasmodica, uti aliquoties in hyſtericis fuit obſervatum, orginem duxerit Icterus, periodice recurrens, is frictionibus externe exhibitis, ac gummi—ferulaceis, Aſſa foetida radîce Valeriana & ceteris hujusmodi remediis interne datis, curari debet; in utroque ultimo caſu Veſicatorium, externe abdomini applicatum, etiam admodum depraehenditur utile; ſi a retropulſa materie morboſa naſcatur, ſpiritus Mindereri, Antimonium crudum, Dulcamara, nec non Opii cum Ipecacuanhae miſcela, infuſum Ipecacuanhae &c. uſu veniunt; ſi ab affectione viſcerum varicoſa (obſtructione), quae imprimis pertinacis Icteri haud raro eſt cauſa, ortum ducat morbus, indicantur reſolventia, quae pro re nata ex calidorum, vel ex minus ſtimulantium numero deſumenda ſunt. Notandum tamen eorum uſum non nimis diu eſſe continuandum, quum, etſi in morbi initio inſigne praeſtent auxilium, tamen ipſa reſolventia juſto longius continuata corpus nimis debilitando efficere poſſint, ut Icterus non tantum haud ſanetur, verum e contra eorum uſu augeatur, atque in dies magis magisque fiat rebellis (471).

Idem quod de reſolventibus in Ictero monui, valet quoque

(471) Cf. RICHTER l. l. Cap. II. p. 67.

que de illorum uſu aliis in morbis, ipſa Febre biliofa ne quidem excepta, ſi enim hac in Febre medicus de infarctibus ſollicitus in reſolventium & evacuantinm uſu nimis diu pergat, organa digeſtioni inſervientia plurimum debilitantur, hinc, illis prae debilitate ſuam functionem praeſtando imparibus, canalis cibarius ſordibus repletur; nil igitur mirum, quod continuo de novo materies morboſa generetur, immo quod, quo diutius ejusmodi remedia exhibeantur, eo majori etiam copia ſordes in primis viis oriantur, quodque in dies lingua reddatur magis ſordida, ac penitus proſternatur appetitus; quum ob fractum canalis cibarii tonum digeſtionis Organa quotidie magis & magis labefactentur, & juxta hanc Naturae regulam, quod, quo magis aliquod Organum ad actionem incitetur, eo magis etiam verſus id humores alliciantur, excretio per primas vias pronoveatur, ceteraeqae excretiones praecipue perſpiratio inſenſibilis imminuantur. Tali ſub rerum conditione ſane non conveniunt evacuantia aut reſolventia, evacuatur quidem eorum ope materies morboſa; ſed evacuatio materiae biliofae ſeu gaſtricae poſt emeticorum vel purgantium uſum minime probat, materiam morboſam antea adfuiſſe, illisque remediis revera fuiſſe opus, dum, ut jure ſuo monuit Ill. RICHTERUS (472), homo, ſaniſſimus licet, depravatam bilem evomit, ſi ter vel quater ei vomitorum exhibeatur; ſic in unoquoque, repetita vice ſi ſalia media ingerat, mox ſigna apparent gaſtrica, lingua redditur ſordida, deleturque appetitus, manifeſto indicio, ma-

(472) Cf. l. l. Cap. XVII. p. 185. & 215.

materiem illam morboſam hic non fuiſſe niſi effectum reſolventium & evacuantium remediorum, h. e., materiem illam morboſam unice deberi depravato canalis cibarii, ac totiis corporis tono, ejusmodi remedis fracto. Quum ergo hoc in caſu primarum viarum ſordes pro cauſa agnoſcant debilitatem ventriculi, & tractus inteſtinalis, immo totius corporis, quumque illa reſolventium & evacuantium uſu continuo augeatur, certe ea remedia hic in cenſum venire nequeunt, verum e contra indicantur talia, qualia tum primarum viarum, tum totius corporis tonum reſtaurare valeant, id eſt exhibenda ſnnt amaricantia C. P. ceteraque roborantia, quorum uſu linguae ſordities, oris amaritudo, ſtomachi ponderis ac gravitatis ſenſus evaneſcunt, redit appetitus, reſtauraturque aegrotis priſtina ſanitas, Tonica igitur tollendo corporis debilitatem tollunt quoque canalis cibarii ſordes, unde novo argumento conſtat, illas hic tantum fracti toni fuiſſe effectus. Ex allatis liquet, quod ubi ſigna ſordium in primis viis apparent, non ſemper, uti plerumque ſit, ad reſolventia & evacuantia medicum confugere oporteat, ſed ante omnia reſpicere debeat medicus, an illa materies gaſtrica ſiſtat morbi cauſam, an quidem potius pro illius effectu habenda ſit; in primo caſu reſolventia & evacuantia egregie conducunt; in poſteriori vero illa ſunt vitanda, ac ad primas vias purgandas tonicis nil reperitur praeſtantius. Quam erronea ergo eſt opinio illorum! qui, ſordes primarum viarum ſi adſint, reſolventia & evacuantia ſemper exhibenda eſſe, judicant. At non minus erronea ſententia BRUNONIANA! juxta quam Febres intermittentes cum aegritudine e ſordibus primarum viarum junctae immo ipſae bilioſae ſemper

ro-

roborantibus ſunt profligandae. Haec interim opinio inde traxit originem, quod vir eximius obſervaverit, mala ſaepiſſime ſequi a reſolventibus & evacuantibus intempeſtive exhibitis, dum medici, de obſtructionibus ſemper ſomniantes, ejusmodi remediis haud raro abutuntur. Sed pravam illorum conſuetudinem omni cura in praxeos ſyſtemate oppugnanti accidit, quod Humano generi ſolenne eſt, ut Scyllam evitare ſi ſtudeat, in Charibdym incidat. — Sed in viam redeamus.

§. 292. Si calculi Icterum producant, praecipua medela ſolius Naturae eſt opus, cujus benigno molimine ductus biliferi adeo dilatantur, ut aut juxta calculi parietes bilis iterum libere ad inteſtinum duodenum tranſeat; aut per maxime dilatatum canalem ipſi calculi ad cavum inteſtinale deſcendant, & ſic per anum ejiciantur: ductuum enim dilatationem ſaepe eſſe prodigioſam, multis exemplis probavit MORGAGNIUS (473). Naturae tamen conaminibus ars ſuccurrere debet repetito ſed prudenti emeticorum uſu (474), nec non uſu aetheris Vitrioli cum oleo Therebinthinae ad partes aequales mixti, quod ultimum remedium in corporibus debilitatis, & irritabilibus vi alterante & antiſpasmodica praecipue ſeſe commendat. Si denique plane nulla Icteri cauſa materialis appareat, Opium, cetera ſedantia & antiſpasmodica ſcopo ſtimuli actionem enervandi, interne & externe exhiberi debent, quae remedia non tantum ſtimuli actionem impediunt, ſed etiam ſae-pe

(473) Cf. l. l. Epiſt. XXXVII. Art. 46. & 47.
(474) CULLEN l. l. §. 1825. & ſeqq.

pe curam radicalem efficiunt, uti Ill. RICHTERUS bene multis exemplis probavit (475).

Una cum prima indicatione etiam alteri ſimul ſaepe proſpicitur, ad quam abſolvendam inſuper lenia remedia diaphoreſin & diureſin promoventia circa noctem ſummo cum fructu aegrotis exhibentur: ſin autem morbi regii character ſolidis jam ſit impreſſus, ad illum delendum remedium Cl. DURANDE ex aethere Vitrioli cum oleo Therebinthinae eſt omnium potentiſſimum, quod ergo tali in caſu, praemiſſis praemittendis, numquam negligi debet: quum autem principii vitalis torpor majori vel minori gradu plerumque hujus morbi ſit comes, Icterus per ſe neutiquam poſcit ſanguinis miſſionem, ſed e contra, utraque praecedenti indicatione abſoluta, roborantibus uti medicum oportet, inter illa vero Cortex Peruvianus, & martialia agmen ducunt.

§. 293. Quod ſi vero Icterus omnem reſpuat medelam, tunc in Ictero calido haud raro oritur Inflammatio hepatis: moriuntur hoc in caſu aegroti aut ex Inflammationis violentia, aut ex Gangrena Inflammationis vices excipiente, aut demum ex illius viſceris ſuppuratione, quo ultimo in caſu Tabe perimuntur; aut, ut plerumque fit, ex morbis, quorum Icterus eſt ſymptoma, exſtinguitur vita, quod ſi eveniat, pro diverſo morbo, quocum Icterus eſt junctus, mortis cauſa etiam reperitur diverſa. In Ictero vero frigido morbo conſummato vel accedit Hydrops, quo in caſu teſte

(475) Cf. l. l. Cap. II. p. 66.

teſte LUDWIGIO (476) nulla ſanitatis ſpes amplius affulget; & ſane, ſi conſideremus, hoc in caſu Hydropem fracto totius corporis tono, ac ſolidorum degenerationi ſuas debere natales, facile patebit, exiguam curationis ſupereſſe ſpem; protrahunt quidem ſaepe aegroti adhuc per aliquot hebdomades triſtem vitam, ſed tandem ocius vel ſerius pro varia aegrotorum conditione, ac pro diverſa illorum aetate mors tragoediam ſemper claudit, ac exemplum, quod quis ex conſummato Ictero cum Hydrope juncto evaſerit, quantum novi, huc usque deſideratur: vel a ſtimulo morbifico continuo agente organica Hepatis compoſitio demum prorſus deſtruitur; oritur tunc Tabes, accedit Febris Hectica, ſolitis ſymptomatibus comitata, ac ſimili modo, quo ſupra de Tabe agentes vidimus, tollitur vita.

GENUS TERTIUM.

HYDROPS.

§. 294. Per Hydropem intelligimus collectionem materiae aquoſae vel ſeroſae in quodam corporis cavo, vel & quandoque totum corpus occupantis.

De omnibus hujus morbi ſpeciebus ſpeciatim agere nec in-

(476) Cf. *Inſtit. Therapeias generalis* P. II. Tract. III. Cap. VI. §. 848. p. 397. & 398.

inſtituti ratio, nec ubertas dicendorum permittunt: pertractabo igitur tantum Hydropem in genere, ac de illius varietatibus, prognoſi, therapeia generali, atque moriendi ratione nonnulla ſum dicturus: id vero idcirco eo lubentius facio, quum, licet pro diverſis locis, quas occupat illa aquoſa collectio, nonnullae cautelae ſint inſtituendae, indicationes tamen ſemper maneant eaedem, ac ceteris paribus Hydrothorax eandem curationem poſcit, quam Aſcites & Anaſarca, ita ut diverſitas curationis in Hydrope haud pendeat a variis locis, quos occupat aquoſa collectio, ſed a variis cauſis, quae Hydropem induxerunt.

§. 295. In numerandis Hydropis varietatibus calidus & frigidus Hydrops bene ſunt diſtinguendi, quippe diverſis cauſis diverſae illae varietates originem debent. Oritur nimirum calidus Hydrops aut ubi Inflammatio effuſione ſeroſa terminatur, aut quando, ob ſummam plethoram aequilibrio inter vaſa & ſanguinem ſublato, toti corpori debilitas apparens inducitur, quae, niſi V. S. tollitur, demum efficit, ut vaſa urgenti vitali latici cedant, eorum parietes a ſe invicem dimoveantur, perque diapedeſin effuſio materiae ſeroſae aut univerſalis aut particularis habeat locum. Naſcitur illo in caſu Hydrops calidus a torpore apparenti principii vitalis, ſive a ſuppreſſione omnium functionum nimia sanguinis quantitate, qua & effuſio materiae ſeroſae efficitur, & ſimul tum languore vitae propriae abſorbentium, tum preſſione eorum a turgentibus venis impeditur, quominus effuſam illam materiem hauriant lymphatica.

Hydrops frigidus naſcitur a viſcerum affectionibus varicoſis, (obſtructionibus); ita vulgo perhibent, raro tamen

viſce-

viſcerum affectiones varicoſae ſunt in Hydropis cauſa: patet hoc non tantum ex eo, quod in morbi initio omnia ſic dictae obſtructionis ſymptomata plerumque deſiderentur plane, & illa non niſi ad finem morbi appareant, indicio, viſcerum affectiones varicoſas eſſe potius Hydropis effectus, quam illius cauſas; ſed praecipue exinde, quod viſcerum ſchirris laborantes fere numquam Hydrope afficiantur, dum tamen eos tantum non ſemper Hydrops concomitaretur, ſi nempe illarum affectiones varicoſae praecipuam Hydropis conſtituerent cauſam. Poſſunt tamen aliquando viſcerum affectiones varicoſae ſtimuli inſtar cauſam Hydropis occaſionalem efficere, aeque ac reſolventia; ſi ad illarum curam aegrotis nimis diu exhibeantur, utpote debilitent totum corpus, ac imprimis ſyſtema abſorbens, praedispoſitionem ad Hydropem inducant; quin aliquoties per glandularum degenerationem oriri poſſe Hydropem, haud negemus (477), quamvis hoc ita ſaepe fiat, quum degeneratarum officio vicinae glandulae fungantur, atque ejusmodi glandulas plerumque ſatis adhuc manere pervias, repetitis injectionibus conſtiterit SOEMMERINGIO (478). Quandoque aqua ex atmosphaera abſorpta Hydropem univerſalem ciet (479), quo in caſu Hydrops depravatae abſorbentium agendi normae natales debet. Nonnumquam extenten-

(477) P. MASCAGNE *Prodrome d'un Ouvrage ſur le Syſtem des Vaiſſeaux Lymphatiques.* Siennae 1784. p. 20.

(478) *De Morbis Vaſor. Abſorb.* &c. §. 48. p. 231.

(479) *Diſſ. Noſt. de cauſa Abſorpt.* Cap. II. §. 11. in nota, ubi bene multa hujus rei exempla attuli.

tenſa vaſa abſorbentia rupturam patiuntur, oriturque ſic Hydrops, qui caſus, etſi rarius evenit, contingere tamen poſſe, probavit Ill. SOMMERINGIUS (480). Plerumque ſicuti RICHTERUS (cui ars Medica & Chirurgica tantum debet,) optime probavit, cauſa Hydropis eſt ſtimulus, qui morboſe afficiens ſyſtema lymphaticum, abſorbentium oſtia ſpaſtice contrahit, ſicque impedit, quominus illa ſuam functionem praeſtare poſſint. Quum autem quo corpus eſt debilius, eo facilius quoque ceteris paribus a ſtimulis morboſis affici valeat, hinc facile intelligere eſt, cur foeminae & ſubjecta debiliora ad hunc morbum prae ceteris ſint diſpoſita, debilitas tamen per ſe neutiquam Hydropem facit, e contra citra ullam debilitatem corpora robuſta & vegeta aliquoties Hydrops aggreditur, ſi modo ſtimulus, ſyſtema lymphaticum morboſe afficiens, ſatis fuerit vehemens. Nobiſcum facit VOGELIUS dicens „ etſi „ proxima Hydropis qualiscumque cauſa plerisque hodie „ quidem eſſe creditur atonia ſive laxitas totius corporis, „ multos tamen cachecticos ab Hydrope prorſus eſſe im„ munes video, viciſſimque Hydrope ſaccato laborantes „ ſatis alacres, omnisque cachexiae per longum adhuc „ tempus expertes (481)."

§. 296. Prognoſis differt pro diverſa Hydropis varietate, pro varia illius cauſa, & pro vario loco, quem occupat, ſic v. g. Hydrops calidus frigido multo facilius ſanatur; ſic Hydrops, qui a ſtimulo quodam oritur, multo

(480) Cf. l. l. Cap. XXII. p. 268. & ſeqq.

(481) *Prael. Acad.* §. 656. p. 555.

to faciliorem admittit medelam, quam qui vaſorum lymphaticorum depravatae actioni, aut eorum rupturae debetur: ille vero, qui ex degeneratione glandularum fuit natus, extra artis poemeria eſt, atque ocius vel ſerius aegrotos necat, denique in univerſum Anaſarca Aſcitide deprehenditur levius, quum malum priore in caſu citius dignoſci, & facilius tolli poſſit.

§. 297. In unoquoque Hydrope ſemper tres dantur indicationes.

1°. Cauſae, quae Hydropem induxerunt, ſunt tollendae, aut ſi tolli nequeant, ſaltem illarum effectus ſunt minuendi.

2°. Evacuanda eſt collecta materies aquoſa.

3°. Omni cura impediendum eſt, quominus in poſterum a potentiis nocentibus abſorbentium functio turbetur.

Remedia vero, quibus memoratae indicationes variis in caſibus abſolvuntur, haud adeo diſtincte occurrunt, non quia ſufficiens remediorum copia hoc in morbo deſideratur, nam e contra potius abundantia remediorum quam inopia laborant medici, ſed quod apud auctores de variis rerum conditionibus, ſub quibus hoc vel illud remedium conducit, & viciſſim, ſub quibus illud nocet, fere nihil annotatum reperiatur. CULLENUS hac de re jam fuit queſtus, etſi ille vir aeque minus ac ceteri aliquid certi hac in re determinaverit (482). Hinc inter auctores tantae con-

(482) Conf. l. l. §. 1684. It happens, however, unluckily, that none of them are of very certain operation, neither is it well known; why they ſometimes ſucceed, and why they ſo often fail; nor

controverſiae de efficacia remediorum hoc in morbo, alii enim hoc vel illud remedium ad coelum usque laudibus efferunt, alii e contra id prorſus eſſe inefficax docent, nec latet ratio, cur hoc in noſtra arte tam ſaepe accidat, dum nec in Hydrope, nec in alio morbo quocumque ullum detur remedium, quod ubique valet, ne dicam, quod etiam nonnullis in caſibus non maxime nocet. Quum interim in Hydrope maximi ſit momenti bene diſcernere caſus, ſub quibus remedia conducunt, & ſub quibus illa nocent, tentabo (quantum fieri licet) ex diverſis Hydropis varietatibus, ex variis illius cauſis, ex varia remediorum Antihydropicorum indole, atque ex practicorum de iis obſervationibus inter ſe comparatis ſtatuere regulas quasdam generales de uſu remediorum, quae praecipue in Hydrope fuerunt commendata.

§. 298. In Hydrope calido poſt Inflammationem ſuperſtite conveniunt cryſtalli Tartari, decocti forma cum larga quantitate aquae tepidae ingeſtae, ceteraque ſalia media mitiora, Nitrum, decoctum ex radicibus Graminis, Petroſelini &c. Curato Hydrope prohylaxeos ergo quandoque convenit V. S., ſaepe hunc in finem ſolum regimen antiphlogiſticum ſufficit, quin aliquoties, quando ſcilicet praegreſſa Inflammatione aegroti fuerunt debilitati, ad morbi

---

nor why one medicine ſhould prove of ſervice, when another does not. It has been generally the fault of writers upon the Practice of Phyſic, that they give us inſtances of caſes, in wich certain Medicines have proved very efficacious, but neglect to tell us in how many other inſtances the ſame have failed.

bi recurſum impediendum conveniunt C. P. cetera quae Amaricantia; ſin autem absque Inflammatione a ſola plethora naſcatur Hydrops, memorata remedia quidem etiam indicantur, ſed tunc cum iis ſemper jungenda eſt parcior, at vero frequentior phlebotomia; illa enim niſi inſtituatur, curato licet Hydrope, nihilominus inter convulſiones Apoplectice pereunt miſeri (483). Tales autem aegroti fere numquam Cortice, aliisque Amaricantibus egent, ceterum in Hydrope a memoratis cauſis generato nec Salia alcalina fixa, nec Digitalis purpurea, nec Scilla conveniunt, multoque magis pillulae tonicae BACHERI, decoctum Colocynthidis, ceteraque hydragoga evitari debent, dum ſemper malum augeant, & haud raro lethale reddant.

Patet hinc, quam male nonnulli Hydropem ceu principii vitalis imminutionis effectum ſemper conſiderant, quum in memorata illius varietate tonica & incitantia plerumque plurimum noceant; quin haud raro omnis curationis pagina V. S. & refrigerantibus abſolvatur.

§. 299. In frigido Hydrope, ſi viſcerum varicoſae affectiones (obſtructiones) illius cauſam occaſionalem efficiant, proprie eſſet locus exhibendi pillulas tonicas BACHERI, niſi ars medica ſuppeteret bene multa remedia, incongrua & difficili harum pillularum praeparatione multo praeſtantiora, & ſane poſtquam recentior Chemia de

(483) Conf. STOLL, *Rat. Med.* P. III. Sect. IV. Cap. VI. 2 p. 203. usque ad 214.

de corporum partibus conſtitutivis medicos certiores fecerit, eosque docuerit, quid variis in remediorum praeparationibus contingat, nemo, etſi illae pillulae revera utilitatem praeſtarent, tamen incongrua auctoris methodo in iis conficiendis procederet; ſed inſuper experientia hodie evictum eſt, volatilem Hellebori partem, ad quam deſtruendam unice hanc difficilem & pretioſam operationem inſtituit BACHER, & a cujus deſtructione plurimum commodi ſperavit ille auctor, iis in caſibus, ubi in Hydrope Hellebori uſus conducit, non tantum non nocere, verum etiam ad morbum debellandum plurimum conferre: exſpectat quidem BACHER multum emolumenti ab alvi purgatione & diureſi ex uſu ſuarum pillularum; aſt vero obſervavit QUARIN, non tantum poſt earum uſum alvum ſaepe tardiorem reddi, ſed etiam ab Hellebori infuſo, vel & ab ejus extracto Hydropicis plus opis adferri, & ſanitatus citius faciliusque reſtitui, quam a memoratis BACHERI pillulis; hinc pillulae illae, quum cariori veniant pretio, nulloque titulo prae ceteris ex Hellebori confectis pharmacis non ſolum praeferri mereantur, verum e contra dubios ambiguosque effectus praeſtent, jure merito e medica ſupellectili expungendae videntur (484). Subſtituenda ergo illarum in locum reſolventia, Rheum, gummi — ferulacea infuſum Hellebori cum Amaricantibus, nec non ejus extractum &c.

§. 300.

---

(484) Conf. MURRAY, *Apparat. Med.* T. III. p. 65 & 66. & QUARIN, *Animad. Pract. in Div. Morb. Chron.* Cap. VIII. p. 189. & ſeqq.

§. 300. Si a glandularum degeneratione hicce oriatur morbus, malum eſt inſanabile, nec multum eſt moliendum, ne forte artis conamina validiora ei, cui mederi nequeunt, peſſime nocent: dum autem ejusmodi Hydrops plerumque in potatoribus obſervetur, ac cum illo ſaepe chronica meſenterii Inflammatio ſit juncta, omnia ſtimulantia ſunt evitanda, ac leniorum diureticorum uſu, blando & eupepto vitae regimine eorum vita eſt ſuſtentanda: in iis autem caſibus, ubi ex atmoſphaera inſignis aquae copia ab abſorbentibus hauritur, malum eſt periculoſiſſimum; adfert tamen HALLERUS exemplum ex CARDANO, talem Hydropicum fuiſſe ſanatum (485). Dolendum interim, virum egregium nil monuiſſe de remediis, quibus curatio fuit abſoluta, videntur in ſingulari tali caſu praecipue convenire ea, quae abſorptam materiem verſus renes derivant, & ſi Natura ſponte ſua hoc jam faciat, ars illi pro re nata variis remediis ſuccurrere debet: ſi abſorbentium ruptura aut laeſio Hydropem producit, is ſi modo ſit particularis; ſi ab externa cauſa fuerit inducta, ſique in corpus ſanum inciderit, facile ſatis curatur; ſin autem aut ductus thoracicus uterque fuerit laeſus, aut a cauſa interna truncus quidam abſorbentium rupturam fuerit paſſus, omnem medelam reſpuit ille Hydrops, atque brevi tempore eum ſequitur mors: ſi denique, ut plerumque fit, malum a ſtimulo quodam oritur, is ante omnia tolli debet, & ſi illius naturam ignoramus, diuretica cum antiſpasmodicis v. g.

(485) Conf. *Elem. Phyſ.* T. V. Lib. XII. §. 20. p. 90.

v. g. cum tinctura thebaïca, reliquis opiatis &c. ſunt exhibenda: ſi malum a retropulſa materie morboſa oritur, Caphura, Antimonialia nec non decoctum lignorum, Dulcamara &c. optimum praeſtant auxilium (486): ſi malum a cauſa rheumatica naſcitur, ſudorifera, diuretica cum anodynis exhibita, nec non veſicatoria plerumque curam abſolvunt. Oportet inſuper medicum ſemper ad aegroti diatheſin attendere, quum ſi fuerit ad ſtimulum ſenſilis Hydropicus, leniora diuretica cum iis, qui potentiam nocentem enervare valent, ſufficiunt; ſin e contra aegrotus fuerit fibrae laxioris & non adeo ſenſilis, Digitalem purpuream exhibere convenit, & ſane tali ſub rerum conditione hoc remedium prae ceteris praeferri meretur, quia utramque indicationem ſimul abſolvit, enervat enim ſtimulum, & abſorptionem, urinaeque ſecretionem inſigniter promovet: convenit praeterea Digitalis uſus, ubi Hydropis cauſa occaſionalis eſt ſic dicta glandularum obſtructio, aut ubi Hydropici ſimul Scrofuloſa affectione laborant, quum etiam in illo morbo inſignem praeſtet virtutem; non tamen nimis diu ejus uſus protrahi debet, dum illa planta Irritabilitati & vi nerveae admodum ſit inimica, ac totum corpus, imprimis viſum maxime debilitet (487).

§. 301. Iisdem fere ſub conditionibus, quibus Digitalis purpurea uſu venit, ſummo cum fructu etiam poteſt exhiberi Scil-

(486) Conf. RICHTER l. l. Cap. XXII. p. 272 ad 281.

(487) Conf. HUFELAND, *uber die Natur, Erkenntnisſmiddel und Heilart der Scrofelkrankheit*, Sect. III. Cap. II. §. 12. p. 249. & ſeqq.

Scilla; illius tamen uſus per longius tempus protrahi, ac bene multis in caſibus tentari poteſt, ubi Digitalis peſſime noceret, quum Scilla diverſis cum corporibus pro re nata apte conjungi valeat, atque illorum conjunctione incommoda, quae ejus uſus concomitantur, plurimum avertantur, ipſaque Scilla ad varias rerum conditiones aptari poſſit; hinc ſi Hydrops pro maxima parte e corporis debilitate originem ducat, mox cum Scilla C. P. aliaque tonica ſunt jungenda (488), quibus remediis in ſubjectis ſenſilioribus Opium addi debet. Attamen non convenit Scilla in Hydrope conſummato, ſolidorum nempe tono plane fracto, ita ut ſit metuendum, ne per ipſam Scillam illa debito modo ſtimulari valeant. Quando igitur Hydrops eo usque proceſſit, ut totius corporis habitus appareat tumidus, molliaque oedemata in variis corporis partibus ſeſe offerant, ejusmodi cachecticus habitus eſt indicium, quod nulla amplius detur Medicina, quae curationem efficere ſit par, ac Scilla tali ſub rerum conditione ingeſta, nulla urinae evacuatio ſuccedit, verum e contra aegri redduntur inde magis anxii. Porro hocce pharmacum in hominibus fibra ſtricta, aut temperamento calido donatis minus prodeſſe, ex Scillae calida, & ſtimulante indole facile intelligere eſt. Tandem Scillae uſus eſt nullus, ubi Hydrops oritur ex varicoſa viſcerum affectione (obſtructione), quia vaſorum chronicam Inflammationem excitat, promovet, vel

(488) Conf. MURRAY l. l. T. II. p. 198. & ſeqq.

vel & intendit, ſi illa jam praeſens ſit (489). Si denique Hydropici habitu ſint paſtaceo, ſi eorum principium vitale maxime torpeat, ac illi ad ipſam Scillam adhuc reperiantur inſenſiles, hydragoga ſunt exhibenda, quibus omnibus facile palmam praeripit decoctum Colocynthidis, cujus ope Cl. BUCHAAVE inveteratos Hydropes, ac contra cetera remedia rebelles ſanavit (490): quum interim a parva hujus pharmaci doſi, teſte ipſo BUCHAAVIO (491), haud rarum fuerit, ut ſexies & ultra quotidie alvus deponatur, id remedii genus praeſertim ruſticis, nautis, operariis, ac ejusmodi ſortis hominibus exhibendum eſſe puto, dum e contra in omnibus iis, qui temperamenti, vitae generis, ac educationis ergo ad ſtimulum ſunt ſenſiliores, a Colocynthidis uſu potius eſſe abſtinendum cenſeo.

Quod ſi vero memoratis remediis aquoſa collectio non fuerit ſublata, aqua paracentheſeos ope educi debet, metu, ne forſan ex illius in cavo abdominali aut thoracis mora varia viſcerum labes oriretur. — Tertia autem indicatio C. P. martialia, ceteraque roborantia poſcit, qui igitur ad finem Hydropis frigidi ſine praculo omitti nequeunt.

§. 302.

---

(489) Conf. MURRAY l. l. T. V. p. 98 & 99. LUDWIG, *Adverſ. Med. Pract.* T. II. p. 697. & ſeqq. QUARIN, *Animad. Pract.* Cap. VIII. p. 171. & ſeqq.

(490) Conf. *Act. Reg. Societ. Med. Hafn.* Vol. III. Cap. XII. p. 156. & ſeqq.

(491) Conf. l. l. p. 169.

§. 302. Ut poſſit de diverſa moriendi ratione ex Hydrope ſtatui, hujus morbi diverſitatem brevi debui exponere, cum hanc ipſam illa ſequatur. — Omnibus igitur in ſummam contractis, manifeſtum eſt, quod ex Hydrope aliquando Tabe conſumantur aegroti; quod aliquoties Phthyſis Hydropi ſuperveniens mortem acceleret; quod ſaepe Diarrhoea ad finem morbi orta vires ſuperſtites rapiendo homines necet; quod in pectoris Hydrope haud raro cito ſuffocatione pereunt; dum in Hydrope calido, ut ſupra vidimus, plerumque apoplectice inter convulſiones moriantur; quodque, Hydrope conſummato, tot tantaeque corporis laedantur functiones, ut rite determinare, quid proprie mortem induxerit, prorſus fieri non poſſit, atque valde ſit probabile, quod his in caſibus mortis cauſa ſit compoſita, & e laeſis diverſorum organorum functionibus ſit petenda.

ORDO TERTIUS.

DEBILITATES ET PRIVATIONES.

GENUS PRIMUM.

SCROFULAE.

§. 303. Quoties glandularum conglobatarum tumor, & induratio chronica ex peculiari ſyſtematis lymphatici vitio

tio nata, peculiarique ut plurimum corporis habitu externo comitata obtinet, toties illud malum Scrofularum ſub titulo venit (492).

Cauſae quibus Scrofulae inducuntur, dividuntur in proegumenas & procatharcticas. Inter priores pertinent.

1°. Diſpoſitio hereditaria, hoc eſt, ubi infantes a parentibus cachecticis, labe Venerea vel alia quacumque debilitatis, fuerunt nati, tunc nempe character hujus morbi ſive potius praediſpoſitio ad eum imprimitur quaſi tenellis, ac, experientia teſte, progreſſu temporis ſaepiſſime absque ulla cauſa occaſionali infelices iſti infantes, Scrofula affecti, parentum luunt poenas (493).

2°. Sin autem infans loco lactis materni, quod ipſa Natura in illius nutrimentum deſtinavit, pulmentis farinaceis repleatur; ſi frequenti opiatorum uſu illius ſolidorum tonus infringatur, ſique utatur victu crudo glutinoſo v. g. pane nimiis furfuribus conſperſo, & tuberibus ſolani eſculenti, de quibus pauperes infantes fere unice vivere debent, quaeque alimenta tamen tener eorum ventriculus in univerſum haud tolerare valet; ſi vitam ſedentariam agat infans; ſi demum illius organa digeſtioni dicata largo aquae tepidae uſu, aut alio modo quocumque debilitentur, quid mirum, quod ejuſmodi infantes praediſpoſitionem ad Scrofulas contrahant, imo quod prava diaeta continuata ipſum poſtea

(492) Vid. SOEMMERING l. l. §. 38. p. 85.

(493) Vid. CULLEN l. l. §. 1739. & Cl. THUESSINK, *in de Voorrede voor de Verhandeling over de Ziekte der Watervaten van* T. WHITE, p. 18 & 19.

poſtea morbum Scrofuloſum patiantur. — Patet inde, infantes a ſaniſſimis licet parentibus ortos, tamen ſaepe perverſo vitae regimine praediſpoſitione Scrofuloſa affici, viciſſimque in infantibus tali praediſpoſitione hereditaria mulctatis juſta vitae victusque ratione haud raro characterem impreſſum deleri, ſicque illos a malo Scrofuloſo per totam vitam manere immunes.

3°. Nec inter cauſas Scrofularum praediſponentes ſunt omittenda clima, & depravata aëris conditio, nam & haec ad Scrofularum generationem plurimum faciunt, hinc Scrofulae potiſſimum coelum temperatum amant, dum e contra in calidiſſimis & frigidiſſimis regionibus ille morbus non niſi raro obſervatur; imo regiones temperatas omnes non pari vi aggreditur, ſed quo cujusdam regionis Atmosphaera eſt humidior, nubiliorque, eo magis etiam Scrofulis infeſtantur illius incolae, quamobrem in Anglia, Hybernia, Germaniae parte inferiore, noſtrisque in provinciis nullus morbus Scrofulis reperiatur frequentior.

§. 304. Cauſae vero praediſponentes in actum ducuntur a potentiis morbificis, certo & determinato modo praediſpoſitum abſorbentium ſyſtema afficientibus: illa ſunt.

1°. Ipſa corporis evolutio; nulla enim vita exſiſtit absque ſtimulo, atque eorum ope totum evolutionis negotium abſolvitur, hinc quum animal, quo origini ſit propius, eo majus quoque capiat incrementum, idque ſine aucta ſtimulorum actione fieri nequeat, ſatis intelligere eſt, cur ubi ſub certis vitae periodis omnia organa de novo quaſi animentur, auctus ille ſtimulus pro debilitate ſyſtemate lymphatico poſſit fieri cauſa occaſionalis, cujus cum ſeminio morboſo concurſu ipſae Scrofulae oriuntur.

 2°. An-

2°. Anni tempus; quando nempe per id principium vitale ad actionem incitatur, aucta ſolidorum actio ſimili modo, ac praecedente in caſu Scrofularum origini anſam ſaepe praebet; hinc toties veris tempore Scroſulae primum ſeſe manifeſtant.

3°. Laeſiones externe illatae, morborum acutorum criſes imperfectae, metaſtaſes materiei cujusdam exanthematicae, uno verbo ſtimuli morboſi quicumque idem praeſtant, atque hinc ſaepe poſt Variolas, Morbillos, Febrimque Scarlatinam erumpunt Scrofulae (494).

§. 305. Quum ergo omnes hujus morbi cauſae praedisponentes ſyſtematis lymphatici debilitatem producant, ac cauſae procatharcticae ſemper operentur morboſe illud ſyſtema ſtimulando, exinde facile morbi Scrofuloſi indoles erui poteſt, patetque jure merito Cl. HUFELAND ſtatuiſſe, indolem hujus morbi conſiſtere in ſyſtematis lymphatici debilitate cum nimia illius ad ſtimulum ſenſilitate juncta, quod probatur inſuper. (495).

1°. Quia aetas infantilis & ſexus ſequior, quae debilitate & ſenſilitate viros ſuperant, prae ceteris etiam magis Scrofulis laborant.

2°. Ex toto Scrofuloſorum habitu, qui laxitate & turgore apparente facile ab omnibus aliis diſtingui poteſt.

3°. Ex

---

(494) Conf. HUFELAND l. l. p. 49. & ſeqq. nec non celebris chirurgus LEURS, *in Act. Amſtelod. praemio condecoratis*, T. II. p. 18. & ſeqq.

(495) Conf. l. l. Sect. I. Cap. III. p. 58.

3°. Ex roborantium hoc in morbo uſu, ſaepe enim illa omnem curam abſolvunt, & ſine roborantibus numquam ſaltem Scrofularum praediſpoſitio tolli poteſt (496).

4°. Ortu Scrofularum ſymptomaticarum poſt ſtimulos, quibus lymphaticorum ſenſilitas augetur; ſpuriae Scrofulae poſt inſitionem variolarum, poſt communicationem alicujus veneni, imo poſt fonticulorum applicationem haud raro obſervandae, totidem hujus rei ſunt documenta.

5°. Ex ſymptomatibus morbi Scrofuloſi, quae tantum non omnia ceu effectus cujusdam ſtimuli conſiderandae ſunt (497).

6°. Remedia, quae ſtimulum enervant, ſenſilitatemque abſorbentium minuunt, uti v. g. Mercurius, omnia Scrofularum ſymptomata optime tollunt, etſi ſimul haud deſtruant corporis ad Scrofulas praediſpoſitionem.

§. 306. Cauſa igitur proxima hujus morbi in vaſis lymphaticis hoc eſt in ſolidis eſt quaerenda, & fluida catenus modo tanquam cauſae hujus morbi conſiderari debent, quatenus ſtimuli inſtar vaſis inſerviunt, atque ab iis ſtimulata reactionem inſtituunt, id eſt, poſſunt fluida in praediſpoſitis ſolidis cauſae occaſionalis vice fungi iis in caſibus, ubi vel ob languorem canalis cibarii vel ob victum crudum abſorptus chylus minus bene ſeſe habet, ac quali-

ta-

(496) Conf. *Medical Obſ. and Inq.* Vol. I. Cap. XII. p. 184. & ſeqq. Cap. XXV. p. 303. & ſeqq. & Vol. II. Cap. XX. p. 265. ubi demonſtratur inſignis C. P. in Scrofulis uſus, probaturque bene multis exemplis ad curam Corticem ſolum ſaepe ſufficere.

(497) Conf. HUFELAND l. l. Sect. I. Cap. III. p. 62.

tate vel conſiſtentia peccat, tunc nempe praediſpoſita illa ſolida, a peccante lympha morboſe affecta, ruunt in inordinatos motus, patiunturque quandam degenerationem, cujus effectus eſt, ut ſecernatur materies peculiaris, quae Scroſuloſa dicitur; illa materies dein ad varias N. C. partes metaſtatice defertur, ibique pro varia organorum functione varia excitat ſymptomata, continuo cum chylo ad ſanguinem defertur, omnesque partes ſuo veneno inficit, ſicque naſcitur demum talis corporis diatheſis, quae vulgo Scroſuloſae acritatis ſub nomine venit.

§. 307. Effectus ergo degenerationis Scroſuloſae ſyſtematis lymphatici ſunt ſequentes.

1°. Ad quemvis ſtimulum leviſſimum licet ſeſe ſpaſtice contrahunt abſorbentia. hinc liberum chyli tranſitum impediunt, donec aut Natura aut arte ille ſpasmus fuerit ſolutus: debentur illae ſpasmodicae conſtrictiones nimiae vaſorum ſenſilitati, neutiquam vero contentae intus materiae ſpiſſiori. Male ergo plerisque obſtructiones audiunt, ſicuti contenta materia chyli tranſitum in iis impediebat, nam ſaepe in ejusmodi cadaveribus Celeb. BRUGMANS non minori cum facilitate Mercurium per tumentes haſce glandulas trajecit, quam per illas, quae, ut ajunt, omni obſtructione vacant (498). Idem quoque ſeſe obſervaſſe teſtatur egregius SOEMMERINGIUS dicens „quamvis autem „ hi glandularum tumores vulgo obſtructiones vocentur, „ nihiloſecius tamen non credendum eſt, impervias ſive „ revera obſtructas eſſe ejusmodi glandulas, ſaepius enim „ fal-

(498) Cf. Doct. BERNARD l. l. Cap. IV. p. 28.

„ ſaltem Mercurio pervias eſſe reperi (429)." Quod ſi vero malum Scrofuloſum non ſanatur, tunc pedetentim magis magisque induratae glandulae degenerantur, ac tandum eorum organica compoſitio plane deſtruitur, & lapideam quaſi ſubſtantiam aemulantur. Hoc tamen raro admodam contingit, & ſi contingat, talis degeneratio adhuc tantum aggreditur nonnullas glandulas, exemplum enim, ubi in cadavere glandulae ad unam omnes plenariam degenerationem fuerant paſſae, quantum novi, proſtat nullum.

2°. A ſpasmodica abſorbentium contractione reſorptio ſecretae materiae impeditur, ac naſcuntur lymphaticorum motus irregulares, unde oriuntur collectiones materiae ſeroſae vel aquoſae variis in corporis partibus, nec non praeternaturales ipſorum lymphaticorum dilatationes, hinc quoque eſt derivandum, quod tumores lymphatici, oedemata, hydatidesque hunc morbum ita ſaepe concomitentur.

3°. Ipſa diatheſis Scrofuloſa. Etenim ſimul ac ſemel glandulis conglobatis fuerit impreſſus character Scrofuloſus, tunc ex communi illa Naturae regula, quod effectus ſint in ratione compoſita ſtructurae & ſtimuli applicati, illae, donec ille character non fuerit ſublatus, continuo ſecernunt materiem Scrofuloſam, imbuunt illo chylum, ac is tali veneno infectus intrat ſanguinem, cumque hoc ad omnes C. H. partes vectus tandem totum corpus inquinat: optime ergo monuit Cl. KORTUM „ ut „ ſyſtema lymphaticum quidem primariam morbi noſtri „ ſe-

(429) Cf. l. l. §. 37. p. 90.

„ ſedem conſtituat, viruſque Scrofuloſum tantum non ſem-
„ per primos decubitus faciat in glandulas conglobatas.
„ Minime vero ad haſce ſolas adſtringantur Scrofuloſi tu-
„ mores, ſed ſi invaluerit malum, pernitusque inſederit,
„ alius quoque generis glandulae, quin etiam partes non
„ glanduloſae ab eodem afficiantur (500).

§. 308. Ex Scrofuloſa autem diatheſi juxta Ill. HUFELAND, qui optime de Scrofulis meruit, ſequentes profluunt effectus.

1°. Non tantum ſtimulat glandulas, easque chronica ſaepe afficit inflammatione, ſed & agit in nervos, vaſa ſanguifera ac in ſyſtema ſecretorium, unde convulſiones, motus febriles, & depravatae ſecretiones, quae in Scrofuloſis toties obſervantur, &, ſi per metaſtaſin ad aliquod organum deferatur Scrofuloſa materies, poteſt id tali modo afficere, ut ulcera peſſimae notae, & quae ipſam cutim corrodunt, inde oriantur.

2°. Efficit in lympha, ceterosque humores qui per lymphaticum ſyſtema tranſeunt, propenſionem ad ſpiſſitudinem; patet hoc imprimis ex materia ſolito ſpiſſioris conſiſtentiae, quae ex apertis tumoribus, metaſtaſi materiae Scrofuloſae ortis effluere ſolet.

3°. Tollit lymphae facultatem nutritiam, lympham reſolvendo, ejusque particulas nutritias deſtruendo, idque probari putat vir egregius ex eo, quod diatheſin Scrofuloſam peſſima Atrophiae ſeu Tabis ſymptomata numquam non ſequantur.

5°. Evo-

(500) SOEMMERING l. l. p. 86.

5°. Evolvitur acidum quoddam ex lympha, quod probari autumat ex aegrorum halitu acidum ſpirante, alvi dejectionibus viridibus vel albis, nec non ex ſudore acido, idque eſſe phosphoricum cenſet, quum experimentis GARTNERI conſtet, quod urina Scrofuloſorum minus acidi phosphorici contineat, quam ſanorum, atque quum, materia morboſa viribus Naturae e corpore expulſa, ſicque orta criſi, Phosphorum ſemper majori copia in aegrotorum urina reperiatur, inde demum concludit HUFELAND, acrimoniam Scrofuloſam eſſe acidam (501).

Dubito tamen, au non potius Atrophia ſit explicanda ex ſolidorum degeneratione a potentia morbifica continuo ſtimulante nata, quam quidem ex peculiari illius facultate particulas lymphae nutritias deſtruendi: & cur quaeſo illa lymphae reſolutione eſſet opus? dum lympha a degeneratis glandulis non rite aſſimulata jam per ſe ſolidis pro apto ſtimulo non poſſit inſervire, in quo tamen totum nutritionis negotium conſiſtit (502) & quod ad acidi phosphorici ex lympha evolutionem attinet, pace tanti viri allata argumenta rem haud probare videntur. Dexteritatem fidemque GARTNERI in dubium non vocamus; ſed quomodo ex iis ad evolutionem acidi & indolem hujus morbi acidam concludere potuit HUFELAND, id plane non perſpicio: ſi enim verum eſt, quod humores ſecernendi, qua tales, ante ſecretionem in ſanguine non praeexi-

(501) Cf. l. l. Cap. V. p. 90. & ſeqq.

(502) Debeo hancce de Nutritione ideam aeſtumatiſſimo Praeceptori & ad rogum usque venerando Celeb. BRUGMANS.

exiſtant, ſed vi peculiari organorum ſecernentium creëntur, uti HUFELAND mecum conſentit, tunc certe ipſum acidum Phosphoricum non praexiſtit in ſanguine, ſed durante urinae ſecretione in ipſis renibus formatur: quid ergo? quid aliud ex GARTNERI experimentis concludi poteſt, niſi unice hoc, quod in morbo Scrofuloſo etiam urinae ſecretio depravetur, neutiquam vero illud acidum in corpore retentum iri, & ſuam ſymbolam ad morbi ſymptomata conferre; idem valet de ſudore acido, & de acido primarum viarum, quod neutiquam fermentationi acidae ciborum debetur, ſed effectus eſt peculiaris depravationis vaſorum ventriculi & inteſtinorum, qua creëtur acidum peculiare, ac cujus proprietates nondum ſunt cognitae, haec igitur, uti cetera allata ſymptomata omnia, unice ſunt conſideranda ceu effectus actionis laeſae canalis cibarii, cujus tonus hoc in morbo ſemper eſt fractus. Concludo itaque Scrofuloſam diatheſin aeque ac Veneream, Concroſam &c. eſſe liquorem ſui generis, nec cum acido nec cum alcali comparandum, etſi illam nonnullis in caſibus acidam, alcalinam, imo putridam indolem aſſumere poſſe haud negemus.

§. 309. Diagnoſis hujus morbi praecipue ex habitu externo deſumitur, ſuſpicionem Scrofularum movent cutis levis tenera, labium ſuperius & columna naſi tumida, facies florida plena, oculi coerulei, lacrimantes, pupilla dilatata, muci naſalis copioſior effluens, genarum inflatio ad aures accedens, maxillae juſto latiores, collum breve, tumidum abdomen, habitus debilis, motusque febriles vagi, quibus phaenomenis, erumpente morbo, glandularum conglobatarum tumores, praeſertim in collo, acce-

dunt

dunt (503). Morbus hic non obſervatur niſi in infantibus ſex menſibus natis, & plerumque ultra decimum annum non excurrit (504); dantur tamen hujus regulae exceptiones, nam vidi infantem tribus menſibus modo natum, qui jam Scrofulis laborabat, & curavi puerum quatuordecim annorum, qui ex inveterato malo Scrofuloſo Tabem meſentericam contraxerat; in univerſum vero illa LEURSIANA regula cum naturae factis congruit.

§. 310. Scrofularum prognoſis pro aegrotorum diatheſi, pro illarum cum aliis morbis complicatione, & pro vario morbi ſtadio maxime differt, in genere tamen Scrofulae ſi absque complicatione cum alio morbo corpus ſatis vegetum affecerint, ſique morbus non fuerit admodum provectus, maxime ſanationis ſpes affulget, curatio tamen eſt tardiſſima, ac taedioſiſſima, imprimis quod ſi aegroti dicto medici minus obedientes juſtum vitae regimen negligant, plerumque efficaciſſima pharmaca nil efficiant: ſin autem malum inveteratum jam Febrim Hecticam induxerit, prognoſis quidem eſt ominoſa, attamen in initio & tales aegroti poſſunt ſanari, ſed, quando illa Febris jam per longum tempus adfuit, & ſolida valde ſunt degenerata, morbus omnia eludit artis conamina, ac ſola morte illa Febris terminatur: ceterum ſi malum Scrofuloſum cum Tinea capitis

(503) Cf. CULLENUS *Synopſis Noſol. Method.* Gen. LXXXIV. p. 290. CALLISEN l. l. T. I. P. II. §. 739. p. 335. THUESSINK l. l. p. 22. LEURS l. l. p. 52. & ſeqq. HUFELAND l. l. p. 112. & ſeqq.

(504) LEURS l. l. §. 112. p. 156.

pitis aut tumoribus glandularum ſit junctum, nulla topicorum ope iſta mala ſunt retropellenda: vidi enim inde Epilepſiam fuiſſe natam, quae omnibus remediis reſiſtebat, donec tandem, morbi cauſa detecta, medicus Aethiopem Antimonialem una cum decocto ſtipitum Dulcamarae praeſcripſerit, quorum ſub uſu Tinea iterum prodiit, ſiluitque Epilepſia; ſi denique hic morbus cum aliis fuerit complicatus, pro varia complicatione Scrofulae majus vel minus minitantur vitae periculum.

§. 311. Indicationes generales ad Srofularum curam ſunt ſequentes.

1°. Cauſae remotae, ſi adhuc adſunt, ſunt tollendae, niſi enim illae deleantur, Scrofulae tolli neſciunt.

2°. Senſilitas nimia vaſorum abſorbentium eſt imminuenda, character glandularum conglobatarum ad materiem Scrofuloſam ſecernendam debet deleri, ac ſolida ita diſponi, ut materies morboſa plane ſubacta ad varia corporis emunctoria deferatur, ſicque e corpore eliminetur. Hunc in finem conducunt Mercurialia, Antimonialia, Gummata ferulacea, Aſſa foetida, Opium, Cicuta, Belladonna, Dulcamara, Digitalis purpurea, Murias Barytae, Murias Calcis, Spongia toſta, Salina, Sapones, Extracta herbarum reſolventium &c. (505).

3°. Tuſ-

(505) Utor reſolventium nomine, quod iſtud nomen, incongruum licet, huc usque adhuc in ſchola Medica vigeat, neutiquam vero, quod re vera agant reſolvendo, etenim obſtructio hic adeſt nulla, quid ergo reſolverent? inſuper admodum probabile eſt, illa pharmaca longe alio modo, ac vulgo creditur, operari; Mercurius *dulcis* v. g.

3°. Interdum, durante toto morbi decurſu, ſunt exhibenda purgantia tum ad materiam morboſam ad cavum inteſtinale depoſitam, tum ad ipſam primarum viarum ſaburram, evacuandas.

4°. Hiſce peractis demum roborantia in uſum ſunt vocanda ad abſorbentium debilitatem tollendam, eſtque haec indicatio omnium momentoſiſſima, eaque neglecta neutiquam. Scrofularum cura radicalis poteſt inſtitui, nam etſi nonnunquam aliis pharmacis omnia Scrofularum ſymptomata tollantur, manet nihilominus, niſi roborantia propinentur, aegrotorum ad illas diſpoſitio, atque ocius vel ſerius plerumque de novo ſeſe manifeſtent Scrofulae. Cortice vero Peruviano, Martialibus, amaricantibus, eupepta & facilis digeſtionis diaeta praeſertim illa cura corroborans abſolvitur.

§. 312. De horum remediorum uſu, ubi & quando ſcilicet indicantur, nil dicam, quum Ill. HUFELAND in egregio ſuo tractatu de Scrofulis optime hac de re egerit (506); unice moniturus, quod lac ex Scrofuloſa diatheſi tabidis haud conveniat, ſed ſerum lactis illis optime conducat, quodque aliquando ob ſummam aegrotantium de-

v. g. omni ore volvitur ceu reſolvens potentiſſimum, agitne ergo hoc remedium in Inflammationibus, Tetano, Hydrophobia, ceterisque morbis convulſivis vi reſolvente? id certe non videtur, mallem e contra potius cum Ill. RICHTERO facere, qui hoc medicamentum vi quadam antiſpasmodica & ſedativa agere putat (*).

(506) Cf. HUFELAND l. l. Sect. III. Cap. II. p. 148. & ſeqq.

(*) Cf. l. l. Cap. XXII. p. 276.

debilitatem e re ſit, mox ab initio morbi roborantia cum reſolventibus & anodynis jungere, ſicque ſecundae & tertiae indicationi ſimul ſatisfacere.

§. 313. Quod ſi vero omnia artis conamina ſint fruſtranea, ac ſtatus aegrotorum convertatur in pejus, breviori vel longiori temporis intervallo ſuccumbunt Scrofuloſi, moriuntur autem imprimis triplici modo aut nempe Hydrope e vita tolluntur (507). Talis moriendi ratio accidit vel quia reſorptio materiae ſecretae abſorbentium conſtrictione ſpasmodica per longum tempus fuit impedita, vel quod lymphaticorum motu irregulari depoſitio materiae aquoſae in aliquod corporis cavum fiat; aut Tabe meſenterica pereunt, quo in caſu quotidie magis degenerantur, induranturque glandulae, ac tandem illorum organica compoſitio prorſus deſtruitur; agit inſuper ſtimulus morboſus continuo in totum corpus; hinc ſaltem plerumque huic glandularum degenerationi accedit Febris hectica, ſicque ſimili modo, ac in Phthyſi partim impedita functione organi ad vitam neceſſarii, partim ex fracto totius corporis tono ob nimium ſtimulum diem obeunt ſupremum; vel denique moriuntur ex Tabe vel Phthyſi pulmonali, ſi ſcilicet Materies Scrofuloſa metaſtatice ad pulmones fuerit depoſita, ibique excitaverit vaſorum ſuppurationem, uti non raro fit (508) quam moriendi rationem in capite de Phthyſi pulmonali ſupra jam pertractavi.

G E-

(507) Cf. LEURS l. l. §. 123 p. 166.
(508) Cf. WHITE l. l. p. 47.

GENUS SECUNDUM.

RACHITIS.

§. 314. Quoties in infantibus obtinet morboſa conditio, cujus effectus eſt, ut ipſa oſſa, ſtabilitate ſua amiſſa, flexilia reddantur, toties illud malum Rhachitis dicitur. Cauſae proegumenae & procatharcticae iis Scrofularum ſunt ſimiles, aeque enim ac in Scrofulis praedispoſitio poteſt eſſe hereditaria, ſi nimirum parentes fuerint cachectici, aut labe quadam debilitati; ſimili modo ac in Scrofulis illa praedispoſitio ad Rhachitidem juſta vitae victusque regimine deletur, & e contra aeque ac prava vitae victusque ratione ſaniſſimi infantes Scrofularum praedispoſitionem contrahere valent, ſic & idem quoad Rhachitidem obſervatur; nec clima, aërisque conditio utriusque morbi praedispoſitioni favens differt, ſed uterque morbus idem clima, eandemque aëris conditionem amat, ac pari paſſu easdem regiones infeſtat. Cauſae occaſionalis vice ſaepe fungitur ipſa corporis evolutio, quia ſtimuli naturales leviter modo aucti in debili & irritabili corpore infantili ad ſeminia morboſa in actum ducenda ſufficiunt, quamobrem ſaepiſſime dentionis tempore Rhachitis ſe manifeſtat, plerumque tamen Variolae, Morbilli, Tuſſis convulſiva aliaeque potentiae nocentes cum ſeminio morboſo ad Rhachitidis exiſtentiam concurrunt, ita ut eorum morbo-

rum in locum haud raro ſubſtituatur quaſi Rhachitis (509).

§. 315. Quum autem eaedem cauſae iisdem ſub conditionibus ſemper quoque eosdem praeſtent effectus, ac cauſae Rhachitidis remotae iis Scrofularum ſint ſimiles, ſequitur, utriusque morbi indolem debere eſſe analogam, analogam dico non plane ſimilem, dum uterque morbus diverſa exhibeat ſymptomata. Conſiſtit ergo Rhachitis etiam in ſyſtematis lymphatici debilitate cum aucta illius ſenſilitate juncta, ſed differt ille morbus a Scrofulis gradu, & quidem ita, ut noſtra ex ſententia debilitas in Rhachitide ſit major, & vaſorum abſorbentium ſenſilitas, aetatis habita ratione, ſit minor quam in Scrofulis.

§. 316. Rachitidem autem Scrofulis quoad indolem eſſe analogam, confirmatur ſequentibus.

1°. Aetas infantilis, quando debilitas & ſenſilitas maxime vigent, tantum non ſola hoc morbo laborat; omnium autem partium corporis infantilis, uti Cl. KORTUM optime monet, „ longe debilius eſt ſyſtema lymphaticum, „ ſimul vero & irritabilius, functio e contra hujus ſyſte- „ matis longe majoris eſt momenti in infantibus quam qui- „ dem in adultis: plus enim illi egent liquore nutritio, „ quam hi: qui reſtitutione ſolum amiſſi opus ha- „ bent

(509) Conf. BUCHAN l. l. p. 651. ROSENIUS A ROSENSTEIN, *de Morbis infantum*, ex verſione Celeb. SANDIFORT, T. I. Cap. XXIV. p. 142. & ſeqq. STOLL, *Praelect. in Diverſ. Morb. Chronicos*, T. I. Cap. II. p. 22. & ſeqq. & J. VEIRAC, *Verhandeling over de Rhachitis*, p. 57, 141 & 147.

„ bent (510)," quid ergo mirum, quod juniores adeo ſaepe ſyſtematis abſorbentis vitiis afficiantur.

2°. Ex Rhachiticorum toto habitu, qui debilitatem & languorem annunciat.

3°. Ex roborantium uſu, illa enim ſaepiſſime curam abſolvunt, dum absque eorum uſu quidem morbi ſymptomata tolluntur, neutiquam vero ipſa morboſa conditio auferatur.

4°. Senſilitatem in Rhachitide morboſe fuiſſe auctam, docent morbi ſymptomata, quorum pleraque quaſi effectus cujusdam ſtimuli aeſtimanda ſunt, nec minus hoc probatur ex efficacia eorum, quae ſtimulum enervare ſolent, v. g. ſoda, terrae abſorbentes &c. utpote quae fere ſemper morbi ſymptomata egregie tollunt.

5°. Infantes, a parentibus Scrofuloſis ortos, malo Rhachitico prae reliquis affligi obſervavit CULLENUS (511) & KORTUM, facile unum morbum ex altero naſci docet (512), indicio inter utrumque magnam eſſe affinitatem.

6°. Sed imprimis Rhachiticorum diſſectiones probant, conditionem morboſam in ſyſtemate lymphatico haerere. In ejusmodi enim cadaveribus invenitur hepar ſemper, lien, ceteraque viſcera plerumque volumine & pondere aucta, vaſa lymphatica ſolito majorem habent amplitudinem, meſenterii, pulmonum, hepatisque glandulae conglo-

(510) Conf. SOEMMERRING l. l. §. 38. p. 93.
(511) Conf. l. l. Vol. IV. §. 1722. p. 335.
(512) Conf. SOEMMERRING l. l. p. 96.

globatae ſemper tument, aliquando illae reperiuntur induratae, imo nonnunquam earum nonnullae totius organicae compoſitionis deſtructionem fuerunt paſſae (513), indicio morbi ſedem in lymphaticis & quidem in glandulis conglobatis eſſe quaerendam.

Eſt igitur Rhachitidis cauſa proxima, minime (uti VEIRACIUS aſſerere non dubitavit) acrimonia acida ex inteſtinis abſorpta, & ad maſſam ſanguineam delata, cujus ope ſanguis, imprimis pars illius ſeroſa ita degenerat, ut Rhachitis producatur, ſed e contra oritur hic morbus toties, quoties praediſpoſitae glandulae lymphaticae a potentia nocente in actum ducantur, atque tunc a ſpecifice mutatis illis glandulis ſecernitur materies peculiaris, quae vulgo Rhachiticae ſub nomine venit.

§. 317. VEIRACII autem opinionem, inconſulta natura, fuiſſe ſtabilitam, praeter ea, quae jam attuli, ſequentia docent.

1°. Nonnulli infantes Rhachitide corripiuntur, teſte ipſo VEIRACIO, absque ut unquam minimum acidi in primis viis indicium apparuerit (514), viciſſimque bene multi infantes, probante experientia, miſerrime primarum viarum aci-

(513) Conf. SWIETENUM l. l. T. V. §. 1485. p. 595. OOSTERDYK l. l. Cap. LXXXIX. §. 3. p. 290. VEIRAC l. l. §. 80. p. 128. J. F. ACKERMANN, *Commentatio Medica de Rhachitide*, Cap. II. p. 2. & ſeqq.

(514) Conf. ROSENSTEIN l. l. p. 155 & 156. BUCHAN l. l. p. 653 & 654. & CULLEN l. l. T. IV. §. 1730. p. 350.

acido laborant, & nihilominus numquam Rhachitide afficiuntur.

2°. Prima morbi orientis ſymptomata debilitatem, & languorem principii vitalis ſolummodo arguunt, ac non niſi in provectiore morbi gradu humorum obſervatur degeneratio.

3°. Sola roborantia, imo balnea frigida ſaepe perfecte Rachitidem ſanant, dum e contra antacida absque roborantibus ſaepe nil efficiunt, aut ad ſummum morbi ſymptomata tollunt (515).

4°. Demum VEIRACII ſententia ſanae Phyſiologiae, (cui tota praxis niti debet) omnino repugnat, uti pulchre demonſtravit Cl. HEINE dicens: „ nonnulli in cacochy-
„ mia acida proximam Rhachitidis cauſam ponunt, acidum
„ enim in primis viis generatum, & a vaſis lacteis ſuſcep-
„ tum chylum & ſanguinem inſpiſſare, omnibus ſympto-
„ matibus in Rhachitide conſpicuis ortum praebere, ipſa-
„ que oſſa emollire arbitratur. Sin autem naturam acidi
„ irritantem, & oeconomiam corporis humani irritamen-
„ ta quaecumque averſantem recte contemplemur; haud
„ ſatis firmo talo ſententiam hanc niti apparebit. Acidum
„ enim in primis viis exortum, vaſorum lacteorum initiis
„ ſummopere irritabilibus, difficillime ſane excipiatur; ſin
„ autem mitior & dilutior ejus pars cum chylo tandem
„ abſorbeatur, ob longum per vaſa lymphatica & glandu-
„ larum anfractus iter ita ſubactum & commutatum erit,
„ ut,

(515) Conf. STOLL l. l. p. 24. & CULLEN l. l. §. 1736.

„ ut, ſi ſanguini demum advehatur, naturam ſuam jam pla-
„ ne exuerit, & oſſibus emolliendis haud amplius ſuffi-
„ ciat. Hoc ita eſſe, tot infantes & adulti nos docent,
„ qui, licet acido miſerrime vixentur, Rhachitide non cor-
„ ripiuntur. Non intelligo inſuper, quare in infantibus
„ tantum, nec in adultis etiam vis haecce Rhachitidem pro-
„ creandi acido inſit; qui demum fieri poſſit, ut tot &
„ tam variae cauſae, quibus ſaepe nulla acidi gignendi in-
„ eſt vis, morbo huic anſam praebere poſſint (516)."

§. 318. Effectus degenerationis Rhachiticae ſyſtematis abſorbentis ſunt ſequentes.

1°. Spaſtica vaſorum lymphaticorum contractione reſorptio materiae ſecretae impeditur, oriunturque ſic ſaepe oedemata manuum & pedum, tumores lymphatici, imo nonnunquam Hydrops univerſalis, quae phaenomena initio morbi emeticis (quibus ſcilicet ſpasmus abſorbentium tollitur) cito evaneſcunt, ſed remanente cauſa mox recurrunt, demum perſiſtunt, ita ut tandem non raro Hydrope perimuntur aegroti (517).

2°. Ipſa diatheſis Rhachitica, quum enim continuo a degeneratis glandulis conglobatis ſecernatur materies illa Rhachitica, chylus illa imbuitur, isque ſua vice rurſus inficit ſanguinem, per quem malum cum ceteris organis communicatur, naſcitur tunc diatheſis Rhachitica.

§. 319. Cujus vero effectus ſunt ſequentes.

1°. Agit

(516) Conf. SOEMMERING l. l. §. 38. p. 93 & 94.
(517) Conf. VEIRAC l. l. §. 53. p. 90 & 91.

1°. Agit in nervos, iisque imprimit ſummam ad ſpasmum propenſionem, unde in Rachitide toties oriuntur convulſiones (518), imo nonnulli auctores obſervarunt, characterem illum ſpasmodicum poſtea numquam deleri potuiſſe, ſed hancce nimiam ſenſilitatem hominibus, Rachitide quondam correptis, per omnem reliquam vitam inhaeſiſſe (519); nec minori cum vi ſyſtema ſanguiferum aggreditur, ſanguis apparet diſſoluta facie tenuis, ac quaſi crudus (520), oriunturque irregulares ſanguinis motus; degeneratus vero ſanguis longe alio modo afficit ſyſtema ſecretorium, quam in ſtatu ſano, hinc peſſime depravantur ſecretiones, & dum ob vitalis laticis irregulares motus, ſanguis majori copia introrſum vehitur, viciſſimque a partibus externis quaſi revellitur, in promptu eſt ratio, cur in cadaveribus Rhachitide exſtinctis ſemper viſcera reperiantur volumine & pondere aucta, atque e contra partes externae Tabe marceſcant.

2°. In ipſam lympham, ceteroſque humores, qui per lymphatica tranſeunt, excitat propenſionem ad ſpiſſitudinem, uti probant depoſitiones materiae cujusdam ſpiſſioris, quae ad articulos, nec non poſt mortem in diverſis corporis cavis ſaepe apparent (521), ſpiſſitudo tamen illa vi-

(518) Conf. VEIRAC l. l. §. 141. p. 209.

(519) Conf. CULLEN l. l. Vol. IV. §. 1722. p. 335.

(520) Conf. VEIRAC l. l. §. 49. p. 85. & CULLEN l. l. T. IV. §. 1724. p. 343.

(521) Conf. VEIRAC l. l. p. 86, 90 & 129.

videtur minus tenax quam in Scrofulis, etiam illius materiae metaſtaſes minus frequenter obtinent (522).

3°. Praebet vaſis ſanguiferis ſolito majorem pro calorico capacitatem, id eſt vaſa ſanguifera ita afficit, ut majorem Gas Oxygenii copiam attrahant, nam hinc videtur derivandum ſingulare illud phaenomenon, quod ſcilicet Rhachiticorum cadavera calorem diutius retineant, nec facile rigeſcant (523).

Praeter hos effectus nonnulli, acidum quoque hoc in morbo evolvi, ſtatuunt, quod alii phosphoricum (524), alii e contra acidum quoddam vegetabile (525), eſſe aſſerunt: unde jam patet, infirmo talo illorum ſententiam niti. Ceterum argumenta, quae pro acidi exiſtentia adferunt; ſunt plane ſimilia iisdem, quae ſupra de Scrofuloſa diatheſi agens refutavi: non opus eſt igitur illa hic repetere, eoque minus, dum tota morbi hiſtoria ſatis ſuperque demonſtrat, in Rhachitide adeſſe peculiarem humorum diſcraſiam nec acidam, nec alcalinam; haud tamen negandum eſt, quod ex obſervationibus VEIRACII & ACKERMANNI videatur conſtare, Rhachiticam humorum diatheſin indolem aſſumere poſſe acidam quandoque (526).

§. 320.

(522) Conf. ACKERMANN l. l. Cap. II. p. 11. & ſeqq.

(523) Conf. STOLL l. l. p. 21. ROSENSTEIN l. l. p. 144. & CALLISEN l. l. T. II. Ord. III. §. 1017. p. 650.

(524) Conf. ACKERMANN l. l. Sect. II. Cap. VII. p. 35.

(525) Conf. VEIRAC l. l. §. IV. p. 15

(526) Vid. VEIRAC §. IV. p. 12 & 13. & ACKERMANN l. l. Cap. VI. p. 29.

§. 320. Morbus hicce raro ante nonum aetatis menſem, & vix unquam triennio praeterlapſo infantes corripit, Rhachiticis plerumque eſt ingenium acre, nonnunquam tamen ſtupidum, habitus corporis obſervatur laxus, caput magnum, anterius maxime tumens, pallor faciei, colli vaſa magna; pectus macilentum, acute prominens, coſtae ſunt nodoſae, ſpinae dorſi curvatura morboſa, abdominis praecipue hypochondrii dextri extenſio: in artubus vero muſculi ſunt flaccidi graciles, cutis laxa, vaſa itidem gracilia, oſſa latitudine augentur; apophyſes & epiphyſes naturalibus majores & ſpongioſae, praecipue extremitatum ulnae, radii, tibiae & fibulae, denique in ſummo morbi gradu ulcera in partibus glanduloſis & articulis apparent (527).

§. 321. Ratio autem, cur Rhachitis tantum infantes aggrediatur, videtur eſſe petenda ex eo, quod raro admodum adultorum ſyſtema lymphaticum tantam debilitatem & ſenſilitatem patiatur, quales ad hunc morbum requiruntur; exſtant tamen exempla adultorum, qui ex morbo Rhachitidi analogo oſſium emollitionem fuerunt experti: morbus ille adultorum vocatur Oſteoſarcoſis, cujus natura, quum raro admodum occurrat, & rarius adhuc in ejusmodi cadaveribus rite fuerit inquiſitum, huc usque latet; analogia interim ſymptomatum Oſteoſarcoſeos cum iis, quae in Rhachi-

(527) Conf. OOSTERDYK l. l. Cap. LXXXIX. p. 289 & 290. SELLE, *Noſol. Method. Appendix*, p. 375. & CULLEN, *Synopſ. Noſol. Method.* Gen. LXXXIII. p. 288.

chitide laborantibus obſervamus, videtur ſuadere, etiam illius cauſam proximam in morboſa affectione ſyſtematis lymphatici eſſe quaerendam (528), accedit inſuper, quod, glandulas conglobatas viſcerum & meſenterii in variis ſubjectis, hocce morbo exſtinctis, morboſe affectas imo induratas fuiſſe, ejusmodi cadaverum diſſectionibus extra dubium fuerit poſitum (529). Illa autem oſſium emollitio noſtro judicio duplici modo fit, attrahuntur nempe ab abſorbentibus, quorum actio in oſſa eſt valde inſignis, verae particulae oſſeae magna copia, & deponitur a vaſis ſecernentibus loco debitae materiae oſſeae materies quaedam mollis, in bonum os haud convertenda; re vera enim in Rhachitide materiem peculiarem oſſibus apponi, docet magna differentia, quae intercedit inter oſſa Rhachitica, & illa, quae acidis macerata emolliuntur; haec ſine ulla alia mutatione, ſolutis acido-terreis particulis, & glutine duntaxat remanente mollia & tractabilia evadunt, illa vero etiam volumine extenduntur, & in ſpongioſam maſſam intumeſcunt (530), manifeſto indicio, emollitionem oſſium hoc in morbo non ſolummodo eſſe repetendam a vitio ſyſtematis abſorbentis, ſed & ſimul a depravata actione ſyſtematis ſecretorii. Atrophia vero par-

(528) Conf. MACBRIDE l. l. Vol. II. Lib. VIII. Cap. IV. p. 377. & ſeqq. & AMBROSIUS HOSTY, *in Philoſoph. Transact.* Vol. XLVIII. Pars I. p. 26. & ſeqq.

(529) Conf. L. C. PLANK, *Commentatio de Oſteoſarcoſi*, Tubingae 1782. p. 13 & 54.

(530) Conf. ACKERMANN l. l. Cap. III p. 17.

partium externarum, & tumor viſcerum ab inordinato ſanguinis motu, quo major ſanguinis affluxus verſus illa & caput locum habet, ac e contra ceterae partes juſta quantitate privantur, videntur eſſe explicanda. Qui demum fieri poſſit, ut acies ingenii nonnullis Rhachiticis ſit acutiſſima, viciſſimque nonnullis ſtupidiſſima; etſi non facile extricari queat illius cauſae ratio; putamus tamen id pendere a diverſa actione morbi Rhachitici in caput, & a diverſa forma, quam diſtentis oſſibus praebet, certe cranii circumferentia externa pro evolutione animi facultatum ſummi videtur eſſe momenti, & quidem ita, ut ab illa pro maxima parte ingenii acies terminetur (531).

§. 322. Rhachitis in initio, ſi in corpus ceterum ſatis vegetum incidit, ſatis facile & cito ſanatur, in morbo autem provectiore praecipue ad conditionem pulmonum, abdominis, ad motus febriles, nec non ad corporis tumorem eſt attendendum; nimirum ſi materies Rhachitica per metaſtaſin ad pulmones fuerit delata, ibique excitaverit veram Phthyſin pulmonalem; ſi Hydrops appareat; ſi abdomen reperiatur durum tumidulum, ſique demum Febris Hectica ſolitis ſymptomatibus ſtipata jam huic morbo ſupervenerit (532), in ſummo vitae diſcrimine verſantur aegroti, & hiſce in caſibus plerumque ſola mors malis imponit finem: e contra hae conditiones ſi abſuerint, morbo

(531) Conf. VEIRAC l. l. §. 18. p. 97. & ſeqq. & §. 70. p. 112.

(532) Vid. VEIRAC l. l. §. 53. p. 91. §. 59. p. 101. §. 60. p. 103. & VOGEL, *Prael. Acad.* §. 640. p. 550.

bo licet inveterato, nihilominus tantum non ſemper priſtina ſanitas aegrotantibus reſtituitur.

§. 323. Ablatis cauſis remotis, & primis viis rite mundatis, Rhachitidis therapeia tribus ſequentibus indicationibus abſolvitur.

1°. Character Rhachiticus, & nimia lymphaticorum ſenſilitas tolli debent, ac curandum, ut materies morboſa ſolidorum actione rite ſubacta e maſſa humorum expellatur. Illa indicatio poſcit Sodam, Magneſiam, ceterasque terras abſorbentes, ſapones, Antimonialia, Aſſam foetidam, Dulcamaram &c.

2°. Depoſita ad canalem cibarium morboſa materies ſucceſſive ope purgantium, aut emeticorum, prout indicatio ferat, e corpore eſt eliminanda.

3°. Debilitata ſolida ſunt roboranda, ac contra novum impetum munienda, quod peragitur C. P., Amaricantibus, Rubia tinctorum, Martialibus, Balneis frigidis, diaeta eupepta, atque juſto vitae victusque regimine.

Quum vero Rhachitis pro maxima parte ab abſorbentis ſyſtematis debilitate naſcatur, ipſaque lymphaticorum nimia ſenſilitas praeſertim ab hacce debilitate pendeat, per ſe patet, absque roborantibus cetera remedia in morbo ſaltem provectiore plane nil eſſe praeſtitura, hincque minime convenire, fore, ut una indicatio poſt alteram abſolvatur, ſed ut e contra mox ad roborantia confugiatur, iisque addantur talia remedia, quae ſimul ſolida ad expulſionem materiae morboſae incitant, tali enim procedendi ratione una & ſolidorum tonus augetur, & Natura incitatur, ut propriae ſaluti conſulat.

§. 324. Quod ſi vero malum Rhachiticum natura aut ar-

arte non curetur, inter convulſiones Apoplexia (533), Hydrope, Tabe meſenterica, Phthyſi pulmonali, vel & Febre hectica pereunt miſeri: ſtudio hic diſtinctionem feci inter Febrim Hecticam & Tabem meſentericam, dum, quamvis in utroque morbo tabidi moriantur, inter utramque aliqua tamen datur differentia. In priori enim caſu imprimis ex vita tolluntur homines ob defectum organi cujusdam ad vitam plane neceſſarii: in poſteriori vero quod ob diatheſin Rhachiticam ſolida in dies debilitentur, continuo magis & magis degenerentur, ſicque tandem ob deſtructum penitus principium vitale mors ſequatur.

GENUS TERTIUM.

SCORBUTUS.

§. 325. Quoties color faciei pallidus; aſthenia, ſtomacace, cutis arida, maculis diverſicoloribus inſignita, crura oedematoſa, vagique variarum partium dolores obtinent, toties illa morboſa affectio dicitur Scorbutus. — Hujus morbi cauſae proegumenae ſunt calor nimius, aut frigus nimis intenſum, aëris conditio humida, perſpiratio ſuppreſſa, animi pathemata deprimentia, corporis exercitia ne-

(533) Conf. CALLISEN l. l. T. II. §. 1016. p. 650.

neglecta, morbi praegreſſi tam acuti quam chronici, ſi modo corpus inde debile fuerit redditum, uno verbo omnia, quae corpori debilitatem inducere valent, ad Scorbutum diſponunt, quare etiam ſubjecta debilia & torpida prae ceteris ad hunc morbum propenſi ſint (534).

Cauſae procatharcticae ſunt nutrimentum ſiccum duſpeptum, alimenta ſalſa, defectus victus recentis imprimis e regno vegetabili; haec autem ſolummodo cauſae occaſionalis vice fungi, atque nullatenus in ſubjectis, ubi ſeminium morboſum deſideratur, Scorbutum generare poſſe, docent ſuo exemplo praefecti navium, qui licet eodem victu utantur ac claſſiarii, tamen raro admodum Scorbuto laborant; probant itinera maritima ſatis longa, in quibus tamen vix ullus Scorbuto fuerit affectus: illuſtre hujus rei exemplum praebuit claſſis Anglica, duce ANSONO, orbem terrarum circumvecta, in qua, quum per quatuor menſes oram Mexicanam legeret, nulla hujus mali ſe manifeſtarunt ſymptomata, dein autem relicta ora Mexicana, aëris conditione mutata, quum mare auſtrale navigaret, tertia fere pars nautarum hac calamitate conſumta periit (535).

§. 326.

---

(534) Conf. CULLENUS l. l. T. IV. Lib. III. Cap. III. §. 1797. & ſeqq. BISSET, *a Treatiſe on the Scurvy*, London 1755. §. 5, 33 & 48. LIND, *a Treatiſe on the Scurvy the third Edition*, London 1772. P. II. Cap. I. p. 64. & ſeqq. nec non Cap. III. p. 130. & ſeqq.

(535) Vid. BISSET l. l. §. 6. LIND l. l. P. II. Cap. I. p. 52, 53, 55, 62 & 69.

§. 326. Ratio autem, cur ab alimento ſicco duſpepto, ſalſo inducatur praediſpoſitis noſter morbus, videtur eſſe in eo, quod debilia digeſtionis organa illud nutrimentum rite digerere haud poſſint, abſorbetur itaque chylus non rite ſubactus. Quid quaeſo hujus crudi chyli aliter poteſt eſſe effectus? niſi quod praedispoſita ſolida praeternaturaliter ſtimulando Scorbutum generet. Hinc ſatis facile intelligere eſt, cur ad hunc morbum non ſemper requiratur nutrimentum duſpeptum, ſalſum, ſed etiam ab ipſis cauſis proegumenis ſaepe numero Scorbutus producatur, ſi ſcilicet earum actio per longum tempus continuetur, aut ſi illae in ſubjecta, jam aliquam ob cauſam debilitata, inciderint; ex eodem fonte etiam eſt petenda ratio, cur quandoque, etſi vegetabilia recentia minime deficiant, nihilominus immaniter ſaeviat Scorbutus (536); immo nonnunqnam incolis ſiccae & amoenae regionis ne quidem parcat (537); nec non, qui demum fiat, ut corpora vegeta & robuſtiſſima ſaepe quoque Scorbutum patiantur, dum ſcilicet, ſicuti ipſae cauſae praediſponentes in corpore jam per ſe, aut per alias rationes debilitato ſtimuli inſtar agunt, ſicque vice cauſae occaſionalis fungentes absque concurſu alius potentiae nocentis Scorbutum generant, etiam vice verſa a ſtimulis morboſis nimis violenter in Corpus Humanum agentibus absque ulla praedispoſitione cum ſanis illa morboſa affectio poteſt communicari.

§. 327. Oritur itaque Scorbutus ab iisdem plane cauſis,

(536) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. I. p. 61.

(437) Cf. MACBRIDE l. l. T. II. Lib. VIII. Cap. VI. p. 383.

ſis, a quibus Rhachitis & Scrofula oriri ſolent, unde jam a priore liquet, Scorbuti indolem hiſce morbis quoque debere eſſe analogam, ejusque originem etiam ex vaſorum lymphaticorum debilitate cum aucta ſenſilitate juncta eſſe derivandam; ſed ſi ad ſequentia attendamus hac de re nullum amplius ſupererit dubium.

1°. Hoc probat Principii vitalis torpor, qui ſemper Scorbutum comitatur, & qui initio ſaltem morbi non eſt derivandus a vera ſolidorum debilitate, ſed unice ab illorum languore ex morboſa affectione ſyſtematis abſorbentis inducto, unde etiam noſter morbus, ſi nempe adhuc in primo ſtadio verſatur, ſaepiſſime ſolis corporis exercitiis absque ullo vegetabilium recentium uſu fuit curatus (538).

2°. Non minus hac de re conſtat ex Scorbuti curatione, niſi enim in ſummo illius gradu tandem ſtimuli morboſi actione organa omnia veram contraxerint debilitatem, uſus recentium vegetabilium omnem curationis abſolvit paginam, ac diaeta vegetabili, nullis aliis pharmacis adjuta, brevi tempore a ſumma aegritudine ad plenam ſanitatem perveniunt aegroti (539), manifeſto indicio, mali fomitem haud per totum corpus fuiſſe diſperſum, verum unice in ſyſtemate lymphatico haeſiſſe.

3°. Vaſorum lymphaticorum ſenſilitatem hoc in morbo numquam non praeternaturaliter augeri, docet Scorbuticorum ſenſilitas ad aëris conditiones, etenim ab aëris temperie frigida, humida, pluvioſa, ſemper omnia morbi ſym-

(538) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. III. p. 131.

(539) CULLEN l. l. T. IV. Lib. III. Cap. III. §. 1808.

ſymptomata increſcunt, dum e contra ſub aëre ſicco calido morbus imminuitur. Probant hoc porro Scorbuti ſymptomata, quae pro magna parte tanquam cujusdam ſtimuli effectus apparent, confirmat id dein ejus per vegetabilia curatio, quae absque dubio tollendo ſtimulo morboſo operantur, utpote plurimum omni vi roborante prorſus deſtituta.

4°. Huncce morbum a glandularum conglobatarum degeneratione natales ducere, Scorbuticorum diſſectiones demonſtrant, in ejusmodi enim cadaveribus ſemper meſenterii, hepatis & lienis glandulae degeneratae, ſolito majores, diſtentae, imo ſaepe prorſus induratae vel & ulceratae inveniuntur, eosdem fere effectus in pulmonum & renum glandulis a metaſtaſi materiae morboſae obſervare haud rarum eſt phaenomenon (540), quae omnia de primaria morbi ſede nullum relinquunt dubium.

§. 328. Erravit itaque CULLENUS Scorbuti indolem quaerens in nimia evolutione materiae ſalinae ex humoribus, a victu animali praecipue inducta, ejusque nimia propenſione ad putredinem, nam praeterquam quod CULLENIANA ſententia in Naturae facta haud quadrare ex antedictis jam conſtet, talem opinionem nullis niti fundamentis, ſequentia, ni fallor, docebunt.

1°. Morbi incipientis ſymptomata accuſant quidem principii vitalis torporem, ſolidorumque debilitatem, ſed nullum humorum apparet vitium, niſi iis in partibus, ubi morbus

(540) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. VII. p. 244. & 245. No. 20.

bus magnos jam fecit progreſſus; v. g. in gingivis, & ſtricto ſenſu illa gingivarum morboſa affectio jam ad ſecundum morbi ſtadium pertinet, dum in primo ſtadio plerumque gingivae apparent ſanae (541).

2°. Ingens datur differentia inter ſymptomata, quae Scorbutum vulgo concomitantur, & inter illa, quae a ſic dicta acrimonia humorum putrida naſci ſolent. In morbis putridis nempe ſemper proſtratus eſt appetitus, ac ſere numquam non primarum viarum adſunt ſordes; in Scorbuto e contra ſaepe omnia ſaburrae indicia deſiderantur, & haud raro ad mortem usque viget appetitus (542).

3°. Nec minus utriusque morbi effectus differunt, ſemper enim putridam, ut ajunt, humorum acrimoniam concomitantur motus febriles, quae interim in Scorbuto ſimplici, ſive cum alio morbo haud complicato in ultimo licet gradu plerumque plane abſunt (543).

4°. Scorbutus, ut ſupra jam monui, ſuccis plantarum recentium cito curatur, ac uſu illorum liberali brevi reſtituitur priſtina ſanitas, neque, ut MACBRIDII verbis utar, „ magni intereſt, cujus generis plantae illae ſint, „ modo recentes, ejusque Naturae, quae copioſum ipſarum uſum permittat, acidi & alcaleſcentes, lenes & acres, „ dulces & amarae, Scorbutum ex aequo ſanant, quamvis qualitates illarum, quae ſub ſenſus veniunt, inter „ ſe

(541) Vid. STOLL l. l. T. I. Cap. I. p. 2. & MACBRIDE l. l. Vol. II. Lib. VIII. Cap. VI. p. 385.

(542) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. VII. p. 245.

(543) Cf. STOLL l. l. p. 4 & 5. LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 107.

„ ſe contrariae, effectusque quos alias in corporibus prae-
„ ſtant, diverſi ſunt (544)." BISSETUS, LINDIUS & CULLENUS, etſi malorum aurantiorum vel limonum ſuccum ceteris palmam praeripere doceant, aſſerunt tamen, alias plantas, imo vulgo dictas alcalinas, quae, licet alcali nudum haud contineant, tamen in putredinem admodum ſunt propenſae, etiam egregio inſervire uſui, imo ad plenariam Scorbuti curationem eorum uſum ſufficere (545): qui interim fiat, ut ejusmodi plantae acrimoniam alcalinam putridam tollant, alcalinae acrimoniae fautores huc usque nondum explicuerunt.

Ex his itaque ſatis ſuperque conſtat, Scorbutum Scrofularum & Rhachitides adinſtar oriri, quotiescumque praediſpoſitae glandulae conglobatae a ſtimulis morboſis ita afficiuntur, ut determinatam quamdam degenerationem paſſae ſecernant materiem peculiarem, Scorbuticam dictam.

§. 329. Scorbutica autem degeneratio ſyſtematis lymphatici ſequentes exſerit effectus.

1°. Spaſtica lymphaticorum contractione ac eorum motu irregulari reſorptio ſecretae materiae impeditur, ipſa lymphatica vaſa ab hauſto liquore turgida propter debilitatem illum tarde admodum promovent, vel & propter motum abnormem abſorptam materiem aliquem in locum effundunt: hinc hoc in morbo crura ſemper apparent oedoematoſa, ſaepe illum concomitatur Anaſarca, atque Hydrotho-

(544) MACBRIDE l. l. p. 389.

(545) Vid. CULLEN l. l. §. 1804. & 1805. BISSET l. l. §. 73. p. 102. & LIND l. l. P. II. Cap. V. p. 194. & ſeqq.

thorax, Aſcites, & Hydrocele haud raro hujus morbi ſunt ſequelae (546).

2°. Quum a ſpecifice mutatis glandulis conglobatis continuo materies Scorbutica creëtur, chylus in itinere ad ſyſtema ſanguiferum glandulas ſalutans illa inquinatur, infectus tali modo chylus ſanguinem intrat, & cum vitali latice per totum corpus vectus ſpecifice agit in ſolida, quae inſolito modo ſtimulata ſpecificam reactionem inſtituunt, cujus ſequela eſt, ut, tota humorum craſi mutata, naſcatur peculiaris ſanguinis diatheſis, quae vulgo Scorbutica dicitur.

§. 330. Ejus effectus ſunt ſequentes.

1°. Materies Scorbutica, per totum corpus quaſi volans, ſparſim aggreditur nervos nunc hic, nunc illic, excitatque variarum partium dolores vagos; ob ſenſilitatem corporis morboſe auctam Scorbutici facillime morbum epidemicum aut aliam morboſam conditionem contrahunt, atque inde peti debet ratio, cur Scorbutus plerumque obſervetur cum alio morbo complicatus, atque quare illi, qui olim graviori Scorbuti gradu laboraverunt, ſaepe postea certis vitae periodis Rheumatismo chronico, articulorumque dolori & rigori ſint obnoxii (547). Summa vi agit in ſyſtema ſanguiferum, mutatque ſanguinem in liquorem tenuem diſſolutum coccinei coloris, illius ſerum viridеſcit, ac ſaporis deprehenditur acris (548). Natura tamen

(546) Cf. BISSET l. l. §. 19. p. 27. LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 113.

(547) LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 105. & Cap. III. p. 133.

(548) SWIETENUS l. l. T. III. §. 1151. p. 610.

men, ſicuti ſemper ſeſe a materia morboſa liberare tentat, ac eam pro parte ad corporis ſuperficiem deponit, ubi pro varia organorum ſecernentium reactione varia forma ſeſe prodit, hinc exanthema Scorbuticum poteſt eſſe maculoſum, coeruleſcens, latum, purpuraſcens, petechiforme, miliforme, lepriforme, eriſypelatodes &c. (549), uno verbo, tot diverſas formas aſſumere valet, quot dantur diverſae organorum reactiones ad potentiam nocentem: depravato autem ita vitali latice, non poteſt, quin etiam ſyſtematis ſecretorii actio plurimum turbetur, hinc foetet anima, ſudor, ſi adeſt, eſt viſcidus, ac valde olens, peſſimi odoris ſunt alvi dejectiones, lotium quoque male olet, ac plerumque valde rubrum eſt (550); immo depravantur ſecretiones ad unum omnes.

2°. Agit in glandulas conglobatas, easque ſaepe afficit Inflammatione chronica, quae haud rara ſuppuratione, aut deſtructione totius organicae compoſitionis terminatur, inſuper ex analogia cum praecedentibus morbis videtur etiam lymphae propenſionem ad ſpiſſitudinem inducere, quod tamen defectu obſervationum aſſerere non auſim.

3°. Oriuntur metaſtaſes materiae morboſae verſus varia organa imprimis ad pulmones & renes: hinc violentiſſimae pectoris conſtrictiones, validi ejus dolores, ac reſpirandi difficultas ſunt explicanda, nec non ſaevae illae ſtranguriae,

(549) Vid. STOLL l. l. p. 5. LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 114. & ſeqq.

(550) Cf. MACBRIDE l. l. p. 388.

riae, quae toties hoc in morbo obſervantur, & quae non raro adferunt mortem (551).

§. 331. Praeter ſymptomata, quae in Scorbuti definitione jam retuli, provectiorem illius gradum concomitantur crurum maculoſorum vehementer auctus tumor; omnium functionum languor, facile animi deliquium, variarum partium haemorrhagiae, ulcera gingivarum, crurum, aliisque in locis, quae peſſimum ichorem fundunt, oſſium caries, Dyſenteriae torminoſae, Tabes aut Phthyſis ex viſcerum vitiis, violentiſſimae pectoris conſtrictiones, inſequente ſubitanea ſaepe morte, leipothymiae ſaepe ſubito lethales ex mutato aëre atmoſphaerico, epiphyſes & apophyſes, imo cartilagines ab oſſibus ſeparantur, ipſorumque oſſium adeſt fragilitas, demum duriſſima oſſa emollitionem patiuntur (552).

Unde naſcuntur fracturae ſic dictae oſſium ſpontaneae, vel a cauſa interna ortae, quarum illuſtre exemplum deſcripſit, delineavitque BONNIUS (553); imo refert LINDIUS exemplum Scorbutici, cui callus fracturae pedis, quae jam per longum tempus erat conſolidata, iterum reſolvebatur, ita, ut fractura videretur eſſe recens (554), quod

---

(551) Cf. SWIETENUS l. l. p. 613. LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 113. Cap. VII. p. 244 & 245. & BISSET Cap. I. §. 16. p 25.

(552) Cf. OOSTERDYK l. l. Cap. XVI. §. 3. SELLE in *Appendice ad rudimenta Pyret. Method.* §. 16. p. 380. SWIETENUS l. l. §. 1151. No. 4. p. 613. LIND l. l. P. II. Cap. VII. No. 15, 16, 17, 18. & 19.

(553) Cf. *Tab. Oſſ. Morbos* Tab. XX. Fig. 2.

(554) LIND l. l. P. II. Cap. VIII. p. 253.

quod phaenomenon noſtra ex ſententia aeque ac in Rachitide partim ex reſorptione ſubſtantiae oſſeae per vaſa lymphatica, partim ex ſecretione materiae peculiaris in bonum os haud convertendae explicari debet.

§. 332. Scorbuti prognoſis pro vario morbi ſtadio, pro varia illius cum aliis morbis complicatione, & pro variis ſubjectis differt: in univerſum tamen in primo & ſecundo ſtadio ſatis facile Vegetabilium uſu curatur; in ultimo vero morbi ſtadio ſumma pectoris oppreſſio, & ingens reſpirandi difficultas ſaepe Phthyſin aut Hydropem imminere indicant (555). Complicationes, etſi in genere omnes Scorbutum graviorem reddant, illius tamen cum Febre putrida complicatio deprehenditur omnium peſſima (556). Tandem ad variam corporis diatheſin plurimum eſt attendendum, quum, ceteris paribus, ſubjecta, quorum ſolidorum tonus per praegreſſos morbos jam fuit fractus, longe minus Scorbuti vim ſufferre valeant, quam corpora ſana & robuſta. Ceterum Scorbutici, ſi curantur, multo citius ſanitatem recuperant quam ex ullo alio morbo (557), exceptis tamen iis caſibus, ubi ab inveterato Scorbuto ſolidorum tonus jam fuit fractus, tunc enim non niſi pedetentim & tarde admodum integra reſtituitur ſanitas.

§. 333. Indicationes pro therapeia mali Scorbutici ſunt tres. 1°. Cha-

(555) LIND l. l. P. II. Cap. III. p. 133.
(556) STOLL l. l. p. 5.
(557) C. LIND l. l. p. 133. & ſeqq.

1°. Character Scorbuticus eſt tollendus, ac ſolida ita ſunt diſponenda, ut materies morboſa ſubigatur & e maſſa humorum ſeparetur.

2°. Materies illa morboſa ſudoriferis, diureticis, & leniter alvum ducentibus e corpore eſt expellenda.

3°. Solida contra novum potentiae nocentis impetum rite ſunt munienda, ac debitis cautelis impediendum, quominus ea in poſterum a potentiis nocentibus adeo facile afficiantur.

In primo & ſecundo ſtadio hujus morbi omnes iſtas indicationes Vegetabilibus abſolvuntur, nam, ſimul ac per ea character Scorbuticus fuerit ſublatus, brevi ſolidorum languor evaneſcit, ac illa, iterum ſui juris facta, ſua ſponte materiam morboſam e corpore expellunt, ſicque malum ſanant, illorum ope igitur in Scorbuto praecipua curatio abſolvitur, hinc, ſi ſucci recentes deficiant, eorum in locum ſubſtitui debent conſervae ex illis herbis paratae. — Provectiore vero morbi gradu per eadem remedia quidem etiam abſolvitur prima indicatio, ſed tunc ad ſecundam peragendam plerumque ars Naturae ſuccurrere debet moderato ſalis polychreſti uſu, leviter laxantibus, reſolventibus, ſudoriferis, diureticis &c.; ceterum Scorbutus nullo tempore exinanitiones largas ſuſtinet, aut deſiderat, (loquimur hic de Scorbuto ſimplici) ſanguinis itaque detractio, vomitoriorum, & purgantium uſus nocent (558), & quid dicam de uſu acidorum mineralium hoc in morbo? ſane eorum in

(558) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. V. p. 199. & 220. MACBRIDE l. l. p. 390. BISSET l. l. §. 73. p. 102.

in Scorbuto ſanando laudes videntur potius deberi falſae auctorum de acrimonia putrida opinioni, quam quidem experientiae, immo ipſe CULLENUS, acrimoniae putridae licet fautor, candide tamen fatetur, illa parum admodum in Scorbuto praeſtare; MACBRIDIUS illa ſilentio praetermittit, ac BISSETUS & LINDIUS de iis in tranſitu modo mentionem faciunt (559), unde ergo jure eſt concludendum, iſta absque ullo aegrotantium damno poſſe ommitti; ſin autem inveterato malo Scorbuto ſolidis jam jam major debilitas fuerit inducta, paulo aliter eſt procedendum, tunc enim, mox quando character Scorbuticus fuerit deletus, aut una cum antiſcorbuticis Cortex peruvianus, Amara, & Aromata ſunt exhibenda, vel, Scorbuto profligato, memoratorum uſu ſolidorum tonus eſt reſtituendus, aliter vero ſi procedatur, aut tarde admodum curantur aegri, aut, malo licet profligato, nihilominus ad Scorbutum diſpoſiti manent illi valetudinarii, & ſimulac cum debilibus eorum corporibus de novo ſtimulus fuerit communicatus, malum recidivat (560): praeter pharmaca autem, quae enumeravi, morbi ſymptomata haud raro collutoria & gargariſmata antiſcorbutica, nec non involventia & adſtringentia requirunt, ubinam autem & quando

(559) Cf. LIND l. l. P. II. Cap. V. p. 194. ſeqq. BISSET l. l. Cap. IV. p. 95. & ſeqq. CULLENUS l. l. §. 1807. & MACBRIDIUS l. l. p. 389. & duab. ſeqq.

(560) LIND l. l. P. II. Cap. V. p. 197. & p. 213. P. III. Cap. II. p. 444. BISSET l. l. §. 66. p. 94.

do unumquodque illorum uſui venit, pulchre docuit LINDIUS (561).

§. 334. Ratio vero moriendi in Scorbuto eſt multiplex, praeterquam enim illi, qui Hydropis quadam ſpecie pereunt, aut cujusdam viſceris Tabe aut Phthyſi correpti diem obeunt ſupremum, poteſt mori Scorbuticus.

Ex Diarrhoea colliquativa (562).

Ex Haemorrhagiis, quo in caſu ſanguis per totam ſuperficiem alicujus organi quaſi per ſpongiam copioſe effunditur, licet, deterſis partibus, vix veſtigium & via manifeſta, unde ſanguis effluit, viſui appareat; dum autem non ita facilis talis Haemorrhagia ſiſtitur, nil mirum, quod miſeri, tot tantisque malis perpeſſis, haud amplius jacturam ingentis ſanguinis copiae tolerare valentes ſaepe una cum ſanguine animam reddant (563).

Ex Suffocatione, quae fit duplici modo, vel quando pulmones, diatheſi Scorbutica jam admodum debilitati, Inflammatione corripiuntur, qua ſpuria vis vitalis incitatione extenſi reſpirationem impediendo ſubitaneam adferunt mortem, vel ubi eorum Inflammatio effuſione ſeri ad cavum thoracicum terminatur, nam tunc ſerum illud acre pulmones ſtimulando & comprimendo etiam liberam intercipit reſpirationem, ſicque homines necat (564).

Syn-

(561) LIND l. l. Cap. V. a p. 203 ad 206. & p. 210 ad 214.

(562) BISSET l. l. §. 26. p. 32.

(563) Conf. SWIETENUS l. l. T. III. §. 1151. p. 608.

(564) Conf. LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 113. & Cap. VII. p. 241. N. 3, 4 & 5.

Ex Syncope, quod fit vel motu quodam aut ſubita aëris mutatione. In priori caſu per illum motum ſanguis majori copia ad cor delatus illud organum extendit, quod ad ſtimulum ſeſe contrahens mox ſanguinem conjicit in arteriam pulmonalem, verum debiliſſimi pulmones tantam ſanguinis quantitatem admittere recuſant, refluit ergo ad cor dextrum, illud obruit, oriturque lethalis leipothymia; in poſteriori caſu inſolitus ille aër ſtimuli inſtar in irritabile Scorbuticorum corpus agit, vaſa ſanguifera ad corporis ſuperficiem tendentia ſpaſtice contrahit, atque ſanguinem introrſum pellit tanta vi, ut debilitatum cor illam ſanguinis copiam non propellere valens ab actione ceſſet, concidunt miſeri, ac momento poſt animam efflant; quamobrem hiſce in caſibus ventriculus dexter una cum appenſo atrio numquam non ſanguine coagulato repletus reperitur (565).

Denique pereunt Scorbutici Enteritide, indeque orto inteſtinorum ſphacelo (566).

GE-

(565) LIND l. l. P. II. Cap. II. p. 109. Cap. V. p. 220. & Cap. VII. p. 241. N. 6. p. 247, 248, 249.

(566) LIND ibidem N. 8.

GENUS QUARTUM.

ANEURISMA.

§. 335. Omnis morboſus tumor a ſanguine arterioſo exortus ſenſu latiore dicitur Aneurisma.

Illius cauſae ſunt vel externae vel internae, inter externas pertinent vulnera, luxationes, fracturae, ictus, lapſus, ingentis ponderis elevatio &c. uno verbo omnia illa, quae vaſorum tonum infringere, & eorum rexin producere valent. Haec autem actionis violentia in corpore robuſto licet & vegeto Aneurisma generare poſſunt. Inter poſteriores recenſeri debent, quae vaſorum robur imminuunt, aut quae ſanguinis circulum turbando enormi impetu eum verſus aliquam partem propellunt, quamobrem plethorici, hypochondriaci, & hyſterici ad hunc morbum prae ceteris ſint propenſi; quum interim memoratae conditiones ſaepiſſime obtineant, absque ut eas ſequatur Aneurisma, videtur inſuper requiri certam ad Aneurisma praedispoſitionem, quae ſi deſideretur, illae potentiae nocentes nullatenus Aneurisma producunt; talis vero diſpoſitio veroſimiliter conſiſtit in certo gradu debilitatis ſyſtematis ſanguiferi, quae aut a determinata ſolidorum conſtitutione pendet, quo in caſu ipſa aliquoties videtur fuiſſe hereditaria, ſaltem refert LANCISIUS, ſe talem diſpoſitionem in nobili quadam familia obſervaſſe, in qua ſcilicet quatuor ſe ordine excipientes generationes, proavus nempe, avus, pater, & *filius*

Aneu-

Aneuriſmate fuerunt vexati (567); aut natales debet praegreſſis morbis, quibus vaſorum tonus fuit fractus v. g. Scorbuto, Lui Venereae &c. (568): prout autem totum ſyſtema ſanguiferum, aut modo illius pars fuerit debilitata, pro ea ratione diverſis in partibus, aut uno tantum in loco peſſimum illud malum obſervatur (569).

§. 336. Diagnoſis morbi ſaepe eſt difficilis (ſi nempe Aneuriſma haereat in vaſis majoribus cordi vicinis) frequenter tamen adeſt tumoris pulſatio cum reliquis arteriis ſynchrona, dolor in pectore gravativus, ſeſe diſpergens haud raro inter ſcapulas ad vertebras usque, cordis palpitatio, pulſus parvus debilis, abdominis tenſio, ac corpore in anteriora flexo ſymptomata aliquando levantur (570). Hujus morbi effectus ſunt, vertigo, Apoplexia, tuſſis moleſta, Hoemoptoë, Syncope, reſpirandi difficultas, ſumma anxietas, ipſa Suffocatio, Tabes, Phthyſis, Hydrops pectoris, inſuper plerumque in morbo provectiore cartilagines, imo ipſa oſſa, a diſtenta arteria preſſa, carie afficiuntur,

(567) Conf. LANCISIUS, *de Motu Cordis & Arter.* P. II. Prop. XLVII. p. 280.

(568) Conf. GUATTANI, *over de Slagadergezwellen, uitgegeeven door* VAN DER HAAR, p. 12, 14 & 15.

(569) Vid. RICHTER, *Anfangsgrunde der Wundarzneikunst*, Vol. I. Cap. XIX. §. 518 & 519.

(570) Conf. OOSTERDYK l. l. Cap. LI. §. 2. p. 175. CALLISEN l. l. Vol. I. P. II. §. 933. p. 469. nec non Doct. VERBRUGGE, in Diſſertatione *de Aneuriſmate publice defenſa*, Lugd. Bat. 1773. Sect. V. §. 19.

tur, & ſaepe pro maxima parte a vaſis abſorbentibus conſumuntur (571).

§. 337. In Aneurismatis prognoſi formanda ſemper attendere debet medicus.

1°. Ad Aneurismatis ſpeciem, ceteris enim paribus, vera eſt omnium periculoſiſſima, ſpuria majorem praebet ſucceſſus ſpem, & Aneurisma varicoſum, niſi turbetur, nil mali portendit (572).

2°. Ad variam cauſam, quae Aneurisma produxit, ſi enim Aneurisma absque injuria externa fuerit illata, vel absque nimis valido corporis exercitio ſponte appareat, metuendum, ne forte mali origo ab ipſa ſolidorum conſtitutione debeat peti, quod ſi verum ſit, ſublatio Aneurismatis compreſſione aut ligatura nil valet, quia ob depravatam ſolidorum conſtitutionem alio in loco mox novus oritur tumor Aneurismaticus; hoc ergo in caſu unice cura palliativa tentari debet (573).

3°. Ad variam Aneurismatis ſedem, ſi ſcilicet in tali haeret parte, ubi ligatura aut compreſſio nullos poſſunt praeſtare effectus; ſi arteria eſt tanta, ut metus naſcatur, ne forte, antequam Haemorrhagia ſiſti poſſet, una cum pur-

(571) Conf. HUNTERUS, *in Medical Obſerv. and Inq.* Vol. I. Art. 26. OOSTERDYK l. l. p. 176. & VERBRUGGE l. l. Sect. IV. §. 18.

(572) Conf. HUNTER l. l. Vol. II. Art. 26. Caſ. I. p. 399.

(573) Conf. RICHTER l. l. Cap. XIX. §. 550. nec non Cl. B. BELL, *a Syſtem of Surgery*, Vol. I. Cap. IV. Sect. I. p. 213 & 214.

purpureo latice effletur anima, uti v. g. ſi Aneuriſma detur in arteria axillari, ſubclavia &c., ſemper ſummum vitae imminet diſcrimen, nam, etſi Natura ſalutiferis conaminibus Aneuriſmatis parietes valdopere denſentur, firmiores reddantur, iisque lamellae cartilagineae immo oſſeae apponantur, ac ſanguinis coagulis vitali latici ponatur obex, ſicque aliquatenus fatum differatur, eventus tamen ſemper eſt lethalis (574).

4°. Ad aegrotantis aetatem, & diatheſin, etenim in aetate juniori, quando ſolida adhuc ſunt mollia, & flexilia, facile ad varias mutationes ſeſe accommodat corpus juvenile; magna itaque datur ſpes, fore, ut impedito ſanguinis fluxu per Aneuriſmaticum truncum, rami collaterales ab affluente ſanguine ſatis dilatentur, eaque dilatatione organum, cujus arteria fuit intercepta, aeque bene ac antea nutriatur: dum e contra in periodo vitae provectiore ſolida jam magna acquiſita rigiditate ſeſe extendi non amplius patiantur, quare in ſtatu ſenili plerumque curationis eventus ſit infelix; requiritur inſuper, ſaltem, ſi agatur de inſtituenda Aneuriſmatis operatione, ut aegrotus ſufficienti polleat robore, aliter enim ſanguinis jacturam & dolorem ſufferendo haud eſt par; ſed aliquot dies poſt operationem ſuccumbit (575).

§. 338.

---

(574) Conf. F. RUYSCH, *Opera omnia*, Obſ. XXXVIII. p. 37. VERBRUGGE l. l. Sect. VIII. §. 33. p. 96 & 97. HUNTER l. l. Vol. I. p. 331. & BELL l. l. p. 216 & 217.

(575) Conf. GUATTANI l. l. Obſ. I, V & XIV.

§. 338. De curatione autem hujus morbi ſequentia tenenda ſunt: Aneuriſma aortae & ceterorum vaſorum principum nullam admittit medelam, ac tantum V. S., leniter alvum ducentibus, Anodynis, Antiſpasmodicis, ſtrictiſſima diaeta, ſummaque corporis & animi quiete malum in longum protrahi poteſt (576). Curatio vero tumoris Aneurismatici reliquarum partium compreſſione aut ligatura tentanda eſt, quarum ope illi licet inveteratiſſimi haud raro feliciter ſanantur. De variis autem encheireſibus, quas hunc in finem excogitaverunt artis medicae periti, agere noſtrum non eſt, eoque minus quum illae apud Chirurgiae ſyſtematicae auctores tantum non omnes inveniantur, qui idcirco de his ſunt conſulendi.

§. 339. Quod ſi vero Aneurisma memoratis modis tolli neſciat, ocius vel ſerius tandem urgens ſanguinis columna ſuperat reſiſtentiam parietum, quibus tumor ille Aneurismaticus ſuſtinetur, oritur igitur Aneurismatis ruptura, quae ſi verſus exteriora pateat, momento citius cum horribili ſanguinis copia animam reddant miſeri (577): ſin autem Aneurisma introrſum aperiatur, per longum quidem tempus, imo per menſes, deplorabilem vitam protrahere posſunt, ſed quum continuo e vaſe rupto effundatur nova ſanguinis copia, demum, vaſis nimirum ſanguine fere orbatis, mors

(576) Conf. BURSERIUS l. l. Vol. IV. Cap. II. §. 307. & ſeqq.

(577) Conf. HUNTERUS l. l. Vol. I. Art. 26. p. 330 & 331. & VERBUGGE l. l. p. 102 & 103.

mors tali vita multo optabilior etiam hic tragoediam claudit (578).

GENUS QUINTUM.

MORS PARTIALIS.

§. 340. Quoties aut a praegreſſa Inflammatione, aut ab alia cauſa quacumque in quadam parte C. H. ſummus atoniae obtinet gradus, toties illud malum dicitur Mors imperfecta.

Si autem illa imperfecta mors cum livore, mollitieque nec non quodam turgore ſit juncta, appellatur Gangrena.

Sin e contra organum quoddam areſcit, exſiccatur, induratur, nigreſcitque, tunc talis imperfecta mors Necroſeos ſub nomine venit.

Si demum ſive in Gangrena, ſive in Necroſi vitae reliquiae prorſus exſtinguantur, naſcitur Mors perfecta, id eſt adeſt Sphacelus.

Plerique auctores quidem unice ad mortem cujusdam oſſis deſignandum Necroſeos nomine utuntur, atque oſſium mortem ab illa partium mollium diſtinguendam eſſe putant; verum ſi conſideremus, quod hodie plane ſit evictum, oſſa &

(578) Conf. MORGAGNE l. l. T. III. Lib. IV. Epiſt. L. N. 11 & 12.

& partes molles ab iiſdem cauſis morte partiali affici, ita quidem, ut ab una eademque potentia nocente in uno individuo partium mollium Sphacelus, in altero vero oſſium mors producatur, ſique perpendamus, oſſa aeque ac partes ceteras C. H. Gangrena humida affici (579), ſique hiſce demum addamus, curationem utrorumque fere eſſe eandem, tunc certe patebit, differentiam mortis oſſium & partium mollium non eſſe eſſentialem, & ſolummodo cauſis accidentalibus deberi: quod ſi conſtet, uti hac de re nullum eſt dubium, an ergo ab arte ſunt collocandi limites, ubi Natura poſuit plane nullos? id certe non videtur: Natura ergo duce aeſtimavi, diſcrimen hic adeſſe nullum, taleſque dedi definitiones, quales etiam in oſſium fabricam quadrare poterant.

Differunt ſpecie Gangrena & Necroſis. Iſta diverſitás debetur vel naturae cauſae, quae malum produxit, ſic v. g. ab impedito ſanguinis affluxu oritur plerumque Necroſis, uti e contra a nimia ſanguinis congeſtione naſcitur Gangrena; vel pendet a parte, quam occupat malum, prout enim pars quaedam majori aut minori ſuccorum copia gaudeat, pro ea ratione generatur etiam Gangrena aut Necroſis, aut denique debetur cauſis accidentalibus, & hinc idem ſtimulus morboſus in diverſis ſubjectis Gangrenam & Necroſin excitare poteſt. Inter binas haſce morboſas conditiones, ut ut ſpecie diverſas, datur nihilominus magna analogia, quare ſaepe progreſſu temporis Gangrena in Necroſin abeat, uti etiam Necroſis, ini-

(579) Conf. CALLISEN l. l. Vol. II. Ord. V. §. 539. p. 345.

inimica arte imprimis vexata, in Gangrenam peſſimo omine non raro mutatur (580). Differunt Gangrena & Necroſis a Sphacelo tantum gradu, in illis autem aliquis vitae gradus adhuc ſupereſt, dum in hoc vita tota quanta apparet deleta: diſtinctionem inter illas morboſas affectiones facere idcirco neceſſarium putavi, quum Gangrena & Necroſis non ſemper in Sphacelum abeant, & quum in priore caſu absque ulla partium jactura malum ſanari queat (581), neutiquam vero in poſteriore, mox enim, ubi Sphacelus obtinet, non niſi ſeparatione partis mortuae a viva curatur malum.

§. 341. Mortis partialis cauſae ad quatuor ordines, ut puto, facile reducuntur.

1°. Ad Inflammationes veras vel ſpurias: verae Inflammationes, juſta exhibita medela, raro quidem in Gangrenam tranſeunt, abeunt tamen quandoque, negligentia vero aut inimica arte ſaepe in Sphacelum terminantur, idque in oſſibus ſaepiſſime contingere docet WEIDMANNUS, quando nimirum a medicis Veterum praeceptis nimis tenacibus, oſſa Inflammatione correpta ſpirituoſis vel acribus miſerrime extorquentur (582): e contra ſpuriae Inflammationes ob acritatem quandam, quae cum illis fere ſemper jungitur, plerumque magnam ad Sphacelum habent

(580) Conf. CALLISEN l. l. §. 534 & 535. p. 242 & 243. & RICHTER l. l. Vol. I. Cap. III. §. 138. p. 82.

(581) Conf. RICHTER l. l. §. 126. & VAN GESSCHER, *Chir. Syſt. Hodiernae*, Vol. I. P. III. Cap. III. §. 602.

(582) Conf. l. l. p. 11.

bent propenſionem, imo haud raro mox in gangrenam abeunt, hinc in univerſum prae veris metuendae ſunt ſpuriae Inflammationes a materia quadam morboſa, aut a venenis ortae, nec non illae, quae Cachecticos, Scorbuticosque aggredi ſolent, dum omnibus hiſce in caſibus lethalis Sphacelus ſaepe agmen claudit.

2°. Ad impedimenta liberae ſanguinis circulationis ac nervorum energeiae: cauſae hujus ordinis duplici modo agunt, aut nempe cohibendo ſanguinis refluxu ad cor, aut impediendo, quominus ſanguis ad partem affectam pervenire, eamque rite ſtimulari valeat (583). Ad primum pertinent Herniae incarceratae, uno verbo omnes caſus, in quibus a fractura, luxatione, tumore vario, convulſionibus nervorum trunci, vaſaque ſanguifera comprimuntur; ad alterum pertinet ligatura aut vaſorum principum ſyſtematis ſanguiferi, aut nervorum trunci. Ad Sphacelum tamen minime requiritur, ut ſanguinis affluxus prorſus inhibeatur, ſed ſufficit ſaepe, ut ille tantum plurimum imminuatur; hujus fori eſt Sphacelus ex totius corporis debilitate, ex anguſtatione & oſſificatione canalium ſanguiferorum, nec non ille, qui ſenes corripere ſolet, quum ob imminutam valdopere Irritabilitatem, vaſorumque rigorem ſanguis haud amplius ad corporis extrema propellatur, quae itaque non rite ſtimulata plerumque areſcunt, exſiccantur, ac tandem mortem patiuntur.

3°. Ad vim Mechanicam, partium ſtructuram deſtruentem, vel & eorum atoniam generantem, huc pertinent vul-

(583) Conf. RICHTER l. l. §. 131 & 132.

vulnera, contuſiones, Gangrena a nimio frigoris gradu, ab ambuſtione, a nimio decubitu &c. (584).

4°. Ad metaſtaſin materiae morboſae verſus aliquam corporis partem; illa ſemper eſt effectus criſeos imperfectae, quando nimirum vires Naturae medicatrices, materiam morboſam e corpore expellere tentantes, motum abnormen patiuntur, illa materies ſaepe non per ſolitas vias e corpore eliminatur, ſed ad aliquam corporis partem deponitur. Hujus quoque videtur eſſe loci Gangrena POTTII, cujus indoles noſtro ex judicio conſiſtit in materia catharrali ad pedes delata, ſaltem haecce ſententia aliquid roboris acquirit tum quod, teſte POTTIO, ii prae aliis hoc malo afficiantur, qui antea dolores vagos rheumaticos fuerunt pasſi (585), tum praecipue ex illo, quod expert. MULDERS eundem plane morbum, poſt Febres catharrales in nautis quibusdam obſervaverit, eademque methodo illum feciliter curaverit (586).

§. 342. Mortis prognoſis, uti optime monet BELLUS (587), ſemper eſt dubia, ambiguaque, ac donec pars mortua a reliquo corpore haud fuerit ſeparata, numquam non in diſcrimine verſatur aeger, differt tamen periculum.

1°. Pro varia ſpecie, ceteris enim paribus, Gangrena Necro-

(584) Conf. RICHTER l. l. §. 135 & 136.

(585) Conf. l. l. P. I. p. 65.

(586) Conf. POTT l. l. P. II. p. 84. & ſeqq.

(587) Conf. BELL, *Treatiſe on the Theory and Menagement of Ulcers*, P. II. Sect. IV. §. 4. p. 103.

croſi eſt periculoſior, tum quod illa in univerſum multo celerius ad partes vicinas proſerpat, quam quod per ſecretionem materiae ichoroſae, quae ſemper Gangrenam concomitatur, totum corpus continuo maxime ſtimuletur, cujus morboſi ſtimuli effectus haud raro eſt ingens debilitas, imo ipſa Tabes.

2°. Pro varia cauſa, etenim non niſi ſublata morbi cauſa ſiſtitur ipſe Sphacelus, unde patet, aegrotos magis vel minus de vita periclitari, prout cauſae remotio facilior, aut difficilior fuerit; hinc ſub iisdem conditionibus mors partialis a cauſa externa illa, quae a cauſa interna vel ſua ſponte accedit, minus eſt periculoſa; quae a metaſtaſi materiae morboſae naſcitur in univerſum majorem curationis ſpem pollicetur, quam quae ab Hernia incarcerata oritur.

3°. Pro varia parte: ſi enim mors partialis tale occupat organum, cujus functio ad vitam eſt neceſſaria, cito mortem totius corporis adfert; hinc viſcerum internorum Sphacelus ſemper reperitur lethalis, ſi tamen partis mortuae ambitus fuerit parvus, per aliquot dies adhuc vita protrahi poteſt.

4°. Pro viribus, conſtitutione, ac aetate aegrotorum, hinc Scorbuticorum, Cachecticorumque Sphacelus, licet a cauſa externa inlata fuerit, nihilominus ſaepe mortem infert, atque ille, qui a debilitate univerſali pendet, aut qui aetati ſenili ſupervenit, tantum non ſemper morte terminari ſolet.

§. 343. Indicationes curatoriae in morte partiali quacumque ſunt tres.

1°. Sphacelus debet ſiſti.

2°. Cor-

2°. Corrupti ſeceſſus promoveri.

3°. Ulcus denique ſuccedens conſolidari.

Ante omnia in Sphaceli cauſam inquirendum eſt; nam ſi ex perverſa corporis diatheſi Venerea, Scorbutica, Scrofuloſa, aut alia quacuque Sphacelus fuerit ortus; illaque diatheſis aptis pharmacis non corrigatur, remanet ſtimulus morboſus, proſerpitque malum; quum vero Sphacelus a cauſis toto coelo diverſis ſaepe naſcatur; facile intelligere eſt, remedia pro illius cauſae remotione in variis caſibus etiam debere eſſe diverſiſſima. Ideoque qui Labe venerea laborant, Hydargyro utantur, Scorbuto laborantibus cura antiſcorbutica convenit, Scrofuloſis depraedicata hoc in morbo remedia opitulantur, eruptiones cutaneae repulſae, ſi in cauſa fuerint, qualicumque modo id fieri potuit, ad cutim revocentur, evacuationes ſuppreſſae, ſi huic morbo anſam dederint, reſtituendae ſunt, uno verbo pro diverſa potentia morboſa diverſa etiam ſunt tentanda remedia.

§. 344. Sin autem Sphaceli cauſa indagari neſciat; indicatio curatoria maxime ex ſymptomatum indole eſt petenda: hinc ſi ſanguinis orgasmus, aut Febris Inflammatoria Sphacelum concomitentur, rejicienda omnia antiſeptica, convenit cura antiphlogiſtica, ipſaque phlebotomia; caute tamen cum iis mercandum, quum ſaepe ex improviſo facies rerum mutetur, appareatque ingens virium proſtratio (588), unde aliquoties C. P. ceteraque antiſeptica, etſi in initio morbi ſint noxia, in ejus progreſſu optime pro-

(588) Cf. BELL l. l. P. I. Sect. IV. §. 5. p. 167.

proficiunt (589); ſi Febris gaſtrica adfuerit, primae viae ſunt mundandae, & tunc, ut viribus aegroti ſuccurratur, Cortex propinari debet; ſi ſumma virium proſtratio, Febrisque putrida appareant, Cortex peruvianus, Cortex Salicis albae, Arnica, &c. conveniunt (390): an interim Cortex Salicis albae virtute Corticem peruvianum ſuperet, id aſſerere non auſim: virtutem illius antiſepticam a tot tantisque viris comprobatam in dubium non vocamus, attamen ex experimentis cum carne vitulina, ipſoque ſanguine humano ſumptis eum vi antiſeptica Cortici peruviano antecellere, demonſtrare velle (591), id ſane non ita tutum videtur, etenim longe alio modo in corpus vivum, quam extra id operantur remedia, ac illa, quae optime avertunt ſepſin extra corpus, ſaepe ingeſta eandem virtutem aut plane non, aut parum modo praeſtant; taceo illa pharmaca inſuper non agere vi antiſeptica niſi eatenus, quatenus ſolidorum tonum reſtaurant, ſi enim agerent vi antiſeptica, tunc certe illa Acidi Vitriolici quantitas, quae ad ſepſin fruſtuli carnis aliquot librarum avertendam durante ſpatio unius diei haud valet, longe minus adhuc ſufficeret ad perfectam curationem hominis Febre putridiſſima, ut ajunt, laborantis, concluſio ergo ab experimentis extra corpus, vel & in cadavere inſtitutis ad efficaciam remediorum in corpore vivo eſt plane nulla – ſed in viam redea-

(589) Cf. RICHTER l. l. §. 159.

(590) Cf. RICHTER ibidem §. 155. & 158.

(191) Cf. P. KONING Diſſert. *de Cortice ſalicis albae ejusque in Medicina uſu.* Harderwyk 1778. Cap. III.

deamus. Si aegroti fuerint ſenſiliores, ac ad ſpasmos reperiantur, propenſi, cum antiſepticis jungenda ſunt Valeriana, Moschus, Caſtoreum, Sal volatile C. C. &c. (592): ſi demum cum morte imperfecta ſenſilitas morboſe fuerit aucta, ad Opium eſt confugiendum, quod remedium, ſi ſolum ad curam abſolvendam haud judicetur par, cum Cortice Peruviano aegrotis exhiberi debet, ſicque pro varia rerum conditione Sphaceli curatio diverſimode inſtitui debet.

§. 345. Corrupti ſeceſſus promovere proprie ſolius Naturae eſt opus, vaſa enim abſorbentia, ſimul ac pars quaedam nullius amplius evaſerit utilitatis (593) viribus Naturae medicatricibus mox ad actionem incitantur, ſubducant particulas os hac in parte conſtituentes, formantque crenam: conſiſtit igitur vera illius ſeparationis ratio in ſubductione particularum, quae inter vivam mortuamque partem affines jacent, ita tamen, ut plurimum a viva, nonnihil & a mortua parte auferatur (594): hinc ſi Naturae actio ſufficit, unice contemplatoris vices agere, ei, ſi defecerit, ſubvenire, ſique excederit, temperare, ſi denique motum abnormem patiatur, refrenare medici eſt: minime ergo conveniunt ſtimulantia, ſcarificationes, ferrumque candens, uti optime probavit WEIDMANNUS dicens „ topica in mortuam & inertem oſſis emortui ſuper- „ ficiem imponuntur, in qua nulla vis reſuſcitari poteſt, „ vi-

(592) Cf. RICHTER l. l. §. 155.
(593) VAN MAANEN l. l. Cap. III. Sect. II. §. 8.
(594) Cf. WEIDMANN l. l. p. 25.

„ vicinae carnes inde, ſi acria fuerint, quin aut utile, aut „ neceſſe ſit, laedantur, inflammabuntur, aegrumque do- „ lore, quin commodi inde ſperari poſſit, divexabunt: „ an terebrationes a BELLOSTE, aliisque hactenus lauda- „ tae? & hae ſi in emortua oſſis parte ſubſtiterint, nihil „ efficient, veluti ſcarificationes illae, quas in Gangre- „ na carnium chirurgi ob ignorantiam, aut ſecandi avi- „ ditatem, jactantiamque ſuſcipiunt: ſane nil proſunt; ſin „ autem vivas intra partes adigantur, laedunt. — An fer- „ rum candens? quo terrorem aegro incutias, quo emor- „ tuum illud in aliqua ſolum parte tangas, quo, ſi cauta „ manu non utaris, vicinas, ſubjacentesque vivas partes „ exaeſtues, aut combures, adeo ut novam Inflammatio- „ nem concipiant, proficies vero nihil (595)" hinc prae- ſtat Naturae totum opus committere, ac illius actio potius per medicamenta interna, quam per topica remedia eſt moderanda: pro uſu autem externo in Necroſi vel & in ipſa Gangrena cum Inflammatione & dolore concomitata cataplasmata ex emollientibus herbis, addito vel & neglecto pro re nata Opio exhibere convenit, ceteris vero in caſibus aut juxta BELLIUM ſolutio debilis ſalis ammoniaci in Oxycrato eſt applicanda, quae pro varia rerum conditione additamento majoris, aut minoris ſalis ammoniaci copiae majori vel minori vi ſtimulante donari poteſt (596): vel, monente STOLLIO aliisque (597), magno cum

(595) Cf. l. l. p. 41.

(596) BELL l. l. Sect. IV. §. 5. p. 115. & trib. ſeqq.

(597) STOLL *Rad. Med.* P. III. Sect. V. p. 298. & CALLISEN l. l. Ord. V. §. 538. p. 344.

cum ſucceſſu decoctum Corticis Salicis albae in Gangrena etiam externe exhiberi poteſt: in oſſium autem Morte, ſoluta ramenta educi debent, neutiquam vero, antequam illa ſoluta ſunt, inciſionibus corruptum os eſt detegendum (598).

Reſidui ulceris conſolidatio iterum Naturae eſt relinquenda, atque arte tantum averti debet omne id, quod ejus actionem perturbare valet, ſin autem a recta via deflectat Natura, eam variis remediis pro re nata reducere medici eſt.

§. 346. Quadruplici praeſertim modo Mors partialis e vita tollit homines.

1°. Sphacelo cujusdam organi, cujus functio ad ceterarum partium vitam ſuſtentandam plane requiritur, ita ut illius jacturam principii vitalis exſtinctio ſequatur.

2°. Stimuli morboſi nimia violentia aliquoties uno quaſi ictu deletur ſolidorum energeia, ſicque inopinata morte, antequam pars quaedam nobilis Sphacelo fuerit affecta, miſeri pereunt.

3°. Idem poteſt accidere, ſi ſtimulus ille minus diu parti cuidam applicetur, atque hinc ſaepe moriuntur homines, poſtquam jam a longo tempore Sphacelus fuerit coërcitus (599).

4°. Abſorpta materia ichoroſa, ſi a viribus Naturae medicatricibus arte rite adjutis haud ſubigatur, & per convenien-

(598) Conf. RICHTER l. l. §. 139. p. 83. & BELL l. l. P. I. Sect. IV. §. 5. p. 105.

(599) Conf. BELL l. l. p. 104. & RICHTER l. l. §. 142.

nientia emunctoria ſanguini ſubducatur, metus eſt, ne acerrimo ſtimulo ſolidorum tonus infringatur, eaque in tales cieantur motus abnormes, ut naſcatur Febris peſſimae indolis, cujus ſymptomata ſunt ſumma virium proſtratio, pulſus debilis intermittens, humorum ad diſſolutionem propenſio, delirium, ſudores frigidi, dejectiones foetidae colliquativae, convulſiones, lethargus &c., ejusmodi autem Febris eventus fere ſemper eſt lethalis (600).

(600) Conf. RICHTER l. l. §. 139. p. 82. & WEIDMANN l. l. p. 46.

CLAS-

CLASSIS UNDECIMA.

VITIA SYSTEMATIS NERVOSI.

§. 347. Quoties absque pyrexia idiopathica ſenſus & motus deprehenduntur laeſi, toties illa morboſa conditio inter vitia ſyſtematis nervoſi eſt referenda. Per morbos enim ſyſtematis nervoſi non tantum intelligimus eos, in quibus mali origo in cerebro, aut in nervis haeret, ſed etiam illos, in quibus, etſi cauſa mali in aliis organis habeat ſedem, id nihilominus in nervoſum ſyſtema praeſertim noxios exſerit effectus. Statuit igitur minus recte CULLENUS (601), ad Neuroſes requiri quoque, ut vitium locale adſit plane nullum, tantum enim abeſt, quod cerebri aut nervorum vitia nexum cum morbo locali reſpuant, ut e contra ejusmodi vitia ſaepe ab ipſis morbis localibus originem petant, quin haud raro ab iis ſolis alantur, ita ut, illis ſublatis, ſponte quaſi evaneſcant ipſa ſyſtematis nervoſi vitia: exemplo ſunt Tetanus, Epilepſia, ceterique morbi convulſivi, qui ſaepe ab Anthelminticis, reſolventibusque remediis, licet illorum efficacia in ſyſtema nervoſum ſit nulla, optime curantur, indicio hiſce in caſibus nervoſum ſyſtema ſolummodo per ſympathiam fuiſſe affectum.

§. 348.

(601) Conf. *Synopſis Noſol.* Claſſ. II. p. 181.

§. 348. Omnia autem nervorum vitia, quamvis a diverſiſſimis, imo a contrariis cauſis naſcantur, & licet pro variis cauſis illorum actio quoque differat, operantur tamen duplici tantum modo, id eſt, illorum effectus, ſemper majori vel minori gradu eſt Atonia, aut Spasmus. Juxta illorum igitur agendi rationem, ſeu potius juxta leges, quas aberrans Natura quoad morbos nervoſos numquam non ſequitur, haecce claſſis in duos dividitur ordines, in quorum primo ſyſtematis nervoſi functiones ſemper plus minusve torpent, dum e contra in ſecundo vis nerveae obtinet exceſſus. De utroque vero ſpeciatim erit agendum.

ORDO PRIMUS.

SYSTEMATIS NERVOSI ATONIA.

APOPLEXIA.

§. 349. Apoplexia eſt ſenſuum externorum, internorum, & motuum voluntariorum abolitio, aut imminutio; cum reſpiratione ſtertoroſa, & ſopore plus minusve profundo (602).

Cau-

(602) Conf. OOSTERDYK l. l. Cap. XXXII. §. 1. p. 110. & CULLEN, *Synopſ. Noſol.* Claſſ. II. Ord. I. Gen. XLIV. p. 182.

Cauſae hujus morbi proegumenae ſunt magnum caput, breve collum, Senium, aetas juvenilis, temperamentum ſanguineum, aut phlegmatico — ſanguineum, vita deſes, aſſiduis ſtudiis dedita, obeſitas &c: procatharcticae ſunt lautius vitae genus, exercitia corporis immoderatiora, balneum frigidum calido corpori admotum, animi pathemata, venarum jugularium compreſſio, uno verbo omnia illa, quae aut ſanguinis fluxum verſus caput incitando, aut illius refluxum a capite impediendo efficiunt, ut cerebrum ab extenſis vaſis compreſſum ſuis functionibus rite inſervire nequeat, etenim extenſa cerebri vaſa, ſi natura aut arte non curantur, tandem penitus turbant ſyſtematis nervoſi functiones, excitantque Apoplexiam, quae quandoque etiam ſubita & inopina naſcitur, ſi nimirum cauſae Apoplexiae occaſionales adeo violenter in cerebrum agunt, ut uno quaſi ictu omnes illius functiones ſuſpendantur, vel ex ruptis vaſis in cerebro effundatur ſanguis.

§. 350. Novi quidem, practicos vulgo ſtatuere, Apoplexiam ab effuſione ſanguinis aut ſeri in cranio oriri, verum cum CULLENO putamus, effuſionem ſanguinis vel ſeri potius eſſe habendam pro effectu Apoplexiae, quam quidem pro illius cauſa; nam obſervavit ille auctor ſanguinis in cranio effuſionem etiam in homine inſultu Epileptico peremto (603), ac refert SWIETENUS, poſt lethalem Apoplexiam binas tantum ſanguinis uncias in cranio fuiſſe repertas, imo unicum cochlear ſanguinis effuſi e vaſe ſoluto

(603) Conf. l. l. Vol. III. §. 1120. p. 151 & 152.

to lethalem induxiſſe Apoplexiam (604), ex quibus allatis exemplis videtur conſtare, non uti SWIETENUS ſibi perſuaſit, illam ſanguinis effuſionem eſſe Apoplexiae cauſam, verum potius illius effectum ex ruptura alicujus vaſis inſultu Apoplectico orta: unde quaeſo aliter absque ulla vi externa vaſorum cerebri ruptura derivari poteſt, niſi a plurimum incitato ſanguinis verſus cerebrum curſu? qualem ſanguinis copiam dum vaſa, jam ultra tonum extenſa, recipere haud amplius valerent, illa ſolutionem continui fuerunt paſſa, ſicque vitalis laticis effuſio in cranio fuit nata. Noſtra ſententia plurimum confirmatur obſervatione MORGAGNII, qui memorat, ſe in cranio virili, multum inveniſſe aquae, etſi Apoplexia nulla adfuiſſet (605), praeſtantiſſimo ſane exemplo, quod ab aquae in cranio collectione per ſe non inducatur Apoplexia, dico per ſe, quum ſi ejusmodi aquoſa collectio majori copia adſit, inde compreſſione oriri poſſit Apoplexia. Hujusmodi Apoplexia ſiſtit tamen neutiquam morbus primarius, ſed ſolummodo eſt Hydrocephali ſymptoma: videtur igitur ex hiſce omnibus cum MORGAGNIO eſſe concludendum, quod effuſio ſanguinis aut ſeri, ſi non ſemper, plerumque ſaltem Apoplexiae ſit effectus, atque minime illius conſtituat cauſam (606).

§. 351. Prognoſis Apoplexiae eſt valde ominoſa: hinc venerandus Senex jam ſcripſit: „ ſolvere Apoplexiam va-
„ li-

(604) Conf. SWIETENUS l. l. §. 1010. p. 275.
(605) Conf. MORGAGNE l. l. Epiſt. IV. Art. 35.
(606) Conf. MORGAGNE l. l. T. I. Lib. I. Epiſt. IV. Art. 33.

„ lidam quidem impoſſibile, levem vero non faci- „ le (607)," differt tamen periculum.

1°. Pro varia ſpecie: in univerſum enim, teſte BURSERIO (608), Apoplexia ſanguinea periculoſior eſt quam ſeroſa: non uti ego interpretor, quod, ceteris paribus, ſeroſa per ſe ſit levior, contrarium vero docet experientia, ſed quum illius impetus non tam cito invadat, ac in ſanguinea, & ergo illa imminens per ſat longum tempus praevideri, & debitis remediis haud raro averti poſſit, dum ſanguinea ſaepe ex inopinato absque ullo ſigno praegreſſo homines aggreditur.

2°. Pro morbi cauſa: Apoplexia e. g., quae a ſuppreſſis evacuationibus oritur, multo majorem ſanationis offert ſpem, quam quae Febri acutae ſupervenit, aut Epilepſiae originem debet, dum uterque ob cauſae violentiam, aut ob vires aegroti proſtratas tantum non ſemper deprehenditur lethalis.

3°. Pro vehementia ſymptomatum: ſi enim perfecta ſenſuum & motuum apparet abolitio cum reſpiratione ſtertoroſa, parva ſane ſanitatis recuperandae ſupereſt ſpes, eoque minus, quum plerumque Apoplexiae effectus ſint in ratione vehementiae ſymptomatum, raroque absque ſanguinis vel ſeri in cranio effuſione ille ſummus Apoplexiae gradus obtineat, atque, ſi paulo major illorum copia e ruptis vaſis effluxerit, vix ſperari liceat, ut diſcuti & reſorberi poſſit: „ in

(607) Conf. HIPPOCRATI, *Aphoriſ.* Sect. II. Aphoriſ. XLII.
(608) Conf. l. l. Vol. IV. Cap. IV. §. 117.

in primo enim caſu brevi exitium adfert: in poſteriori vero ob principii vitalis languorem malum eſt inſanabile, & lente vitam opprimit.

4°. Pro aegroti aetate & habitu: ſic ſenes hoc morbo correpti rarius evadunt, quum non tantum apud eos haud raro materies aquoſa in cerebri cavis colligatur, ſed illi inſuper fere ſemper ſolidorum languore & humorum diatheſi cacochymica laborent (609). Idem effatum valet quoad Cachecticos, nec non quoad eos, quibus cerebrum hereditaria labe, aut morbo quodam praegreſſa debilitatum eſt (610).

5°. Pro morbi duratione: eſt enim Apoplexia morbus acutus, & ſaepe trium, aut quod ſummum eſt, ſeptem dierum ſpatio necat; hinc jure merito monet MACBRIDIUS, ut, ſi aegrotus intra primum quatriduum revocari poteſt, plenae ſanationis ſpes ſit, ſin e contra morbus intra illud ſpatium parum imminuitur, exigua ſpes relinquatur, metusque ſit, ne aeger aut protinus pereat, aut in paralyſin inſanabilem incidat (611).

§. 352. Indicationes Apoplexiae generales ſunt tres.

1°. Morbus imminens debet averti.

2°. Praeſens eſt tollendus.

3°. Debita vitae victusque ratione illius recurſus eſt impediendus.

In Apoplexia ſanguinea ſi ex ſignis morbum immine-

---

(609) Conf. SWIETENUS l. l. Vol. III. §. 1015. p. 281.

(610) Conf. BURSERIUS l. l. §. 1016. p. 96.

(611) Conf. l. l. Vol. II. Lib. VI. Cap. I. p. 324.

nere patet, larga ſanguinis miſſione, & ſtricta diaeta averti debet, quibus remediis & ipſe ante annum imminentem Apoplexiam feliciter removi: notandum tamen, Apoplexiam aetate juvenili ſupervenientem, plerumque eſſe adſcribendam, aut pravae conſuetudini ſanguinem quotannis mittendi, aut debilitati ſolidorum ex praegreſſis morbis, vel vitae genere contractae: quibus ad leve ſanguinis ſuperpondium ſolida nimis fiunt ſenſilia, debilitasque oritur apparens: probant hujus dicti veritatem multi plethorici, qui absque ullo Apoplexiae metu ſani & vegeti vivunt, etſi per totam vitam numquam iis phlebotomia fuerit inſtituta, nec non ruſtici juvenes, qui, licet ſaepe ſummo gradu plethorici, raro tamen V. S. egent. Patet ergo, cauſam ad hunc morbum praedisponentem in aetate juvenili plerumque haud eſſe plethoram veram, ſed ſolummodo plethoram ad vires: hinc ne bona fruentes ſanitate ſpe adhuc melioris acquirendae verno tempore ſanguinis miſſionem ſibi inſtitui faciant; etenim ſimul ac ſemel talis prophylactica, ut ajunt, phlebotomia fuerit celebrata, haud raro eam quotannis repetere coguntur quaſi, atque ipſa repetita ſanguinis miſſione ſolidorum ad ſtimulos ſenſilitas magis & magis augetur, ita, ut nunc multo majora patiantur incommoda, quam ad quae tollenda prima vice V. S. fuit inſtituta.

§. 353. Plerumque, ſubita & inopina accedente ſanguinea Apoplexia, nulla prophylaxis poteſt inſtitui, ſed cum potentia nocente jam jam praeſente medico res eſt; etſi Naturae vires medicatrices vim vi opponant, ac ſaepe haemorrhoïdibus, menſibus, diarrhoea, largiore urinae copia, nec non ſalivae, ſudorisque craſſi, copioſi, calidi flu-

fluxu morbum ſolvant (612): raro tamen ad morbum ſuperandum Natura ſufficit, ſed ars ei ſuccurrere debet largiſſima & repetita phlebotomia, cucurbitis ſcarificatis, occipiti vel ſyncipiti admotis (613), hyrudinibus, eccoproticis, clysmatibus, laxantibus, pediluviis, frictionibus, epiſpaſticisque. Ceterum hac in ſpecie cane & angue pejus vitanda vomitoria, ex quorum uſu vidit haud raro Ill. BURSERIUS hemiphlegiam vel levem in validam Apoplexiam tranſiviſſe, fortem vero & exquiſitam intra paucas horas in mortem (614). Vitanda quoque omnia ſtimulantia, quae humores exagitando, aut nimium motum ciendo numquam non nocere debent (615); nec ipſa veſicatoria in Apoplexia ſanguinea tuto applicari poſſunt, nam vidit eorum uſu TISSOTUS, in femina ſexagenaria Apoplexiam jam jam imminutam inter ſaevos dolores, ſummamque anxietatem brevi in mortem tranſire (616). Superato autem morbo diaeta tenui ſtricta, vegetabili, moderato corporis motu, ac prophylactica phlebotomia illius recurſus cohibetur.

§. 354. In Apoplexia ſeroſa tam prophylactica, quam therapeutica vi vulgo praeſcribuntur ſtimulantia calida, ac V. S. noxia putatur; dubito interim maxime, an quidem ple-

---

(612) Conf. OOSTERDYK l. l. §. 4. p. 111.
(613) Conf. BURSERIUS l. l. §. 127. p. 103.
(614) Conf. Ibidem §. 131. p. 106. & ſeqq.
(615) Conf. Ibidem §. 133. p. 110. & CULLEN l. l. §. 1136.
(616) Conf. TISSOT, Epiſt. ad HALLERUM, *de Variolis, Apoplexia & Hydrope*, p. 64 & 65.

pleriſque in caſibus ejusmodi medendi ratio conveniat, etenim ſaepe, monente CULLENO, ſeroſa Apoplexia quoque a plethora venoſa pendet, eandemque fere requirit medelam ac praecedens (617); quin iis in caſibus, ubi ab effuſo ſero re vera Apoplexia fuit orta, adhuc multum abſit, quod, rejecta V. S., ſtimulantia ſint exhibenda; audiamus, quid immortalis MORGAGNIUS hac de re loquens dixerit. „ Equidem negandum non eſt, ſi ab aqua „ dumtaxat Apoplexia ſit, perinde eſſe hunc atque aſcitem „ per venaeſectionem curare velle. Verum ubi factam ab „ aqua non multa conſtrictionem vaſa diſtendens ſanguis „ augeat: nonne conſtrictionem tuto minuet, qui hunc „ detrahat (618)?" atque hanc ſententiam Natura duce fuiſſe ſtabilitam, & re vera dari caſus, ubi quaſi complicatio Apoplexiae ſeroſae & ſanguineae habet locum, probavit vir ſummus diſſectione ſenis, Apoplexia ſeroſa peremti, in cujus interim cranio haud pauca ſanguinis copia fuit reperta (619).

§. 355. Nec ab aetate, temperieque aegrotantium commendata cura probatur, erronea enim eſt opinio, ac quotidiana experientia reprobata, quod nimirum Apoplexia ſenibus ſuperveniens eſt ſemper indolis ſeroſae, nam multo magis, ac vulgo putatur, ipſi ſenes ob coalita vaſa minora ſanguineâ Apoplexiâ laborant, imprimis ſi fuerint ſani & ve-

(617) Conf. CULLEN l. l. §. 1014.
(618) Conf. MORGAGNE l. l. Epiſt. IV. §. 14.
(619) Conf. l. l. §. 21 & 22.

vegeti; quin utilitatem largioris ſanguinis miſſionis etiam in aetate ſenili luculentiſſimo exemplo demonſtravit Ill. LANCISIUS, qui refert: „ mercatorem grandaevum, cui „ imminebat Apoplexia, ab ejusmodi inſtanti periculo „ ſubductum, & levatum fuiſſe per ſpontaneam narium „ haemorrhagiam librarum XI., deinde poſt quindecim dies „ aliis quatuor libris effluentibus omnino vindica- „ tum (620)," optime ergo inquit BURSERIUS: „ ne- „ gant aliqui mittendum eſſe ſanguinem in phlegmaticis, „ melancholicis, ſenibus, pueris, atque utero gerentibus, „ verum eos refellit experientia HIPPOCRATIS, & me- „ dicorum fere omnium, qui medendi longo uſu inclarue- „ runt (621)."

Aſſentimur itaque QUARINO monenti, Apoplexiam ſtricto ſenſu ſeroſam rariſſime occurrere (622): adeſt tamen illa quandoque, atque tunc certe nocet V. S. & indicantur remedia, quae vulgo reſolventia, incidentia, attenuantia dicuntur calidioris licet naturae, nec non veſicatoria, fonticuli, ſetacea &c.; purgantia autem & quidem ex hydragogorum claſſe, quae tantis laudibus efferunt SWIETENIUS & BURSERIUS (623), ob ſummam debilitatem,

(620) Conf. LANCISIUS, *Opera omnia*, Vol. I. *de Mort. Sub.* Lib. II. Cap. V. §. 8. p. 100 & 101.

(621) Conf. BURSERIUS l. l. Cap. IV. §. 123. p. 100.

(622) Conf. *Animad. Pract.* Cap. I. p. 5.

(623) Conf. SWIETENUS l. l. §. 1026. p. 298. & BURSERIUS l. l. §. 136. p. 112.

tem, quam actionis violentia ſolidis numquam non inducunt, rariſſime ſi unquam convenire videntur.

§. 356. Quod denique ad Apoplecticorum moriendi rationem attinet, ſaepe temporis momento vita deletur, ſed etiam ſaepe miſerorum vita ad diem ſeptimum usque protrahitur, in priore caſu morbi vehementia illico exſtinguitur principium vitale, in altero caſu quidem non adeo violenter agit potentia morboſa, lente tamen cerebri commotione, vel & illius compreſſione quoque vitam delet.

ORDO SECUNDUS.

SPASMUS.

§. 357. Spasmus dicitur quaevis violenta, invita & morboſa fibrarum motricium actio (624); ſi autem muſculi fere contracti maneant, parsque affecta reddatur immobilis, tonicus appellatur; ſin e contra violenta muſculorum agitatio appareat, mox ceſſet Spasmus, & iterum iterumque recurrat, is dicitur convulſivus: hinc igitur duo hujus ordinis oriuntur genera, morbi nempe tonici & clonici, utriusque autem exemplum afferam.

GE-

(624) Conf. OOSTERDYK l. l. Cap. XXV. §. 1.

GENUS PRIMUM.

MORBI TONICI

TETANUS.

§. 358. Tetanus eſt rigida contractio muſculorum Corpus moventium, tum priorum quum poſteriorum, cui vehementes dolores accedunt (625).

Cauſae Tetani ſunt in univerſum omnes, quae cerebrum irritare valent, ſpeciatim tamen Tetanum inducunt coelum humidum & calidum, (ſub quo Tetanus longe frequentior occurrit), aſperrimum frigus, potus gelidus, aeſtuanti corpori ingeſtus, ſomnus ſub die imprimis humidiori in loco, perſpiratio ſuppreſſa, vulnera, oſſium luxationes & fracturae; punctura aut laceratio partis nervoſae, tendineae, primarum viarum ſaburra, vermes &c.: etſi nulli aetati, temperamento aut ſexui pareat ille morbus, maxime tamen aetas infantilis & virilis illi eſt obnoxia, viri enim longe frequentius quam foeminae in hunc morbum incidunt, ac inter illos robuſtiores prae ceteris affici ſolent (626).

§. 359. Omnia ergo, quae cerebrum irritare valent, certis ſub conditionibus Tetani cauſarum occaſionalium vice fungi poſſunt, quaenam interim requiratur praediſpo-

(625) MACBRIDE l. l. Vol. II. Lib. VI. Cap. I. p. 302.

(626) Cf. HEURTELOUP *Precis ſur le tetanos des adultes* a Paris 1793. a p. 9. ad 13. CALLISEN l. l. Vol. I. P. II. Ord. II. §. 393. & BURSERIUS l. l. Vol. III. Cap. VIII. §. 255.

poſitio, ut ſtimuli illi morboſi Tetanum producere valeant, id adhuc latet; hinc de vera hujus morbi indole nihil certi determinari poteſt: ſtatuit quidem Celebris HEURTELOUP illam in quadam ſolidorum relaxatione conſiſtere (627): ſin autem ad Tetani cauſas accurate attendamus, parum firmo talo illam ſententiam niti, ac virum egregium morbi cauſam cum illius effectu (qui numquam non ſolidorum eſt relaxatio,) confundiſſe, conſtabit. Quomodo quaeſo a vermibus, a primarum viarum ſaburra, ab oſſium fracturis, a levi partis tendineae punctura ſolidis poteſt induci relaxatio? an animi pathemata, quae etiam aliquoties in hujus morbi ſunt cauſa (628); ſolida relaxando operantur? qui demum fit, ſi ſcilicet Tetani natura in ſolidorum relaxatione conſiſtat, quod viri prae feminis hunc morbum patiantur, quodque viri, quo ſunt robuſtiores, eo magis de Tetano periclitentur? ignoramus itaque huc usque Tetani naturam, & praeſtat ſane potius ignorantiam fateri, quam fictae de illius indole hypotheſi morbi curam ſuperſtruere velle.

§. 360. Tetani prognoſis eſt in univerſum ominoſa, nam morbus eſt periculoſiſſimus, atqne eo correpti plerumque e vita tolluntur; differt tamen prognoſis.

1°. Pro

---

(627) Cf. HEURTELOUP l. l. p. 12. ou il dit, donc tout ce, qui peut irriter, & ebranler le ſyſteme nerveux eſt ſuſceptible de donner lieu à cette maladie, comme cauſe eloignée ou praediſpoſante, mais ſa cauſe immediate eſt le relachement des ſolides, ſuite neceſſaire d'une trop grande irritation.

(628) HEURTELOUP l. l. p. 2.

1°. Pro varia Tetani cauſa: qui enim a frigore naſcitur, minus infert periculum, quam qui fracturis orginem debet, a vulneribus vero ortus eſt omnium periculoſiſſimus (629).

2°. Pro vehementia ſymptomatum: quo v. g. lentiori pede obrepſit, eo major ſalutis ſpes eſt; in illo, qui interdum, relaxatis cum remiſſione dolorum muſculis, inducias patitur, ceteris paribus, major ſalutis affulget ſpes; ac quando morbus ſemper aequali ſaevit vehementia; poteſt tamen malum jam jam imminutum cum ſumma vehementia recurrere, mortemque inferre (630).

3°. Pro ratione aetatis & partium, quas praecipue occupat, etenim infantes ante diem nonum Tetano & Trismo correpti teſte CALLISENO vix unquam evadunt (631), & Tetanus, qui pectus occupat, monente HEURTELOUP (632), eſt ceteris periculoſior neque mirum, dum hoc in caſu reſpirationis functio, ſine ingenti difficultate non peragi poteſt.

4°. Pro morbi duratione, quum Tetanus ſubito accedens ſaepe intra ſpatium 24, 36, 48. horarum homines necet, hinc jam HIPPOCRATES dixit: „ qui Tetano cor„ ripiuntur, intra quatuor dies pereunt, quos ſi effuge„ rint:

(629) Cf. CULLEN l. l. §. 1266. p. 295. & CALLISEN l. l. Vol. I. P. II. Ord. I. §. 395.

(630) Cf. CULLEN l. l. §. 1266. p. 295. & CALLISEN l. l. §. 395.

(631) Cf. l. l. §. 396.

(632) Cf. l. l. p. 21.

„ rint, ſani fiunt (633):' manet interea Tetanus, etſi minus acutus, etiam poſt quartum diem morbus periculoſus: quamobrem ipſe venerandus ſenex alio loco de hujus morbi prognoſi ſic loquitur: „ tertio, aut quinto, aut ſep- „ timo, aut decimo quarto die perit, quos ſi effugerit, „ convaleſcit (634)": in univerſum tamen, uti jure merito monet MACBRIDIUS, ſi quis nonum, decimumve diem evaſit, is fere ſemper convaleſcit (635).

§. 361. Indicationes pro hujus mali curatione ſunt duae.

1°. Tetani cauſa eſt tollenda.

2°. Nimia nervoſi ſyſtematis Irritabilitas imminui debet.

Prima indicatio pro varia morbi cauſa variis remediis eſt abſolvenda: ſed ubi ipſa cauſae ſublatio, ſicuti ſaepe accidit, Tetano graviori tollendo fuit impar, quando cauſa Tetani latet, aut ſi ille nullam cauſam materialem agnoſcat, effectum irritamenti, ſeu nervorum nimiam ſenſilitatem inhibere medicum oportet: idque vero fit Opio larga quantitate & brevi intervallo exhibito (636); ſic e. c. Cl. CLEPHANE Triſmum ex laeſione aponeuroſis plantae pedis ortum exhibendo omni bihorio unum Opii granum feliciter ſuſtulit (637); & Cl. PARR in Opiſthotono ſummo cum

cum

(633) Cf. APHORISM. Sect. V. Aphor. VI.

(634) Cf. RIEGER *Commentaria in Aphoriſ.* HIPPOCRATIS Vol II. Sect. V. Aphoriſ. VI. p. 13.

(635) Cf. l. l p. 304.

(636) Cf. CALLISEN l. l. §. 397. & CULLEN l. l. §. 1271. nec non MACBRIDE l. l. p. 305.

(637) Xid. *Medical. Obſervations* and *Inquiries* Vol. I. Art. 7. p. 55. & 56.

cum ſucceſſu aegro intra diei ſpatium plus quam viginti Opii grana exhibuit (638); monendum tamen, quod, licet in univerſum Tetano correpti tantas Opii doſes absque ullo ſopore ſufferre valeant, tamen ad tam largam Opii doſim numquam ſit adſcendendum, niſi in anteceſſum primarum doſium tolerantia probe fuerit explorata, ne temerario Opii uſu, (quod ſaepe vidit BURSERIUS) cum morbo aegroti vita exſtinguatur (639); atque ut, morbo imminuto, parciori quoque manu mox Opium ſit exhibendum, quum illi, qui vigente Tetano largiſſimas Opii doſes optime ferunt, morbo ad finem vergente easdam doſes absque vitae periculo minime tolerare valeant; frictione unguenti mercurialis ſub cujus uſu absque ullo alio remedio Tetanum ſaepe fuiſſe debellatum, teſtatur HEURTELOUP (640); quin Celeb. PLENK refert binos cauſos, ubi, Opio & Cortice fruſtra exhibitis, unguento mercuriali ſanitas aegroto feliciter fuit reſtituta (641); balneis tepidis & frigidis; largiori doſi C. P., illud pharmacum in medendo Tetano plurimum praeſtare allatis exemplis non tantum probavit PLENKIUS, ſed etiam Corticem hoc in morbo Opio eſſe praeſtantiorem, judicat (642), quod interim, ſit pace tanti viri dictum, ex illius obſervationibus

(638) Vid. l. l. Vol. IV. Art. 7. p. 98.

(639) Cf. l. l. Cap. VIII. §. 276. p. 239.

(640) Cf. l. l. p. 32.

(641) Vid. *Act. Academiae Caeſ. Reg. Joſephinae Medico Chirurgicae Vindolonnenſis* T. I. p. 65. & ſeqq.

(642) Cf. *Act. Acad. Medico Chirurg. Vindobonnens* l. l. p. 62. 63, 64. en 67.

bus haud videtur ſequi: facilè largiamur, C. P. in Tetano bene multis in caſibus vi ſua tonica ſummo eſſe uſui, quando nimirum, aut aegri fuerunt debiles, aut ubi Tetanus vulneribus gangrenoſis, vel amputationibus ſupervenit, uno verbo omnibus in caſibus, in quibus vel convulſiones ex totius corporis debilitate, & indè turbato virium vitalium aequilibrio fuerunt ortae, vel ubi, licet Tetanus ex corporis debilitate natales non traxerit, nihilominus potentiae nocentis violentia corporis tonus fuit fractus: tali ſub rerum conditione corticem plurimum prodeſſe & ratio ſuadet, & PLENKII obſervationes extra dubium ponunt. Quomodo autem ex illis juſta potuerit formari concluſio, quod Cortex valeat, ubi Opium nullius reperitur eſſe uſus, id nobis non ita liquet, eoque minus, quum in Tetano, a memoratis cauſis licet orto, ſemper tamen Corticem cum Opio jungere, ratum judicaverit ipſe PLENKIUS, ita ut nulla cura absque Opio fuerit abſoluta (643): memorat quidem PLENKIUS, ex Opio, tantum ad tria grana per diem cum Cortice exhibito, egregium allatum fuiſſe auxilium, ſed e contra alios, quibus usque ad duodecim grana Opium eodem temporis ſpatio exhibitum fuit, mortem non evaſiſſe (644). Sin autem conſideremus, Tetanum a variis cauſis oriri poſſe, illiusque curam, prout a varia cauſa fuerit orta, etiam magis vel minus eſſe difficilem; ſique inſuper animadvertamus, non eſſe veroſimile, in utroque caſu Tetano labo-

ran-

(643) Cf. l. l. p. 62. usque ad p. 75.
(644) Cf. l. l. p. 614.

rantium temperamenta fuiſſe ſimilia, ac quanta quoad doſim detur differentia in medendo morbo, ex eadem cauſa licet orto, in hominibus diverſo temperamento praeditis, patebit, ex allato caſu nullam poſſe deduci concluſionem, quod Cortex virtute medendi ſpasmis Opio palmam praeripiat. Quin ipſe PLENKIUS eadem in diſſertatione docere videatur, non ubique, ſed tantummodo in Tetano, a memoratis cauſis orto, Corticem praeſtare auxilium (645).

§. 362. Ceterum in Tetano, & reliquis morbis tonicis nocent calida, ſtimulantia interne data, imo ipſa veſicatoria malum augent (646), neque ejusmodi morbi per ſe ſanguinis miſſionem poſcunt, dum ſanguis e venis detractus ſemper apparet diſſolutus, ejusque detractio nullum adfert levamen (647).

Haec licet in univerſum ita ſint, poſſunt tamen quandoque morbi tonici a tali oriri cauſa, quae Opii uſum reprobat, vel ſaltem impedit, quominus illud non niſi poſt praegreſſas debitas evacuationes aegrotis poſſit exhiberi, quaeque cauſa e contra ſtrenuam curam antiphlogiſticam poſcit, ſic: e. g. Tetanum a ventriculi Inflammatione natum iterata V. S. tolli docet BURSERIUS (648), & Gastritidem cum Hydrophobia, aliisque inſolitis ſymptomatibus

---

(645) Cf. l. l. p. 63. & 65.

(446) Cf. BURSERIUS l. l. Cap. VIII. §. 276. p. 238. CALLISEN l. l. §. 1278. & MACBRIDE l. l. p. 307.

(647) Cf. *Medical. Obſ. and Inq.* Vol. I. Art. 7. p. 60. CULLEN §. 1277. & CALLISEN l. l. §. 388. p. 150.

(648) Ibidem §. 277.

bus ſtipatam largiſſima phlebotomia curavit Cl. JOHN INNES, ita quidem, ut ſpatio ſeptem dierum ſanguis ad uncias centum & ſedecim aegroto fuerit detractus (649).

§. 363. Quod ſi vero Tetanus mederi neſciat, Spasmorum reditus acceleratur, malum in horas exaſperatur, & ſub finem morbi aegrotus miſerrime cruciatur, tam celeriter enim redeunt Spasmi, ut vix ulla obſervari poſſit intermiſſio. Tandem muſculi non tantum motui voluntario, ſed etiam vitali & naturali dicato in conſenſum rapiuntur, turgent, ac rigidae fiunt omnes partes muſculoſae, muſculi abdominales adeo contrahuntur, ut omnia inteſtina ſurſum thoracem verſus urgeantur, difficillime trahitur ſpiritus, pulſus arteriarum fiunt parvi, celeres, irregulares, corque tanta vi palpitat, ut motus ipſius perſpicue in oculos incurrant, ſupprimuntur alvi, & veſicae excretiones, corpus ſudoribus frigidis diffluit. Maxillae tam arctae praecluſae ſunt, ut plane nihil ori ingeri poſſit, corrugatur frons, luſcitant oculi immobiles fixi, genae & os vario modo vellicantur, vultus ad adſpectum eſt horridus; denique tragoediam claudit inſultus convulſivus, graviſſimus, lethalis (650).

Moritur igitur homo Tetano correptus exſtinctione principii vitalis prae nimia ſolidorum reactione ad ſtimulum morboſum: hoc adeo verum, ut aegri, qui ex hoc morbo

(649) Cf. *Medical. Eſſays and Obſerv.* Vol. I. Art. 29. a p. 227. ad 282.

(650) Cf. *Medical. Obſevv. and Inq.* Vol. I. Art. 12. p. 97. & ſeqq. CALLISEN l. l. §. 394. & MACBRIDE l. l. p. 305.

bo emergunt, diu tamen debiles, atque infirmi maneant; jure ſuo ergo monet MACBRIDIUS: „ eam eſſe omnium „ ſpasmorum naturam, ut ſummam fibrarum muſculoſa- „ rum laxitatem relinquant (651)" quam debilitatem, ſi ſcilicet morbus fuerit gravior, celerrimeque recurrunt inſultus, brevi excipit virtutis muſcularis uti & ceterarum virium exſtinctio.

Triſmum, Catochum, Hydrophobiam primariam, ceteroſque morbos tonicos ſilentio praetermittam, quum quoad cauſas, prognoſin, curam, moriendique rationem, uno verbo quoad omnia cum Tetano ſatis conveniant, & itaque illa, quae de hoc morbo monui, etiam mutatis mutandis quoad ceteros valent.

GENUS SECUNDUM.

MORBI CLONICI.

EPILEPSIA.

§. 364. Epilepſia dicitur motus convulſivus plerorumque corporis muſculorum, quo ſubito conſidunt aegroti, omnis omnino ſenſus ut plurimum expertes (652).

Cauſae, quae Epilepſiam producunt, dividuntur in proegumenas & procatharcticas: proegumenae conſiſtunt in justo

(651) Cf. l. l. p. 306.

(652) Cf. MACBRIDE l. l. Vol. II. Lib. V. Cap. III. p. 314. & OOSTERDYK l. l. Cap. XXVII. §. 1.

to majore cerebri mobilitate a quadam organica ſolidorum diſpoſitione derivanda, qua fit, ut ejusmodi homines vehementiſſime afficiantur ab iis ſtimulis, qui alios homines parum vel & plane non movere ſolent; haec eſt illa praediſpoſitio hereditaria, illa diathesis Epileptica, de qua auctores tantum loquuntur (653): hinc facile intelligere eſt cur homines fibra tenera delicata praediti, feminae, & infantes prae reliquis ſyſtematis nervoſi vitiis laborent, cur, ceteris paribus, temperamenta ſanguinea, ad morbos hoſce inclinent, dum nimirum mobilibus eorum ſolidis facillime alicujus ſtimuli character imprimitur.

§. 365. Cauſae occaſionales duplici modo agunt, nempe aut cerebrum & nervos nimium incitando motus enormes irregulares excitant, aut debilitando totum corpus nervoſi ſyſtematis energeiam turbant, ſicque efficiunt, ut Natura, turbatum virium vitalium aequilibrum reſtituere tentans, in motus ruat irregulares, hoc eſt, ut naſcantur convulſiones. Inter priores recenſentur capitis laeſiones externae, oſſium fragmenta, exoſtoſes, oſſificationes, tumoresque varii intra cavitatem cranii, metaſtaſis materiae morboſae vel a morbis acutis, aut a retropulſa quadam materia cutanea petenda (654), vermes, primarum viarum ſaburra (655) plethora, animi pathemata &c.: inter poſteriores hypochondriorum, Uteri, aliorum-

(653) Cf. egregium TISSOTI opus *Traité des nerfs & de leurs Maladies* T. II. P. I. Chapitre VIII. Art. 1. p. 5. & ſeqq.

(654) TISSOT ibidem T. II. P. I. Chap. II. p. 153. & ſeqq.

(655) BURSERIUS l. l. Cap. VIII. §. 252.

rumque abdominis viſcerum labes (656), haemorrhagiae graviores, nec non venena, quum mortem ab illis inductam fere ſemper praecedant convulſiones (657).

§ 366. Oritur igitur noſter morbus a cauſis ſibi ex diametro oppoſitis, neque mirum, nam quoties cum nimis irritabilibus cerebri & nervorum ſtaminibus potentia quaecumque morboſa fuerit communicata, toties mobilia illa ſtamina abnormes motus patiuntur, ac oriuntur motus convulſivi, quibus pro vario vehementiae gradu varia nomina imponuntur. Licet itaque a quacumque demum cauſa Epilepſia fuerit orta, illius indoles ſemper ſibi reperiatur ſimilis, utpote quae numquam non in certa & determinata turba functionum ſyſtematis nervoſi conſiſtit, oportet tamen ejus cauſas occaſionales diſtinguere in eas, quae a tenſione, & in illas, quae a relaxatione oriri ſolent, quum illa diſtinctio quoad medendi methodum in praxi maximae ſit utilitatis, atque idcirco de iſta fecimus mentionem: ceterum robuſtiſſimi homines praegreſſis morbis, animi pathematibus, Haemorrhagiisque illam ſyſtematis nervoſi mobilitatem, talemque ad morbos convulſivos praediſpoſitionem poſſunt contrahere, ſicuti e contra praediſpoſitione ad morbos nervoſos potius mulctati, quam donati, juſta vitae victusque ratione per totam vitam a vitiis

(656) Cf. R. WHYTT *de morbis nervorum ex verſione* Cl. L. BIKKER Cap. IV. & V.

(657) Vid. CULLEN l. l. §. 1301. & quatuor ſeqq. nec non CALLISEN l. l. §. 402.

tiis illius ſyſtematis etiam haud varo manent immunes (658). Notandum porro, quod morborum clonicorum cauſae proegumenae interdum etiam procatharcticarum vice fungi valeant, uti non raro a cauſis occaſionalibus ipſa inducitur ad Epilepſiam praediſpoſitio.

§. 367. Quod autem ad Epilepſiae prognoſin attinet, in univerſum hic morbus curatu eſt difficilis, atque ſaepe omnem reſpuit medelam; ad ſequentia tamen in morbi prognoſi eſt attendendum.

1°. Ad ſpeciem, nam idiopathica ſympathicâ multo eſt periculoſior, ac non raro deprehenditur inſanabilis, iis nimirum in caſibus, ubi ab exoſtoſibus, cranii tophis, gummatibus, tumoribus, ſive a quacumque labe organica cerebri morbus traxit natales (659): hinc veteres medici ſcripſerunt, „ Epilepſiam omnium facillime curari, ſi a „ manibus aut pedibus oritur, difficiliorem autem eſſe „ curationem, ſi a capite incipit, attamen ſi ſenſus qui- „ dam formicationis & vertigo paroxysmum praecedunt, „ cauſam excitantem quidem prope encephalum haerere, „ nihilominus ſanationis ſupereſſe ſpem; ſed Epilepſiam, „ quae absque ullo ſigno praemonente ingruit, eſſe fere „ inſanabilem (660)."

2°. Ad

(658) Cf. TISSOT l. l. T. I. P. II. Cap. VII. Art. 2. p. 278. & ſeqq. nec non T. II. P. II. Cap. XIII. Art. 6. p. 458. & ſeqq.

(659) Cf. MORGAGNE l. l. T. I. Lib. I. Epiſt. IX. Art. 22, 23. & 24. nec non QUARIN *Animad. Pract.* Cap. II. p. 19.

(660) Vid. SWIETENUM l. l. Vol. III. §. 1078. p. 433. nec non QUARIN l. l. Cap. II. p. 20.

2°. Ad morbi cauſam: ſic v. g. Epilepſia, quae ex aqua inter cutim oritur, perniciem infert; quia eam concomitatur ingens corporis debilitas, & haud raro ipſa aquoſa in cranii collectio; quae Phrenitidi, Maniae, aut Melancholiae diuturnae ſuccedit, plerumque ſanari neſcit, quum ex ejusmodi cadaverum diſſectionibus patuerit, illam a labe quadam in cerebri ſtructura produci (661); & contra ea, quae morboſae affectioni Ventriculi, aut viſcerum reliquorum abdominis natales debet, ſaepe non adeo difficulter curatur, & quae a dentitione oritur eſt omnium leviſſima (662).

3°. Ad aetatem: ſic in ſenibus difficillime abigitur, & infantes recens natos corripiens ut plurimum eſt lethalis (663): Epilepſia vero juvenculorum poſt ſeptimum vel octavum annum ſola aetate curatur; in maſculis ſimul ac ſemen ſecernitur; in foeminis dum incipiunt fluere menſtrua: ſaltem divus ſenex inde ſperabat curationem, inquit enim „ quibus Epilepſiae ante pubertatis annos contin„ gunt, mutationem habent: at quibus quintum & vige„ ſimum annum agentibus fiunt, eos fere ad mortem us„ que comitantur (664)." Notandum tamen, hocce HIPPOCRATIS effatum tantum valere, aut ubi, cauſa materiali remota, character convulſiuus ob ſolam conſuetudinem nervis

(661) Cf. BURSERIUS l. l. Cap. VIII. §. 270.

(662) Cf. BOERHAAVE *Prael. de Morb. Nerv.* ex edit. van VAN EEMS T. II. p. 668.

(663) Cf. BURSERIUS l. l. p. 229.

(664) Cf. HIPPOCRATES *Aphoriſ.* Sect. V. Aphor. VII.

vis impreſſus manet, vel quando cauſa materialis eſt talis, ut ipſa aetate tollatur, quare etiam QUARINUS hocce HIPPOCRATICUM enunciatum unice de plethoricis eſſe intelligendum contendat (665); & ſane ipſe HIPPOCRATES illam felicem mutationem non ſemper pubertate fieri alio loco docet, ubi ait: „ Ex his porro, qui „ a ſacro morbo corripiuntur, difficillime quidem liberan- „ tur hi, quibus a puero contingit, & ſimul ad virilem „ aetatem pervenit" (666), unde liquet, qui illa HIPPOCRATICA regula intelligi debeat.

4°. Ad morbi ſymptomata; quo enim vehementiores, & crebriores acceſſiones repetat Epilepſia, eo ceteris paribus eſt periculoſior, quod tunc facile lethalis Apoplexia agmen claudat, & ſi inſultu Epileptico correptus poſt aliquot horas ad ſe non redeat, multoque magis, ſi per intervalla iterentur convulſiones, ac ſenſus abolitos habeat aegrotus, certum fere exitium exſpectandum eſt (667).

5°. Ad morbi durationem; nam recens licet crebros habeat paroxyſmos, curatu multo facilior eſt, quam inveterata, hinc jure merito ſcripſit ſapientiſſimus ſenex: „ quum aetatem „ adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis eſt (668)" neque mirum, dum progreſſu temporis Epilepſia ſympathica in idiopathicam mutatur, namque repetitis toties convul-

(665) Cf. l. l. p. 20.
(666) Cf. *Praedict.* Lib. II. No. 16.
(667) Cf. BURSERIUS l. l. p. 229.
(668) *De Morbo Sacro* N. XIII. p. 15.

vulſionibus ſyſtemati nervoſo imprimitur character quaſi convulſivus, poſtea nulla arte delendus, utpote ex labe quadam Senſorii, repetita convulſione inducta, originem ducens.

§. 368. Indicationes pro Epilepſiae curatione ſunt duo.

1°. Cauſa hujus morbi eſt tollenda.

2°. Nimia ſyſtematis nervoſi irritabilitas eſt compeſcenda.

Primum fit poſt inſtitutum accuratum examen in Epilepſiae cauſas pro varia earum differentia variis remediis; ſi ergo ex ſic dicta aura Epileptica ſuſpicio oritur de morbi origine ex affectione dolorifica nervi cujusdam, applicetur ad illum locum veſicatorium, quod ſi non ſufficiat, nervus ipſe, ſi fieri poſſit, deſtruatur. Si Epilepſia a laeſione mechanica fuerit orta, ſtimulus ille mechanicus variis encheireſibus tolli debet. Si ab animi pathematibus ortum duxerit malum, corpusque ceterum appareat ſanum, Opiata indicantur, quae in Epilepſia ex tali caſu orta ſummo cum ſucceſſu exhibuit MORGAGNIUS (669). Si ſuppreſſae evacuationes huic morbo anſam dederint, illae reſtitui debent; ſi ab eruptione cutanea retropulſa fuerit natum malum, requiruntur Antimonialia, Dulcamara, balnea tepida, veſicatoria, rubefacientia &c. Ad hanc cauſam in Epilepſia adoleſcentum ſemper eſt reſpiciendum, imprimis quando morbi inſultus ſenſu quodam formicationis, & brevi vertigine inceperit, nam annotavit QUARINUS, infantes quando-

(669) Conf. l. l. Epiſt. IX. Art. 6.

doque Epilepſia propterea corripi, quod manantia capitis ulcera prava arte ſiccata fuerint, & obſervavi ipſe, ex depulſa tinea Epilepſiam, hiſce ſymptomatibus ſtipatam, fuiſſe ortam (670). Si a plethora mali origo eſt petenda, larga phlebotomia, ceteraque cura antiphlogiſtica, blanda eccoprotica, diaeta tenuis ſtricta vegetabilis conveniunt. Si viſcerum varicoſae affectiones (obſtructiones) in morbi cauſa fuerint, reſolventia exhibenda ſunt, quorum uſus tamen non nimis diu protrahi debet; eadem remedia etiam poſcit ſic dicta glandularum obſtructio; ſin autem a debilitate, ſolidorumque relaxatione inductus fuerit morbus, balnea frigida, frictiones, corporis exercitia, Cortex, Martialia, ac Valeriana indicantur; Epilepſia certo tempore recurrens absque ullis plethorae ſignis, Corticem cum Valeriana requirit (671); ſi a morbo hyſterico fuit natum malum, Aſſa foetida, gummata ferulacea, ceteraque antihyſterica ſunt exhibenda; demum in Epilepſia a vermibus orta anthelmintica curam abſolvunt. Nemo tamen ſibi perſuadeat, ſe tali modo ſemper Epilepſiam eſſe curaturum, etenim interdum, omni licet adhibita attentione, mali cauſa indagari neſcit, immo quandoque eſt talis, ut omnem reſpuat medelam, hinc optime inquit ſummus MORGAGNIUS: „ ſi a cerebri duritie, ſi ab apoſtemate, ſi a ſui „ generis abſceſſu, ſi a vaſorum diſtentione, ſi ab aqua „ aut multa, aut pauca, aut flava, aut limpida, ſi ab aliis „ prae-

(670) Conf. l. l. p. 21.
(671) Conf. QUARIN l. l. p. 29.

„ praeterea cauſis Epilepſiam fieri, aut ſi harum aliquas „ pro effectibus habere mavis, at foveri ſaltem, ſervari, „ augeri poſſe non negas; vides profecto, quam difficilis „ ſit aliquando ipſius curatio, atque adeo, ut vires artis „ excedat (672)."

§. 369. Quod ſi vero, cauſa morbi materiali licet remota, nihilominus tamen ob characterem ſenſorio & nervis impreſſum continuetur Epilepſia, ſique igitur illa fuerit reddita mere habitualis, aut ſi nulla cauſa materialis accuſari queat, ad ſecundam indicationem abſolvendam progredi medicum oportet: nimia autem ſyſtematis nervoſi Irritabilitas duplici modo tollitur.

1°. Aut ope remediorum, vi ſedativa nimiam nervorum mobilitatem compeſcentium; quo pertinent Opium, Cicuta, Extractum Belladonnae, Mercurius, Cinnabaris &c. quorum remediorum efficaciam in Epilepſia habituali multis exemplis probaverunt MORGAGNE, GREDING, STOLL, CULLENUS, BURSERIUS, MURRAY, GMELIN, DONALD MONRO & A. MONRO (673).

2°. Aut

(672) Conf. MORGAGNE l. l. Vol. I. Lib. I. Epiſt. IX. Art. 26. p. 151.

(673) Conf. MORGAGNE l. l. Art. 6 & 7. LUDWIG, *Adverſ. Med. Pract.* Vol. I. P. IV. Art. 3. a 637. ad 710. STOLL, *Rat. Med.* P. III. Sect. V. p. 278. & ſeqq. CULLEN l. l. §. 1338 & 1342. BURSERIUS l. l. Vol. III. Cap. VIII. §. 284 & 286. MURRAY l. l. Vol. I. Ord. VI. p. 243 & 244. GMELIN, *Apparat. Medic.* P. II. Vol. II. p. 53. & ſeqq. DONALD MONRO, *Eſſays and Obſervations Phyſical & Litterary*, Vol. III. Art. 30. & A. MONRO ibidem Art. 31.

2°. Aut ope remediorum, quae nervos in alios motus inducendo characterem convulſivum delent, quo pertinent Tartarus Emeticus, Ipecacuanha, Vitriolum album, Flores *Zinci*, Cuprum Ammoniacum &c. Pharmaca haec, licet inter ſe maxime differant, omnia tamen conveniunt in eo, quod nervos aliter afficiendo Epilepſiam habitualem tollant. Non igitur in Epilepſia quacumque auxilium praeſtant, ſed tantum huic morbo medentur, aut ubi in anteceſſum illius cauſa materialis eſt ſublata, aut ſi ea fuerit talis, ut viribus, quas unumquodque illorum ſibi privas habet, deleri poſſit. Si itaque unice agatur de tollenda Epilepſia habituali, h. e. ſi tantummodo ſit ſcopus nimiam nervoſi ſyſtematis ſenſilitatem tollendi, non opus, ut adhibeamus Flores *Zinci*, Vitriolum album, & Cuprum Ammoniacum, dum Tartarus Emeticus & Ipecacuanha, ad deſideratam mutationem nervis inducendam optime valent, ac, quemadmodum RICHTERUS bene multis obſervationibus extra dubium poſuit, plerumque malo debellando ſunt paria (674). Si autem quaeratur, quomodo a pharmacis toto coelo diverſis, quaeque igitur diverſimode nervos afficiant neceſſe eſt, habitualis Epilepſia poſſit tolli, reſpondendum, emeticis ad unum omnibus duplicem vim eſſe communem, minori enim doſi exhibita, omnia antiſpasmodici praeſtantiſſimi vice funguntur, majori vero doſi ſi propinentur, vomitum ciendo totum corpus concutiunt,

---

(674) Conf. RICHTER, *Mediciniſche und Chirurgiſche Bemerkungen*, Cap. VIII. a p. 130 ad 136.

tiunt, atque cum nervis novis inſolitosque motus communicant, ex qua duplici facultate facile intelligere eſt rationem, cur ejusmodi remedia, licet diverſimode operentur, nihilominus omnia certis ſub rerum conditionibus virtute antepileptica polleant. Quum autem Flores Zinci, Vitriolum album, & Cuprum Ammoniacum, non tantum majori gradu easdem virtutes ac cetera poſſident, ſed inſuper vi ſua peculiari Epilepſiam bene multis in caſibus, ubi cauſa materialis adeſt, profligare valeant, liquet, illa pharmaca ſaepe egregiam exerere poſſe virtutem, ubi Tartarus Emeticus & Ipecacuanha nullum plane praeſtant auxilium; hinc ſi forte Epilepſia habitualis cum acido primarum viarum fuerit juncta, vel ſi ipſa ex hoc fonte originem ducat, Floribus Zinci ob vim abſorbendi & acidum infringendi nil reperitur praeſtantius (675). Si cum nimia nervorum ſenſilitate corporis laxitas & debilitas fuerit juncta, aut & illa ex hiſce ducat natales, Vitriolum album vi roborante & conſtringente egregie ſcopo ſatisfacit (676). Si denique nervorum morboſa ſenſilitas fuerit tanta, ut, ſublata licet cauſa materiali, nihiloſecius nullo remedio character convulſivus, nervis impreſſus, poſſit deleri; ſi illa nimia Irritabilitas cum corporis debilitate & laxitate fuerit juncta; aut ſi motus illi convulſivi corporis debilitatem ceu eorum cauſam agnoſcant, ad Cuprum Ammoniacum confugiendum eſt, quod vi ſua antiſpasmodica & tonica omnibus ceteris palmam praeripit, ac, reliquis nervinis incasſum

(675) Conf. GMELIN l. l. Vol. I. Sect. IV. p. 288. & ſeqq.
(676) Conf. GMELIN l. l. Sect. II. p. 126. & ſeqq.

ſum tentatis, haud raro curam abſolvit (677). Novi quidem, Viros in arte noſtra ſummos Cupri praeparata periculo haud vacare monuiſſe (678), ſed ab una parte, ceteris irritis, anceps remedium nulli eſt praeferendum, ab altera vero bene multis tentaminibus conſtitit Cl. THUESSINK, Cuprum Ammoniacum, debita doſi exhibitum, etſi illud non juvet, numquam tamen nocere (679). Sin e contra cum nimia nervorum ſenſilitate plethora ſit juncta, vel ſi haec illi anſam det, Cuprum Ammoniacum non conducit, priusquam debita vel & nimia phlebotomia illud obſtaculum fuerit remotum, quo ultimo in caſu haud raro plethorae vices excipit corporis nimia relaxatio & debilitas, id eſt, producuntur iſtae conditiones, ſub quibus Cuprum Ammoniacum, incipiente morbo noxium, nunc uſu venit, uti allato exemplo probavit Cl. THUESSINK (680).

De reliquis autem antepilepticis remediis v. g. de Viſco quercino, Dictamino albo, Foliis aurantiorum, pulvere de Gutteta RIVERII, Moſcho, Caphura, Caſtoreo &c., nil dicam, dum aut nullius deprehenduntur eſſe uſus, aut, ſi modo vi antepilectica haud prorſus ſunt deſtituta, laudatis ta-

(677) Conf. GMELIN l. l. Sect. II. p. 137 & 138. ſed imprimis *Act Vliſſing.* T. XIV. a p. 363. usque ad p. 396. ubi egregia Diſſertatio a Cl. THUESSINK reperitur inſerta de uſu Cupri Ammoniaci in morbis nervorum, ex qua veritas illorum, quae diximus, apprime probari poteſt.

(678) Conf. QUARIN l. l. p. 25. & BURSERIUS l. l. Cap. VIII. §. 289.

(679) Conf. *Act. Vliſſing.* l. l. p. 369 & 392.

(680) Conf. *Act. Vilſſing.* l. l. Caſ. II. p. 390 & ſeqq.

tamen remediis hac virtute longe cedunt, etſi ad motus inordinatos nervorum Epilepſia leviores compeſcere haud raro reperiantur utiliſſima (681).

§. 370. Ex morbis convulſivis ſi vita exſtinguitur, id fieri potiſſimum triplici ratione, ex antedictis facile colligitur.

1°. Aut enim convulſionum violentia principium vitale deletur, tuncque ſaeviente paroxysmo pereunt Epileptici, quod tamen non ita ſaepe accidit (682).

2°. Saepius, pluribus acceſſionibus ſuperatis, in unam vehementiorem incidunt, quae lethali Apoplexia terminatur (683).

3°. Quandoque ſi muſculi diu rigidi maneant, vaſa ad partes convulſivas pertinentia, quum durante convulſione fere nullum commercium cum ceteris vaſis alant, Sphacelum contrahunt, uti obſervavit WEPFERUS (684), illam autem haud raro excipit totius corporis Mors.

---

(681) Vid. BURSERIUS l. l. Cap. VIII. §. 290. CULLEN l. l. §. 1332. WHYTT l. l. Cap. VII. p. 245. & ſeqq. nec non MURRAY l. l. Vol. III. Ord. XXVIII. p. 293. & quatuor ſeqq.

(682) Conf. QUARIN l. l. p. 20.

(683) Conf. BURSERIUS l. l. §. 270.

(684) Conf. SWIETENUM l. l. §. 1077. p. 427. & TISSOTUM l. l. T. II. P. II. Cap. XII. p. 221.

CLAS-

CLASSIS DUODECIMA.

VITIA SYSTEMATIS SECRETORII.

§. 371. Morbi ſyſtematis ſecretorii nobis dicuntur tales, in quibus absque Pyrexia idiopathica, Neuroſi, & Cachexia vaſa ſecernentia exceſſum, aut degenerationem patiuntur: addidi, quod bene notandum, ſine idiopathica Pyrexia, Neuroſi, & Cachexia, quum, licet ſyſtematis ſecretorii morbi ad ſuam exiſtentiam memoratis morboſis conditionibus minime indigeant, eaeque in horum principio tantum non ſemper deſiderentur, nihilominus in ejusmodi morborum ſtatu provectiore plerumque harum una alterave occurrat; immo quandoque omnes cum vitiis ſyſtematis ſecretorii junctae reperiuntur: attamen ſunt tunc haud idiopathicae, verum, aut tantum corporis ſympathiae debentur, ac vitiorum ſyſtematis ſecretorii curatione & ipſae tolluntur, aut ad ſummum aliquando ſunt deuteropathicae.

Dum autem ſecernentis ſyſtematis morboſae affectiones ſemper vel ad exceſſum, vel ad degenerationem reduci posſunt, hancce Claſſem in duos dividere Ordines convenit.

ORDO PRIMUS.

VIS SECRETORIAE EXCESSUS.

POLYARCIA.

§. 372. Quoties nimia pinguedine corpus humanum adeo tumet, ut functiones homini naturaliter propriae aut plane non, aut ſaltem haud ſine moleſtia peragi valeant, toties oritur Polyarcia.

Cauſae hujus morbi proegumenae ſunt mollior corporis habitus, aetas infantilis, media, ſexus ſequior, quae ſubjecta, uti optime monet GAUBIUS, eo inclinant (685): quum interim experientia doceat, ejusmodi homines, licet etiam vitae victusque ratione cauſas Polyarciae occaſionales potius arceſſant, quam evitent, ſaepenumero tamen a Polyarcia manere immunes, liquet, allatas cauſas ad rei explicationem non ſufficere, ſed inſuper admitti debere quamdam ſolidorum ad Polyarciam diſpoſitionem a determinata eorum conſtitutione derivandam; quae ſententia confirmatur exinde, quod quandoque ipſa corporis evolutio ad ſemi-

(685) Conf. l. l. §. 394. p. 226.

minium illud morboſum in actum deducendum ſufficiat, cujus rei illuſtre exemplum exſtat in *Phil. Tranſ.* (686), ubi legitur caſus alicujus viri, qui modo viginti novem annos natus ſtatura fere ſenipedali, ventris peripheria prope ſeptempedali accumulata pinguedine adeo erat ſuffuſus, ut ſexentorum & novem pondo nudus eſſet, ac trigeſimum vitae annum non complevit nullo prorſus morbo aliter correptus. Ceterum cauſae procatharcticae ſunt lautum & opiparum vitae genus, vita deſes, otium, neglectus corporis motus, quae omnes in praedispoſitis malum producunt.

Natura hujus morbi vulgo aſſeritur conſiſtere in diſpoſitione nimis ſana, uti ajunt, qua plus nutrimenti ex ingeſtis adſumitur, quam corpori uſui eſſe poteſt (687): dubito interim maxime, an quidem illa hypotheſis cum Naturae factis ſatis congruat; dantur enim multi plethorici, qui gradatim evacuationem artificialem ſuperabundantis ſanguinis copiae ſibi inſtituere coguntur, quique interim potius macie quam obeſitate laborant; inſuper, ut ſupra vidimus, ille morbus absque ullo diaetae vitio quandoque naſcitur; repugnat demum illa ſententia morbi ſymptomatibus, dum provectiorem ſaltem illius gradum ſemper concomitatur principii vitalis torpor, immo omnes ſecretiones, ſolam adipis ſi excipias, languent & imminuuntur.

§. 373. Videtur ergo potius morbi indoles conſiſtere in

(686) Conf. l. l. Vol. XLVII. p. 188.

(687) Conf. GAUBIUS l. l. §. 394. & VAN GEUNS l. l. §. 11.

in peculiari praedispoſitione organorum, adipis ſecretioni dicatorum, ſive, ut clarius me exprimam, in nimia ejusmodi organorum Irritabilitate, ſive ad ſtimulum ſenſilitate, cujus effectus eſt, ut intra datum temporis ſpatium plus ſolito adipis conficiant. Quum autem ſit generalis Naturae lex, quod ad organa, quo plus exercentur, & quo magis eorum actio viget, eo plus quoque ſanguinis afferatur; & ille ſtimulus ſanguinis adlati ſua vice rurſus ſecernentium actionem incitet, neceſſario ſequi debet, quod ille morbus in dies magis magisque increſcat, ita, ut ceterae C. H. partes tandem debita ſanguinis copia, qua, ut rite nutriantur, egent, defraudentur, ac ſanguinea maſſa fere tota in gratiam adipis ſecernendae conſumatur quaſi; ſaltem hacce cum explicatione congruunt admodum non tantum morbi ſymptomata, ſed etiam phaenomena, quae in ejusmodi cadaveribus obſervantur: ſic v. g. ex *Miſcellaneis Nat. Cur.* refert Cl. VAN GEUNS de viro quadrageſimo ſecundo aetatis ſuae anno ſine ulla violentia exſtincto ex ſola ingenti pinguedinis copia: „ fuiſſe ipſi in vaſtiſſimo „ corpore oſſa ſubtiliſſima, muſculos perteneros, magis „ membranoſos quam carnoſos, ita ut omnis in toto cor- „ pore vera caro decem libras ad ſummum excedere non „ potuerit (688)," manifeſto indicio non ex materia nutritia abundante, ſed ex perverſa actione organorum, adipis ſecretioni dicatorum, haud ſine ceterarum partium nutrimenti defraudatione Polyarciam oriri.

§. 374.

---

(688) Conf. *Diſſ. Laud.* §. 11. in nota,

§. 374. Quod hujus morbi prognoſin attinet, lubens MACBRIDII ſententiae ſubſcribo, ſcilicet hoc morbi genus eo eſſe miſerius, quia vix ulla ſanationis ſpes datur: ut ut ergo difficilis, tentanda tamen eſt hujus morbi curatio, quem in finem diaetam tenuem ſtrictiſſimam vegetabilem, corporisque exercitia ceteris antecellere putat CULLENUS (689): videtur tamen tali modo unice malum mitigari. Pro hujus morbi medela laudantur inſuper acetum vini, acetum ſquilliticum, ſapones, imo ipſa aqua mephitica, quae remedia, ſi ad Polyarciae curationem aliquid valeant, ſaltem Chemice ſolvendo adipem non operantur, cui tamen ſcopo ab auctoribus fuere commendata (690): GIRTANNERUS commendat valdopere hoc in morbo Gas Oxygenium, & a ſane ab una parte videtur ejus uſus convenire, quum violentiſſimi ſtimuli adinſtar plurimum excitet vires vitales, atque ita ſpem praebeat, fore, ut ſtimulando totum corpus impediretur pro parte ad minimum nimia illa adipis ſecretio, ad quam videtur requiri vis vitalis minus vegeta, & ſimul incitarentur vaſa lymphatica ad adipis abſorptionem; ab altera tamen diffitendum etiam non eſt, inſignem Oxygenii copiam, quae adipis compoſitionem ingreditur, de ſucceſſu hujus Gas in Polyarcia non leve movere dubium. Attamen dum remedium, cujus ope Polyarcia ſanari poſſit, huc usque proſtat

(689) Conf. l. l. Vol. IV. §. 1624.

(690) Conf. MACBRIDE l. l. Vol. II. Lib. VIII. Cap. I. p. 358 & 359. nec non CULLEN l. l. §. 1625.

ſtat nullum, atque absque aegrotantium damno Gas Oxygenii tentamen inſtitui poteſt, videtur non obſtante memorata illa difficultate hocce in morbo illius periculum eſſe faciendum.

§. 375. Sin vero, uti plerumque accidit, mali curatio artis limites excedat, quotidie principii vitalis torpor increſcit, augeturque omnium functionum languor, in dies magis & magis ad motus redditur ineptus miſer, ac demum moritur, ſeu potius vivere deſinit, nam, ſi dicendum ut res eſt, per ſat longum tempus jam moribundus jacet; quia morboſa illa adipis quantitas ſtimuli venenati inſtar in corpus agit, organorumque functiones opprimit, aut imminuit; reagunt quidem organa ad ſtimulum, & vitam tueri conantur, ſicque illa utcumque revera ſat diu ſuſtentatur; ſed, dum organorum vigor & ad ſtimulum reactio quotidie decreſcunt, tandem prorſus opprimitur illorum actio, ſtimulo cedunt, onerique ſuccumbunt ſolida, ac oritur mors, quae lento gradu accedens placide hominem obrepit.

Attamen plerumque Polyarcia laborantibus talis Euthanaſia haud contingit, raro enim adipis per totum corpus ſuffuſio eſt adeo aequalis, ut omnes functiones eadem vi invadat, hinc ſi unum alterumve organum ad vitam neceſſarium ceteris partibus plus pinguedine circumdetur, illius functio opprimitur, quam oppreſſionem ſemper cito ſequitur totius corporis mors: ob hanc vero cauſam obeſi plerumque Apoplexia, Suffocatione, vel Syncope diem obeunt ſupremum (691).

O R-

(691) Conf. Cl. T. SCHWENCKE, *Haematologia*, p. 22 & 23. VAN GEUNS l. l. §. 11. in nota, & MACBRIDE l. l. p. 358.

ORDO SECUNDUS.

VIS SECRETORIA DEGENERATA.

§. 676. Hocce in ordine ſyſtematis ſecretorii actio ſemper reperitur degenerata, atque morboſe affecta organa ſecernentia numquam non creant materiam peculiarem in ſtatu ſano prorſus deſideratam, quae pro varia organorum ſecernentium nova modificatione diverſa etiam ſub forma ſeſe nobis offert.

GENUS PRMIUM.

DIABETES.

§. 677. Diabetes eſt urinae praeternaturalis & plerumque copia immodica ſecretio.

Binae hujus morbi dantur ſpecies; una, in qua urina aquea, pallida, inodora, ingeſtis longe excedens mingitur, quae ſpecies maxime occurrit; altera, ubi urina craſſa turbida odoris, coloris & ſaporis obſervatur mellei: hac in ſpecie, quae praeſertim inter Anglos occurrit, & praecedente obſervatur rarior, non ſemper immodicum uri-

urinae eſt profluvium, ſed quandoque ſola qualitate peccat urina (692).

Cauſae hujus morbi praedisponentes ſunt omnia illa, quae ſyſtema uropoiëticum labefactant, huc pertinent v. g. abuſus aquoſorum imprimis tepidorum, diuretica validiora, abuſus fermentantium liquorum, nimius aquae thermalis potus, imprimis ſi valide urinam cieat, Mercurialium & reſolventium uſus diuturnus, nimia Venus &c. Cauſae occaſionales ſunt, quae ſyſtema uropoiëticum irritando urinae ſecretionem nimiam, interdum etiam perverſam producunt; huc pertinent perſpiratio impedita, primarum viarum ſaburra, vermes, metaſtaſis materiae morboſae verſus renes, quare etiam poſt diverſos morbos tam acutos quam chronicos ſaepe Diabetes obſervatur.

§. 378. Agunt ergo cauſae procatharcticae hujus morbi ſtimulando, quod & probant morbi ſymptomata v. g. dolores urentes, & lancinantes circa renes, praecordiorum ardor & anxietas, cordis palpitatio, pulſus irregularis ac dolor vagans per artus, ex quibus argumentis, nec non ex felicibus morbi curationibus, ſolis antiſpasmodicis peractis, Ill. RICHTERUS concluſit, Diabeten eſſe morbum ſpasmodicum, absque ulla praegreſſa debilitate renibus inductam (693): ſed licet facile largiamur, eſſe quandoque ſtimuli actionem adeo vehementem, ut nimia irritatione, ſano

---

(692) Cf. CULLEN *Synopſ. Noſol. Method.* Gen. LXII. p. 243. & 244. MACBRIDE l. l. Lib. III. Cap. VI. p. 225. & RICHTER l. l. Cap. IV. p. 83.

(693) Cf. l. l. p. 80. & ſeqq.

ſano licet ſyſtemate uropoiëtico, ille morbus oriatur; ab altera tamen vero etiam negandum non eſt, plerumque ſyſtematis uropoiëtici debilitatem majori vel minori gradu ceu cauſam proegumenam ad Diabeten concurrere, imo & aliquando renum debilitatem praecipuam morbi ſiſtere cauſam. Probatur hoc ex eo, quod in hominibus, iisdem ſub conditionibus poſitis, unus Diabete corripiatur, altero manente a morbo immuni, indicio, plerumque non ſufficere ſtimulum; ſed requiri praedispoſitionem quamdam, quae ſi deſideretur, ſtimuli actio eſt nulla; confirmant porro noſtram ſententiam SYDENHAMUS, BUCHAN, MACBRIDIUS, BURSERIUS, aliique viri in arte noſtra praeclari, utpote qui docent, praegreſſo morbo, aliave ex cauſa debilitatos prae ceteris Diabete affici, ſimulque eum morbum ſaepiſſime ſolis adſtringentibus, roborantibusque ſeſe curaſſe aſſerunt (694). Cum illis non tantum facit Cl. J. FRANK, qui teſtatur, ſe hunc morbum roborantibus & cardiacis, v. g. C. P. Vino Malaccenci, radice Serpentariae Virginianae &c., aliquando feliciter curaſſe, illaque pharmaca prae ceteris in Diabete convenire, ſed etiam ingenti obſervatorum numero probavit, fere ſemper ad Diabeten certum debilitatis requiri gradum (695). Videtur ergo indo-

(694) Cf. SYDENHAM l. l. *Epiſt. Reponſ.* ad R. BRADY p. 307. & 308. nec non *Proceſ. Integr. in morbis fere omnibus* p. 318. BUCHAN l. l. Cap. XXXII. p. 373. & 374. MACBRIDE l. l. p. 225 & BURSERIUS l. l. Vol. IV. Cap. XVII. p. 491. & 492.

(695) Cf. J. FRANK *Ratio Inſtituti clinici Ticinenſis.* Viennae 1797. Cap. VIII. p. 201. & ſeqq.

doles ſeu natura Diabetis conſiſtere in quadam ſyſtematis uropoiëtici debilitate cum ſumma ejusdem irritabilitate juncta.

§. 379. Laborant igitur hocce in morbo renes, uti hodie conſentiunt omnes; immo plerique ſtatuunt, Diabeten eſſe meram affectionem morboſam ſyſtematis uropoiëtici; ſin autem morbi ſymptomata accurate conſideremus, videntur haec eſſe talia, ut minime ex ſolo ſyſtemate urepoiëtico morboſe adfecto explicari valeant; ſaepe enim in Diabete correptis emiſſum per urinam liquidum longe ſuperat ingeſtorum copiam. Hoc bene multis exemplis probare facile admodum eſſet, ſed brevitatis ſtudio in rei probationem unum alterumve modo exemplum in medium proferam: refert Cl. DOBSON caſum de viro Diabete correpto, qui quotidie urinam ad libras viginti octo evacuavit, etſi ingeſtorum quantitas ad ſummum libras quatuordecim non exceſſerit, qui interim per octo jam menſes tali modo vitam protraxerat (696). Memorat RICHTERUS caſum viri, cujus urinae copia quotidie fuit librarum triginta, quique absque inſigni debilitate hoc malum jam per quatuor hebdomades fuerat paſſus (697). Quum autem corpus ejusmodi hominum, licet totum in aqua difſluxiſſet, tamen ad paucos modo dies, nedum ad tam longum temporis ſpatium tantae jacturae ferendae fuiſſet impar, nihil aliud ex allatis exemplis concludi poteſt, quam quod

(696) Cf. *Medical. Obſervat. and Inquiries* Vol. V. Art. 27. p. 298. & tribus ſeqq.

(697) Cf. RICHTER l. l. Obſ. XXIV. p. 78.

quod hiſce in caſibus a morboſe affectis vaſis lymphaticis ex ipſa Atmosphaera aqua fuerit hauſta.

Conſentientes mecum invenio HALLERUM (698) HAENIUM (699) SELLIUM (700) & GAUBIUM (701). Quin haud raro ipſa Diabeten concomitantia ſymptomata, abſorbens ſyſtema morboſe eſſe affectum, declarent; etenim quandoque comitatur Diabeten Hydrops vagus, qui per aliquod dies Aſciten mentiens ſponte diſparet, ac dein iterum ſe prodit (702), manifeſto, ſi quid video, indicio, morboſae affectionis vaſorum lymphaticorum. Jam vero ex hiſce omnibus videtur tuto elici poſſe, ſi non ſemper, plerumque ſaltem ad Diabetis exiſtentiam concurrere perverſam ſyſtematis abſorbentis actionem.

§. 380. Praeterea, dum in allato a Cl. DOBSON caſu laborabat aegrotus Diabete mellita, ſive ſic dicta vera, atque interim materies per urinam evacuata ingeſtis duplo eſſet major, conſtat exinde, quam male nonnulli ſtatuerint, hac in ſpecie motu lymphaticorum retrogrado ipſum chylum per urinam e corpore ejectum iri: nam etiamſi eſſet probatum, lymphaticorum motum retrogadum hoc in morbo habere locum; quamvis de ingeſtis per reliqua corporis emunctoria detraheretur plane nihil; licet denique ingeſta

tta

---

(698) *Elem. Phyſ.* T. V. Lib. XII. Sect. II. §. 20.

(699) *Rat. Med.* P. IV. p. 118.

(700) *Med. Clin.* Vol. II. p. 146.

(701) Cf. DEJAN *Commentaria in Inſtit. Pathol.* GAUBII T. III. P. II. §. 816. p. 718.

(702) Cf. *Medical Obſervat. and Inquiries* Vol. V. l. l. p. 300.

tota quanta mutarentur in chylum; licet omnes illae conditiones (quarum interim ne quidem unam quis unquam probavit) revera in Diabete adeſſent, nihilominus ille chylus adhuc haud ſufficeret ad ſuppeditandam ingentem adeo urinae copiam, qualem quotidie emingunt aegroti.

Eſt igitur illa materies ſaccharoidea, quam abundante adeo copia ex urina aegroti extraxit Cl. DOBSON (703), neutiquam ipſe chylus, a vaſis lymphaticis per motum abnormem ad ſyſtema urophorum delatus, ſed ſolummodo eſt effectus depravatae urinae ſecretionis, ſive ut aliis verbis idem dicam, pendet ille a ſpecifica reactione organorum urinam ſecernentium ad ſtimulum morboſum.

§. 381. Malum hoc in univerſum eſt diuturnum, taedioſum, ac ſaepe morte terminatur (704); differt tamen prognoſis.

1°. Pro varia ſpecie Diabetis: Mellita enim, ceteris paribus, inſipida multo eſt periculoſior raro medelam admittit, & plerumque morte terminatur (705).

2°. Pro morbi gradu & duratione; levis enim morbi gradus non tantum curabilis eſt, ſed etiam ſaepe ſat cito medelam admittit; imo graviſſimum morbi incipientis gradum ſaepiſſime intra paucos dies ſuſtulit RICHTERUS (706): ſin autem morbus jam diu invaluerit, vix remediis cedit, ac

(703) Cf. *Medical. Obſ. and Inq.* Vol. V. l. l. p. 305. & 306. Experiment. V. & VI.

(704) Cf. CULLEN l. l. Vol. IV. §. 1513. p. 91.

(705) Cf. FRANK l. l. Cap. VIII. p. 205. & 206.

(706) Cf. l. l. Cap. IV. Obſ. XXIV, XXV. & XXVI.

ac plerumque mederi neſcit; optime igitur dixit VOGELIUS: „ morbum curatu eſſe difficilem, tantoque difficiliorem, quo diutius afflixit, tuncque optimorum remediorum uſum ſaepe numero eludere (707).

3°. Pro morbi cauſa: prout enim ſtimuli morboſi remotu faciliores aut difficiliores fuerint, pro ea ratione quoque major vel minor curationis affulget ſpes: ſic Diabetes Febribus ardentibus aut malignis ante criſim ſuccedens, teſte BURSERIO (708), fere ſemper reperitur lethalis; dum e contra, quae a primarum viarum ſordibus, aut ab impedita perſpiratione natales duxit, monente RICHTERO (709), facile admodum curatur, unde patet, in Diabetis prognoſi ad illius cauſas occaſionales ſummopere eſſe attendendum.

4°. Pro aetate & diatheſi aegrotantium: ſenes enim vix unquam ſanantur, ac infirmis, cachecticis, Baccho aut Venere exhauſtis tantum non ſemper ille morbus infert mortem (710).

§. 382. Indicationes therapeuticae pro Diabetis curatione ſunt duae.

1°. Nempe ſtimulus morboſus eſt tollendus.

2°. Syſtema urophorum & abſorbens eſt muniendum, ne in poſterum iterum a potentiis nocentibus in functione turbentur. Pri-

(707) Cf. *Prael. Acad.* §. 368 p. 281.

(708) Cf. l. l. Vol. IV. Cap. XVII. §. 206.

(709) Cf. l. l. Obſ. XXVI. p. 81.

(410) Cf. BUCHAN l. l. Cap. XXXII. p. 372. & BURSERIUS l. l. p. 491.

Prima indicatio fit variis remediis pro diverſa indole ſtimuli morboſi, in quam omni cura inquirendum eſt; ſi vero nulla alia cauſa apparet, & nullum datur contraindicans, emeticum, aut emeto-catharcticum ſepiſſime egregium praeſtat auxilium, tum evacuando primarum viarum ſaburram, tum vi antiſpasmodica, qua plurimum Ipecacuanha & Tartarus emeticus pollent. Si impedita peſpiratio Diabeten produxerit, pulvis Doveri aut ſimplex Opii cum Ipecacuanhae miſcela, aliaque diaphoretica curam abſolvunt: ſi morbi cauſa detegi neſciat, tunc ad Opiata, emulſionem cum Caphura, ceteraque antiſpasmodica confugiendum eſt; neque negligenda ſunt hocco in morbo balnea tepida; nec tandem alienum eſt, ex emollientibus & antiſpasmodicis confectum emplaſtrum, aut linimentum regioni lumbari ſuperimponere.

§. 383. Malo curato, ſi reconvaleſcentes ſani, vegeti, ac ſatis robuſti ſunt, nullo prorſus egent medicamento, ſed per aliquot dies, cura anodyna & antiſpasmodica adhuc continuata (Diabetes enim ſaepe ſub certis periodis amat recurſum) absque ullo metu ſolitis operibus manus admovere poſſunt: ſin vero aegroti morbis praegreſſis, aut alio modo quocumque appareant exhauſti, indicantur Alumen, Terra catechu, Cortex Peruvianus, Martialia, ſerum lactis aluminatum &c., ac in ejusmodi caſibus ipſis balneis frigidis quandoque mali recurſus impeditur: ſi demum morbus pro maxima parte ab organorum uropoiëticorum & lymphaticorum debilitate fuerit ortus, uti haud raro contingit (711), tunc ab ini-

(711) Cf. FRANK l. l. p. 202. & 210.

initio morbi cum anodynis & antiſpasmodicis roborantium uſus debet conjungi. Quod autem ad ſanguinis miſſionem in Diabete attinet, morbi indoles per ſe numquam phlebotomiam requirit; exſtant interim caſus, ubi iterata etiam vice celebrare V. S. maximae fuit utilitatis, quando nimirum Diabetis cauſa occaſionalis fuit talis, ut phlebotomia tolli, aut imminui poſſit; hoc enim in caſu ipſa ſanguinis miſſio reſpectu noſtri morbi antiſpasmodici potentiſſimi vice fungitur, ſummamque praeſtat utilitatem (712).

§. 384. Morbus hicce praeter ſitim moleſtam, quae nulla potione ſedari poteſt, & certam voracitatem (quae phaenomena plerumque Diabeten ab initio concomitantur) ſaepiſſime in principio morbi per ſat longum tempus nulla alia ſymptomata exhibet, ac omnes C. H. functiones ſatis naturali vigore peraguntur: ſin tamen Diabetes juſtae medelae non obediat, ut morbi progreſſu omnes functiones debilitentur, ſolidaque a ſtimulo morboſo jugiter affecta tandem degenerentur, neceſſe eſt: oriuntur tunc bene multa alia morbi ſymptomata; lumbi & coxae dolent ſaepe, aeſtuant viſcera ac praecordia, ſaliva ſpumoſa crebro exſpuitur, omnium functionum languor, ſumma virium proſtratio, macies (713); nonnullis teſtes, maxime pedes tument; tandem accedit Febris hectica, ſolita ſympto-

---

(712) *Medical Obſ and Inq.* Vol. V. l. l. p. 301. & 302. RICHTER l. l. p. 81. & ſeqq. BURSERIUS l. l. Cap. 17. p. 491. & ſeqq. BUCHAN l. l. p. 373. & ſeqq. SELLE l. l. p. 126. VOGEL l. l. p. 368. & MACBRIDE l. l. p. 225.

(713) Cf. FRANK l. l. Cap. VIII. p. 208. & ſeqq.

tomatum caterva ſtipata, totum corpus ſub Febricula lenta ſenſim ſenſimque conſumitur, ac diffluit, talique modo ſtimulo morboſo organorum vita pedetentim exſtinguitur.

§. 585. Haud ſemper tamen Diabete laborantes memorato modo e vita tolluntur, nam ſaepe, morbo ad finem vergente, Peripneumonia aut Angina aegrotis ſuperveniens, recenſitis malis & ſimul vitae imponunt finem, ſicque ſpuria Inflammatione perimuntur aegrotantes (714): ejusmodi interim Diabete laborantium exitus, quem quandoque contingere, practicorum obſervationes extra dubium poſuerunt, rationem reddere valde arduum eſt; forte ſub finem morbi a morboſe affectis glandulis conglobatis ſecernitur materies peculiaris, quae metaſtatice ad fauces & pulmones delata ibi excitat ſpuriam Inflammationem: eſt quidem iſta opinio, fateor, tantum conjectura, ſoli analogiae ſuperſtructa, attamen, quum, ex illa hypotheſi omnia morbi ſymptomata egregie explicari poſſint, meretur ea ſaltem, ut Diabete exſtinctorum diſſectionibus inquiratur, an in rei natura fundata ſit.

GENUS SECUNDUM.

ULCUS CANCROSUM.

§. 386. Cancer apertus eſt ulcus ſordidum cadaveroſi foetoris, labiis duris inverſis, ſuperficie inaequali, ichorem

(714) Cf. CULLEN l. l. Vol. IV. §. 1509. VOGEL l. l. §. 364. nec non BURSERIUS l. l. §. 205.

rem acrem fundens ambitu magis magisque creſcente, dolore lancinante urente, venis vicinis varicoſis, ac haemorrhagia frequenti notandum. Haec eſt Carcinomatis deſcriptio, nam, quum ulcus Cancroſum nullo ſigno pathognomico ab omnibus aliis diſtinguatur, nulla hujus mali definitio dari poteſt (715).

Oritur illud malum, humano generi perquam pernicioſum, ſemper a praegreſſo ſchirro qui degeneratione organica partis affectae, majoreque duritie, ac ſuperficie gibboſa a Scrofula diſtingui debet (716).

§. 387. Quamvis an Schirrus, Cancerve occultus exſtirpatione curantur, nec ne? plurimum adhuc invicem diſſentiant viri in arte medica ſummi, nihiloſecius tamen hodie tantum non omnes artis periti conveniunt in eo, quod carcinoma, ſive Cancer apertus nulla chirurgica encheireſi tolli poſſit, ejusque curatio huc usque artis limites excedat: nullae ergo hoc in morbo indicationes therapeuticae dantur, ac tantum medici eſt, ut miſeram aegrotorum conditionem reddat tolerabiliorem: iſta autem cura palliativa abſolvitur avertendo omne id, quod malum incitare queat, externe Aluminoſis & Saturninis, nec non Nitratis Argenti uſu, interne diaeta blanda eupepta, leviter alvum ducentibus, roborantibus, antiſepticis, Opio, ceterisque anodynis, quorum remediorum ſub uſu saepiſſime per ſat longum tempus vitam adhuc protrahunt miſeri.

§. 388.

(715) Cf. CALLISEN l. l. Vol. I. P. II. §. 1254.

(716) Cf. SOEMMERING l. l. §. 44. p. 105. & 106.

§. 388. Senſim ſenſimque tamen exaſperatur malum, emaciantur & debilitantur aegri, ac tandem Tabe confecti pereunt, debetur autem illa corporis conſumtio non ſolum ſtimulo Cancroſo per ſympathiam jugiter agenti in totum corpus; ſed etiam pro parte illa explicari debet ex Diatheſi Cancroſa, quam hoc in morbo ocius vel ſerius ſemper contrahunt miſeri, dum dubio omni prorſus caret, quod ichor adeo acris, ut partes circumjacentes corrodat, nihilominus a vaſis abſorbentibus ſuſcipiatur. Vidit nimirum SOEMMERINGIUS admodum frequenter, vaſa abſorbentia mammae, vel cancro occulto, vel jam aperto laborantis, ichore tenui, ex atro liveſcente, turgida, ac varices fere mentientia (717); obſervaverunt idem alii Anatomici bene multi: minime tamen intrat virus hoc ſanguinem, antequam inter illud, & glandulas conglobatas, quas in itinere ſalutat, debita fuerit nata affinitas, atque hinc illa Cancroſa Diatheſis ſaepe adeo ſero apparet; imo refert CRUIKSCHANKIUS ſecundo anno poſt caſtrationem teſticuli cancroſi felicem viſam, ſe glandulas abſorbentes lumbales tumidas reperiſſe (718). Quidquid ſit, hoc ſaltem eſt verum, quod ſimul ac virus cancroſum cum vitali latice fuerit communicatum, ſolida tum a ſtimulo partis affectae, tum a veneno intus recepto valdopere laceſſita, maxime debilitentur; hinc eorum viribus brevi plane proſtratis, oneri ſuccumbunt, atque mors, tali vita longe praeferenda, ab omnibus malis liberat miſeros.

EPI-

(717) Cf. SOEMMERING l. l. §. 44. p. 107.
(718) Cl. SOEMMERING l. l. p. 113.

EPILOGUS.

§. 389. Sic ergo pro viribus noſtris expoſuimus non tantum, quomodo a diverſis potentiis morbificis hominum vita deſtruatur, verum etiam, qui ejusmodi moriendi ratio cum uniuscujusque morbi indole cohaereat, ac haud raro jam a priore ex morbi natura de ipſa ſtatui poſſit. Verum quidem eſt, quod ab una eademque potentia nocente pro varia corporum, quae aggreditur, conditione, varii oriantur effectus; ſed ab una parte varietates illae reſpectu moriendi rationis plerumque minoris ſunt momenti, & ab altera, quum in unoquoque homine temperamentum aliter ſit modificatum, idem morbus ne quidem in binis hominibus ſimillima plane producit ſymptomata: illas ergo varietates ad examen vocare non licet.

Hinc, emenſo vaſto cauſarum morbificarum campo, exhibitaque ratione, qua in univerſum perniciem adferre ſolent, inquiramus, an ex iis, quae huc usque monui, quidam generales canones quoad mortis corporeae hiſtoriam deduci poſſint.

Vidimus nimirum hac in exercitatione, cauſas morbificas, diverſiſſimas licet, nihilominus ad unum omnes in eo convenire, quod ſemper ſtimuli inſtar noſtrum corpus afficiant; vidimus porro, in C. H., determinato modo ſtimulato, ſpecificas etiam produci mutationes, indeque pendere omnem morborum diverſitatem.

Agunt igitur unoquoque in morbo peculiari ſuo ſtimulo noſtrum in corpus cauſae morbificae; inſtituunt vires Naturae medicatrices pro vario ſtimulo variam etiam reactionem; modificatur a ſtimulo morboſo & ſolidorum ad eum reactione morbi natura; pendet demum a morbi indole varia moriendi ratio. Hanc ob rem in hacce tractatione per ſingula ire fuit neceſſe. Natura tamen, quae ſemper conſtantes ſequitur leges, in varia moriendi ratione certum & determinatum ordinem videtur etiam affectaſſe; hinc potentiae morbificae omnes, quam late ſeſe extendat earum ambitus, quam diverſimode illae operentur, ac quam ſubdole haud raro C. H. mechanismo inſidias ſtruant, in univerſum tamen duplici tantum modo agunt; h. e. mortem adferunt, aut exſtinguendo vitam totius corporis, aut tollendo vel & impediendo functiones vitales. Imo ſingulae moriendi diverſitates ob analogiam, quae inter illas datur, ad certas quasdam Claſſes reduci poſſunt, quamobrem morbos, principii vitalis exſtinctione operantes, in ſeptem; illos vero, qui tollendo vel & impediendo unius alteriusve organi vitalis functionem praecipue vim noxiam exſerunt, in quinque diſpoſui Claſſes. Quin moriendi diverſitates, ad unam eandemque Claſſem pertinentes, certum & determinatum numerum non excedere, ac de illis facile poſſe inſtitui calculum, imprimis pateat, ſi ad quamvis illarum breviter reſpiciamus.

§. 390. In *Prima Claſſe*, ubi Mors ex proprio Mechanismo ſequitur, moritur homo ex nimia ſolidorum rigiditate & ad ſtimulos inſenſilitate. Inducitur ſolidis ejusmodi diſpoſitio, indeque pendens moriendi ratio absque ulla cauſa morbifica, ſed ſola vitae actione. Hanc igitur ob

cau-

cauſam ab omnibus ceteris, utpote quae non niſi accedente potentia nocente homines e vita tollunt, ſedulo diſtingui meretur.

In *Claſſe Secunda*, ubi Mors ab animi pathematibus inducitur, pereunt homines Apoplexia, Syncope vel & Suffocatione. Habet omnis moriendi diverſitas id commune, quod ſcilicet ſemper congeſtio ſanguinis in organo quodam vitali locum habeat, quodque illud, nimia ſanguinis quantitate ſic obrutum, ab actione ceſſet, etſi autem pro vario animi pathemate, ac pro varia hominum conditione diverſa organa patiantur, nihiloſecius tamen hac in Claſſe ſemper vita tollitur prae impedita actione organi cujusdam vitalis, nimia ſanguinis congeſtione orta.

In *Tertia Claſſe*, ubi Mors Calorici exceſſu vel defectu oritur, ſi homo nimio Frigori occumbat, ſanguis etiam ſemper ad interiora ruit, & ſimili modo ac in praecedenti hominum vita exſtinguitur. Idem videtur accidere, ſi ex Calorico abundante moriatur. Novimus quidem nil certi de proxima mortis cauſa hoc in caſu, attamen phaenomenorum, quae calor nimius producere ſolet, habita ratione, conſtabit, ſi non ſemper, plerumque ſaltem Apoplexiam, aut Suffocationem hic quoque agmen claudere.

In *Claſſe Quarta*, ubi Mors per Electricitatem nimiam producitur, uno quaſi ictu ſtimuli violentia omnium organorum deſtruitur vita; ad ſtimulos, fortiſſimos licet, illa numquam non reperiuntur inſenſilia: perimuntur itaque homines ſubita exſtinctione vitae totius corporis.

In *Claſſe Quinta*, ubi Mors ex omnibus Gas ſpeciebus, animali oeconomiae noxiis, accidit, etſi pro varia Gas ſpe-

cie differant admodum ſymptomata, ſemper tamen ſuffocantur miſeri.

In *Claſſe Sexta*, quando Mors ex Venenis contingit, quamvis Natura quoad moriendi rationem certum ordinem ſervare primo intuitu haud videatur, ac licet inſuper vera moriendi ratio bene multis ex venenis huc usque rite explorata non ſit, nihiloſecius, ſi in rem paulo accuratius inquiramus, apparet, moriendi diverſitatem ex Venenis etiam numero haud eſſe infinitam, ſed Naturam hoc quoque in caſu conſtantes ſequi leges: & ſane, ſi ad omnia, quae ſupra de Venenis monui, attendamus, patebit, ex hac Claſſe quadruplici tantum modo mori homines. Etenim operantur venena aut 1°. ſtimuli violentia exſtinguendo principium vitale; aut 2°. cerebri, cordis, & pulmonum actionem peſſumdando; aut 3°. canalis cibarii gangrenam producendo; aut denique 4°. ſubdole vitae inſidiando, quo ultimo in caſu venenato ſtimulo ſenſim ſenſimque labefactantur & degenerantur organa, oritur Tabes, Febris Hectica, Mors.

In *Septima Claſſe*, ubi mors ex morbis univerſalibus generatur, morbi ſibi ex diametro oppoſiti reperiuntur; unde ingentem moriendi diverſitatem hac in Claſſe ſeſe etiam offerre, ſequitur: poteſt tamen moriendi diverſitas quoque ad calculum reduci, ita ut ſolummodo ſextuplici modo ex morbis univerſalibus intereant homines. Moriuntur autem vel 1°. exſtinctione principii vitalis prae nimia ſtimuli violentia; vel 2°. impedita functione cerebri, cordis, aut pulmonum; vel 3°. Inflammatione locali; vel 4°. cujusdam organi vitalis gangrena; vel 5°. degeneratione canalis cibarii, qua oritur fluxus colliquativus, nulla

ar-

arte ſiſtendus; vel demum 6°. depravata actione organorum, ſudoris ſecretioni dicatorum, quo in caſu ſudoribus quaſi diffluit totum corpus.

§. 391. In *Octava Claſſe*, ubi mors ex Inflammationibus inducitur, Natura non minus conſtantes obſervat leges, ac Inflammationes viſceris cujuscumque quadruplici ſolum ratione mortem adferunt: perimuntur, enim aut 1°. convulſionibus, quarum violentia vita totius exſtinguitur; aut 2°. ſublata vel impedita functione cerebri, cordis & pulmonum; aut 3°. nimio Inflammationis gradu, qua ob ſublatam cujusdam organi vitalis functionem ſaepe citiſſime etiam tollitur vita totius; vel tandem 4°. ex Gangrena alicujus organi, Inflammationis vices excipiente.

In *Claſſe Nona*, ubi Mors ex Profluviis naſcitur, iterum omnem moriendi diverſitatem ad quinque reduci valet, namque perimuntur: vel 1°. ſpasmis, quibus Natura fruſtra aequilibrium inter continentia & contenta reſtaurare conatur; vel 2°. ex amiſſa nimii ſanguinis copia ob defectum neceſſarii ſtimuli, quo in lethalem incidant leipothymiam; vel 3°. ex peſſumdata actione cordis, pulmonum, aut & utriusque; vel 4°. ex canalis cibarii Sphacelo; vel denique 5°. ex peculiari inteſtinorum degeneratione, quo cum ſummo virium decremento continuo alvum deponere coguntur miſeri; illa vero cum tenesmo ſi ſit ſtipata, dicitur Dyſenteria chronica, ſin minus Fluxus colliquativus.

In *Claſſe Decima*, ubi Mors ex Cachexiis obrepit miſeros, etiamſi ad illam morbos bene multos retulerim, nihilominus moriendi diverſitas decemplicem numerum non excedit: moriuntur nimirum aegroti hac in Claſſe

1°.

1°. conſumtione organi ad vitam neceſſarii, & fracto tono totius corporis ex ſtimuli violentia: ut v. g. in Phthyſi res ſeſe habet; 2°. ex eo, quod ſolida de die in diem debilitentur, magis & magis degenerentur, eorumque vita tandem a ſtimulo morboſo prorſus exſtinguatur, absque ut conſumtio cujusdam organi vitalis ſimul obtineat, quod accidit v. g. in Tabe Venerea, Rhachitica &c. 3°. ex deſtructione organicae compoſitionis cujusdam partis vitalis; accedit quidem etiam fere ſemper huic degenerationi Febris Hectica, poſſunt tamen quandoque leviſſima illius adeſſe indicia, quum ſtimulus ille non ita vehementer in totum corpus agit. Talis moriendi ratio in Tabe meſenterica haud raro accidit; 4°. Suffocatione, qua Hydrothorace laborantes haud raro pereunt; 5°. Syncope, quae moriendi ratio imprimis Scorbuticis ob languentem vim vitalem familiaris eſt. 6°. Haemorrhagiis, quibus vitae flammula, a potentia morbifica jam fracta, plane exſtinguitur; 7°. Diarrhoea colliquativa, quae rapiendo virium reliquias ſaepenumero agmen claudit, 8°. Sphacelo alicujus organi, quo nexus totius rumpitur; 9°. ex ſtimuli violentia, quo citiſſime vita tollitur. Talis moriendi ratio, licet ceterum morbis ex hac Claſſe raro ſupervenire ſoleat, tamen in morte partiali quandoque obtinet; 10°. demum in Sphacelo, abſorpta materia ichoroſa, niſi illa viribus Naturae medicatricibus ſubigatur, Febrim peſſimae notae, plerumque morte terminandam, haud raro producit, quae pro varia rerum conditione diverſimode perniciem adfert.

In *Undecima Claſſe*, ubi mors ex vitiis ſyſtematis nervoſi accidit, moriendi diverſitas non eſt tam multiplex; etenim ut ut omnes nervorum morbi vel ad ſpasmum, vel ad atoniam

niam pertinent, ſic etiam moriendi diverſitas hac in Claſſe tantum eſt duplex, h. e. exſtinguitur vita, aut ex Spasmorum violentia, aut ex ſublata vel impedita cerebri functione, id eſt Apoplexia; accedit quidem praeterea, quod ex turbato commercio vaſorum partis Spasmo laborantis cum ceteris aliquoties oriatur gangrena, quam ſequitur totius corporis mors, verum illa moriendi ratio tam raro accidit, ut potius cauſis accidentalibus, quam nervorum morboſae affectioni debeatur.

In *Duodecima Claſſe.* Ubi Mors vitia ſyſtematis ſecretorii ſequitur; demum triplex moriendi datur diverſitas: aut nempe 1°. potentia morbifica vitae ſubdole inſidias ſtruit, ac illam pedetentim opprimit, qualis v. g. moriendi ratio in Polyarcia exſtinctis occurrit; aut 2°. ex nimio ſtimulo ſolida degenerationem patiuntur, frangitur corporis tonus, oritur Tabes, Febris Hectica & Mors; aut tandem 3°. ex ſublata cerebri, cordis, vel pulmonum actione perit etiam vita totius.

§. 392. Sic igitur ad finem perduxi ea, quae de Morte & varia moriendi ratione dicere propoſueram: erunt ſane hac in exercitatione bene multa, quae obiter ſolummodo attigi, quaeque interim prae rei momento ampliorem tractationem meruiſſent. Attamen vetant hoc dicendorum ubertas, & anguſtia temporis, qua premor; jubet inſuper inſtituti ratio huic tractationi, quae ſolitos Diſſertationis limites jam longe excedit, finem imponere.

Sufficiat itaque probaſſe, quod, licet *mille modis lethi miſeros ſors una fatiget*, nihiloſecius moriendi diverſitas

 haud

haud ſit infinita, verum e contra Natura uti ubique, ſic quoque in moriendi ratione certas & conſtantes ſequatur leges; ita, ut non tantum ſingulae moriendi diverſitates ad quasdam Claſſes reduci poſſint, ſed inſuper determinari valeat, quotuplici ratione in unaquaque Claſſe vita exſtinguatur.

THE-

THESES.

I. Temperamenta, quae vulgo numerantur, humana, pendent a determinata ſolidorum conſtitutione, unde ſequitur totius corporis determinata quaedam diſpoſitio ad committendas actiones pariter determinatas, quae ex earum numero ſunt, quas liberas dicimus.

II. Ratio, cur binis oculis unum tantum cernatur objectum, unicus binis auribus percipiatur ſonus, quaerenda videtur in mente, ſimiles perceptiones non diſtinguente.

III. In Corpore animali vivo putredinem locum habere, negamus.

IV. Quum ſtatus fluidorum noſtri corporis determinetur agendi ratione organorum firmorum, manifeſtum eſt, quod medicamenta non niſi ſecundarie in fluida agant, h. e., determinando ſolidorum agendi rationem.

V. Acidum primarum viarum videtur eſſe ſui generis, nec originem primariam ducit ex ingeſtis fermentationem acidam paſſis, verum ex degenerata organorum ſuccum Gaſtricum & Entericum ſecernentium agendi ratione.

VI. Hinc Liquet, terras abſorbentes, imprimis Magneſiam, *Antacida* dictas, etſi cum acido primarum viarum ſal neutrum forment, non unice tamen medelam adferrre affinitate Chemica, verum inſuper peculiari energeia mu-

tandi illam in ſolidis diſpoſitionem, qua acidum primarum viarum generatur.

VII. Quamvis Mercurii agendi ratio in corpus animale huc usque nondum rite ſit determinata, illud pharmacum tamen numquam agere proprie reſolvendo, ſed in univerſum, vbi ceu reſolvens potentiſſimum exhibetur, operari vi quadam ſedativa, ac alterante, multa ſuadere videntur.

VIII. Etſi in vera Inflammatione Opium absque praevia ſanguinis miſſione minime accommodatum eſſe putem: negamus tamen Opii, & V. S. ita contrarios praeſtare effectus, ut, ubi per morbi naturam illud indicatur, haec in cenſum venire haud poſſit.

IX. Ratio, cur in Pleuritide vera Caphurae uſus numquam non noceat; in Rheumatica e contra ſaepenumero egregie conducat, videtur eſſe petenda ex eo, quod in priore caſu in ſyſtemate ſanguifero vera vis vitalis obtineat incitatio; in poſteriori autem, licet vaſorum vita etiam intendatur, haec tamen debita V. S. plerumque tollatur, ejusque vices excipiat torpor, hinc illo in caſu Caphura Nitro juncta ſummam praeſtat utilitatem.

X. Quum experientia conſtare videatur, morbos ſimplices raro eſſe malignos; morbos, ſibi ex diametro oppoſitos, malignos eſſe poſſe, hancque demum malignitatem imprimis pendere, & diverſimode modificari a varia regnante epidemica conſtitutione; hinc vocem malignitatis ad

ſpe-

ſpeciem ſingularem morbi indicandam, utpote ambiguam, ex Medicina rejiciendum eſſe, autumamus.

XI. Dum Febris, quae occaſione puerperii feminas aggreditur, a regnante epidemica conſtitutione diverſimode modificetur, nulli generales canones de illius cura ſtatui poſſunt.

XII. Febris lenta nervoſa initio nervos tantum aggreditur, hinc in longum protrahitur: Febrim vero nervoſam acutam, ab auctoribus memoratam, totum corpus afficere, ex morbi natura conſtare videtur.

XIII. Licet Inter remedia Lithontriptica aqua mephitica noſtra aetate magnam acquiſiverit celebritatem, illud remedium tamen aeque parum ac cetera ad reſolvendum calculum in veſica urinaria haerentem videtur esse par, etſi in Nephritide calculoſa egregie convenire; haud raro ipſum calculi ortum impedire, ac illius jam praesentis ſymptomata plurimum minuere ex inſtitutis tentaminibus concludere ſit.

XIV. In incipiente Aneuriſmate, tam a cauſa interna, quam a cauſa externa orto, haud raro curam radicalem compreſſione obtineri poſſe, celebris GUATTANI obſervationes docere videntur.

XV. Etiamſi ex DESSAULTII obſervationibus (Vid. *Journal de Chir.* T. I. p. 186.) conſtet, homines ano artificiali laborantes quandoque feliciter ſanari, ac viribus Naturae medicatricibus per anum naturalem excrementa

 rur-

rurſus ejici, ſi per aliquod tempus egreſſus materiae foecu-
lentae ex ano artificiali impediatur, eaque per anum natura-
lem credi cogatur, ejusmodi tamen medendi methodus ge-
nerati inſtituenda iis in caſibus haud videtur, quum, do-
cente experientia, graviſſima ſymptomata, imo ipſa mors
hanc endi rationem ſaepe ſequantur.

XVI. Quoniam Hernia Umbilicalis in Infantibus junio-
ribus bita compreſſione feliciter curari poteſt, ac incre-
ſcente corpore, mutato viſcerum preſſionis puncto, ipſa
ad h. praediſpoſitio tollitur; dum curandi methodus, per
ligatm cutis & ſacci hernioſi ex praecepto ejusdem
DESULTII (Vid. Ibid. Tom. II. p. 206. & ſeqq.)
inſti, nihiloſecius in poſterum non praecavet egreſſum
contorum per annulum Umbilicalem, Compreſſio Liga-
turae praeferenda videtur.

XVII. Quum, inſtituta Synchondrotomia, & poſthac
ad pollices 2½ oſſibus pubis a ſe invicem deductis, diame-
ter conjugata ſuperior pelvis ad ſummum ſex tantum lineis
augeatur, iis in caſibus, ubi haec nimis arcta impedit,
quominus forcipe, aut extractione per pedes educi poſſit
fetus, hoc artis adminiculum haud convenire putamus.

XVIII. Male tamen agunt, qui hanc operationem
numquam inſtituendam judicant: dum uſu venit, ſi diame-
ter pelvis transverſalis ſuperior, eâdem conjugata bene ſeſe
habente, (qui caſus, ſi unquam locum habeant, erunt certe
omnium rariſſimi) adeo ſit imminuta, ut diameter longitu-
dinalis capitis foetus diametrum transverſalem ſuperiorem
ingredi non poſſit, atque per conjugatam ſuperiorem pel-

vis

vis diameter perpendicularis foetus educi nequeat. — Si pelvis ſuperior ad tantam arctationem pervenerit, ut caput foetus tali modo in apertura ſuperiore ſit incuneatum, ut forceps ad latera pelvis & capitis introduci nequeat. — Sed imprimis, ubi diſtantia inter Iſchiorum tubera adeo reperitur arcta, ut per diametrum inferiorem quacumque ſub poſitione foetus educi haud valeat.

XIX. Quum Forceps ſemper Vectis vices ſupplere valeat, non vice verſa, apparet, illam hoc eſſe praeſtantiorem; dum inſuper Vectis ex actione ſua trahente & deprimente tantum convenire poſſe iis in caſibus, ubi ex cauſa leviori partus retardatur, defendimus. Quem jam in uſum, ſi Vectis adhibeatur LOWDERIANA, forma & actione maxime valebit, nec ulli alii inferior; dum Vectis ROONHUYZIANUS, methodo CAMPERI applicitus, memoratis in caſibus inutilis eſt, & in reliquis parturienti & foetui non uno nomine nocivus eſſe poſſit.

XX. Calorici diſpendium, quod vivendo fit, reſarcitur in iis animalium ſpeciebus, quae in aëre Atmoſphaerico degunt, ex decompoſito Gas *Oxygenio*, ita quidem, ut caloricum ſeſe primum jungat in ſtatum ligatum cum ſanguine, per pulmones, aut organa pulmonum vices gerentia, fluente, atque dein, ut, durante ejusdem circuitu, mutata eo ipſo capacitate pro calorico, hoc, quod ligatum erat, nunc evadat liberum, caloremque generet, vulgo dictum, *animalem*.

XXI. Acidum Aceti majori oxydationis gradu ab acido

do Sacchari differt; imo omnia acida vegetabilia imprimis proportione principiorum videntur eſſe diverſa.

XXII. Sola baſis illius oxydi, quod ſaccharum dicitur, in fermentationem vinoſam apta eſt, hanc autem non ſuſcipit, niſi cum determinata *oxygenii* menſura fuerit unita, ac caeterae conditiones ad hanc fermentationem neceſſariae ſimul adfuerint.

XXIII. Non quaevis planta diverſum ſibique proprium ſuccum nutritium e terra haurit; verum humorum diverſitas, quam in vegetabilibus obſervamus, a vi ſecernente vitali, analoga facultati ejusdem nominis regni animalis, pendet.

XXIV. Varia diverſis in plantis obtinet ſtructura organica. Hinc ab eodem ſtimulo, diverſis plantis admoto, in omnibus non eaedem producuntur mutationes, ſed prout illorum compoſitio varia fuerit, varii etiam ſequuntur effectus.

E R R A T A.

Pag. 6. lin. 10. *docet* lege *doceat*. pag. 24. lin. 7. *acre* lege *acri*. pag. 32. lin. 8. *demuum* lege *demum*. pag. 36. lin. 4. *quoniam, ſi* lege *quoniam*. pag. 37. lin. 7. *ſmilis* lege *ſimilis*. pag. 52. lin. 22. *tenacori* lege *tenaciori*. pag. 61. lin. 12. *perſumdatque* lege *pesſumdatque*. pag. 70. lin. 7. *cetetas* lege *ceteras*. pag. 86. lin. 1. *poeſt* lege *poteſt*. pag. 87. lin. 4. *communicate* lege *communicata*. pag. 97. lin. 20. *diſſimilandum* lege *diſſimulandum*. pag. 109. lin. 3. *juſta* lege *juxta*. pag. 135. lin. 8. *nimica* lege *inimica*. pag. 135. lin. 21. *oriſicia* lege *orificia*. pag. 175. lin. 10. *catenam* lege *catenae*. pag. 194. lin. 6. *inflammotorum* lege *inflammatarum*. pag. 205. lin. 19. *dolorificas* lege *dolorificos*. pag 206. lin. 15. *fluxi* lege *fluxu*. pag. 256. lin. 6. *acritate* lege *acritas*. pag. 262. lin. 10. *retineat* lege *retinet*. pag. 288. lin. 10. *diaetae* lege *diaeta*. pag. 290. lin. 23. *mateties* lege *materies*. pag. 317. lin. 18. *e vias* lege *vias e*. pag. 320. lin. 4. *totus* lege *totius*. pag. 325. lin. 4. *inducant* lege *inducunt*. pag. 333. lin. 5. *uſus* lege *uſum*. pag. 339. lin. 9. *conſiderandae* lege *conſideranda*. pag. 342. lin. 4. *pernitusque* lege *penitusque*. pag. 374. lin. 12. *facilis* lege *facile*. pag. 384. lin. 9. *refluxu* lege *refluxum*. pag. 384. lin. 11. *ſtimulari* lege *ſtimulare*. pag. 398. lin. 10. *praegreſſa* lege *praegreſſo*. pag. 399. lin. 4. *aetate* lege *aetati*. pag. 408. lin. 11. *easdam* lege *easdem*. pag. 408. lin. 15. *cauſos* lege *caſus*. pag. 412. lin. 15. *conſidunt* lege *concidunt*. pag. 413. lin. 16. *aequilibrum* lege *aequilibrium*. pag. 416. lin. 16. *Ineipiunt* lege *incipiunt*. pag. 422. lin 1. *novis* lege *novos*. pag. 423. lin. 17. *Dictamino* lege *dictamno*. pag. 426. *Polyarcia* lege *Polyſarcia*. pag. 427. lin. 6. *Sexentorum* lege *ſexcentorum*. pag. 429. lin. 14. *a ſane* lege *ſane*. pag. 435. lin. 8. *aliquod* lege *aliquot*. pag. 438. lin. 12. *hocco* lege *hocce*. pag. 447. lin. 15. *valet* lege *oportet*.

